



ESSE QVAM VIDERI
VICTOR DE LAPRADE
l'un des Quarante de l'Académie Française



RICHARDI MEAD,


Colleg. Medicor. Lond. & Edinburg. Socii, Reg. Societat. Sodalis, & Medici Regii.

OPERA OMNIA

TOM. SECUNDUS.

CONTINENS

De IMPERIO SOLIS ET LUNAE *in Corpora humana, & Morbis indè oriundis.* ORATIO *Anniversaria* HARVEJANA *in Theatro Regii Medicorum Londinensium Collegii habita.* DISSERTATIO DE NUMMIS *quibusdam* SMYRNAES *in Medicorum honorem percussis.* MONITA ET PRAECEPTA MEDICA. MEDICA SACRA, *sive de Morbis Insignioribus, qui in Bibliis memorantur, Commentarius.*



PARISIIS,
Apud GUIELMUM CAVELIER,
Via San-Jacobæa, ad Insigne Lilii Aurei.
M D C C L V I I.

RIC. MEAD M. D.

Coll. Med. Londinens. & Regiæ Societ. Socii Med. Regis;

DE IMPERIO SOLIS ET LUNÆ IN CORPORA HUMANA, ET MORBIS INDÈ ORIUNDIS.

ULTIMA EDITIO.

ADMONITIO
AD
LECTORES


POSQUAM *Libellum hunc ante annos plùs quàm quadraginta à me ſcriptum, & in lucem editum, amicorum quorundam hortatu iterùm publicare in animum induxeram; id mihi negotii dari, ut novam ei impenderem curam, & acceſſionibus quibuſdam augerem, planè intellexi. Inter relegendum itaque nonnulla, quæ ad mathematica ſpectant, dilucidiùs expoſui; alia verò quæ in Medicinâ faciendâ uſui eſſe poſſunt, pluribus exemplis confirmavi. Quàm late autèm hæc pateant in Arte ſalutari, ex variis Morborum generibus, quorum progreſſus ac ſtatus diverſos à Solis Lunæque periodis pendere oſtendimus, ſatis manifeſtò appa-*

rebit. Cùm fieri igitur poteſt, ut, qui calculis geometricis parùm moventur, exemplis tamen adeò numeroſis fidem adhibeant, nolim hic Platonicum illud uſurpare,

ΟΥΔΕΙΣ ΑΓΕΩΜΕΤΡΗΤΟΣ ΕΙΣΙΤΩ

Dabam Londini, ipſis Kal. Jul.
A. D. MDCCXLVI.





PRÆFATIO.

CUM varium ab omni ævo fuerit pro diversis inter se Philosophorum decretis Medicinæ studium; mirari subiit aliquotiès, post feliciter jam ante aliquot annos promotam causarum naturalium indagationem, non ea accessisse salutari Arti incrementa, quæ à rectiùs institutâ ratiocinatione sperare fas erat. Quantùm profecerint in rerum cognitione sapientiæ consulti ab adjunctis disquisitioni de naturâ geometricis rationibus, Auctoribus inprimis celeberrimis Galileo, Keplero, Torricellio, & Neutono, nemo in his Sacris vel mediocriter versatus ignorat. At conjecturis tamen adhuc scatet Medicina, & vix dùm scientiæ nomen meretur. Id nùm Artis ipsius indoli debeatur, quæ certa principia respuat; an potiùs Medicis vitio vertendum sit, qui obliquum tramitem insistentes, laboris tædio in rectam viam redire noluerint; aliàs fortassis dabitur disputandi occasio.

Interim, ut manifestum fiat, quantùm profit medentibus, tùm in caufis, tùm in remediis morborum inveniendis, geometriæ ftudium, difficillimam quæftionem, *De quarundam ægritudinum circuitibus*, explicare inftitui; quæ quidèm talis eft, ut folâ hujus difciplinæ ope inveftigari queat.

Coactus idcircò fum in hâc difputatione paulò accuratiores inire numerorum rationes, quàm quas requirere videtur res Medica. Lectorem igitur *Newtoniana* aliquantulùm doctum defidero; aut qui ea fáltèm intelligat, quæ ad fenfum fummi Philofophi *De Æftibus Maris* in *Actis* noftris *Philofophicis* luculenter expofuit Vir omnibus bonis litteris eruditiffimus, Edmundus Halleius. Negligant autèm per me licet, qui nullo mathematicarum difciplinarum ftudio tenentur, hanc operis noftri partem. Nullam ego ex calculis algebraïcis gloriolam aucupabor unquàm, qui fentio, quàm mihi fit ad hafce animi exercitationes mediocre nimis ingenium. Et erunt, ut opinor, in his fchedulis hiftoriæ aliquot & monita, quæ etiam illis, qui omnia ratiocinia in Arte noftrâ contemnunt, folam experientiam ducem fecuti, ufum aliquem in medendo præbeant;

præbeant; qui quidèm nostri omnis qualiscunque laboris finis est.

Latè patet iste, in quo decurrimus, campus; neque uno tantùm modo innumeris, inter quos miseri vitam trahimus, doloribus opitulamur. Tùm experimentis, tùm ratione, constat Medicina; & qui huic minimè fidit, eò saltèm certiori spe salutem promittit ægrotantibus, quo illis instructior ad artem se accingat. At utrumque sanè auxilium desiderat res Medica; ut, quibus supersunt exempla, hos non deficiat scientia, quæ illa variis casibus accommodare docet.

Quamquàm enim sobriis fortasse & frugi hominibus, quales fuisse primos mortales accepimus, adversùs infirmæ valetudinis incommoda satis foret præsidii in perpaucis remediis, quæ casus ostenderat, & comprobârat usus; successu tamen temporis, postquàm corpora vitiârant desidia & luxuria, aliâ sæpè atque aliâ curatione opus erat; cùm quærere jam necesse esset, non tantùm quid morbum fecisset, sed & quænam ratio communem ipsius naturam atque indolem in hoc aut illo immutasset. Hinc *mederi oportere*, dixit Hippocrates, *& communia & propria intuentem* (*a*): quoniam, ut rectè

(*a*) Epidem. Lib. I.

Celſus, *Inveniuntur in quibus aliter; atque in cæteris, idem eveniat; & cauſæ quoque æſtimatio ſæpè morbum ſolvit* (*a*).

Neque aliâ ſanè de causâ Medicinæ profeſſionem per quingentos ferè annos, à Trojano nimirùm ad Peloponneſiacum bellum, *in nocte denſiſſimâ latuiſſe*, ut memoriæ prodidit Plinius (*b*); veriſimile videtur, quam quod, cùm nova jam non rarò inciderent morborum genera, neque pares huic operi eſſe poſſent, qui ſolo uſu Medici evaſerant, ſibi vindicârunt ſapientiæ cultores artem ſalutarem, quæ ſine naturæ rerum cognitione trunca & debilis deprehendebatur. Hinc de eodem illo intervallo refert Celſus, habitam eſſe ſapientiæ partem medendi ſcientiam, ut & morborum curatio, & rerum naturæ contemplatio ſub iiſdem Auctoribus nata ſit (*c*).

Et eſt quidèm in rem noſtram quam maximè hîc indicare, Geometras reverà inſignes fuiſſe illos Philoſophos, qui prima poſuerunt antiquitùs Artis noſtræ fundamenta. Excelluit enìm inter omnes ſapientiæ magiſtros illis temporibus Pythagoras, qui tantam acquiſivit laudem à Medicinæ peritiâ, ut circumferret vulgò

(*a*) In Præfat.
(*b*) Lib. XXIX. in Proœm.
(*c*) Loco citato.

fama, *peragrasse ipsum civitates non docendi, sed medendi causâ (a)*. At eximii simul erant hujus viri in mathematicis disciplinis progressus. Id testantur duo inprimis nobilia ipsius reperta: alterum, *De quadrato lateris in ορθογωνίῳ triangulo recto angulo subjecti quadratis laterum eundem continentium æquali*; alterum, *De areâ Parabolæ*, quam demonstrasse primum ipsum Auctor est Proclus (*b*). Et ob prius quidem problema hecatomben illum immolasse, Apolledori arithmetici auctoritate freti, Athenæus (*c*) & Diogenes Laertius (*d*) testantur. Utrius tamen causâ sacrificaverit, eodem Apollodori carmine adducto, in dubio relinquit Plutarchus (*e*).

Audivit hunc in Italicâ scholâ Empedocles, divino ingenio vir, qui abdita naturæ penetralia rimatus illa præstitit in arte nostrâ, quæ frustrà quis ab empiricâ medicinâ sperasset. Inciderat enim in Agrigentum, natalem urbem, gravis pestilentia; cujus ille mox causam comperiens, *occlusis montium quorumdam faucibus*,

(*a*) Ælian. Var. Hist. Lib. IV. Cap. 17.
(*b*) Lib. IV. ad primum Euclid.
(*c*) Lib. X pag. 418.
(*d*) In vitâ Pythagor. Lib. VIII. segm. 12.
(*e*) Quod ne vivere jucundè quisquam possit, qui sectam sequatur Epicuri.

per quas spirantes insalubres venti importàrant contagionem, avertit malum (*a*). Pari beneficio & Selinuntios affecit; *quos eum circumjacentis fluvii vitio & putore invaserat lues; duos ille vicinos amnes in hunc derivari jussit; quo pacto, concitato flumine, & purgato alveo, dulcescebant paulatim aquæ, & grassari desiit pestis* (*b*). Ideò inprimis memoratu dignæ sunt hæ historiæ, quoniam nullis cedere remediis contagiosos morbos, ad iram deorum vulgò relatos, credidit antiquitas; in utroque vero casu auxilium indicavit mechanica scientia; & à consimilibus causis non rarò hujusmodi calamitates inferri innumeræ Auctorum observationes fidem faciunt.

Præceptorem, ut quidem crediderunt, ipsius Hippocratis Democritum geometriæ pariter & medicinæ studium commendavit. Nam inter alia *De Contactu circuli & sphæræ*, *De Geometria*, *De lineis ratione carentibus*; ut etiam *De naturà hominis*, *De humoribus*, & *de pestibus scripsisse dicitur*. (*c*)

Per hos quidèm, & horum similes, viros increvit hæc professio ad Hippocratis usque tempora; qui, ut Celsus ait, *primus*

(*a*) Idem, De Curiositate, & Lib. contra Coloten.
(*b*) Vide Diog Laert. Lib. VIII segm. 70.
(*c*) Idem in Vita Democrit. Lib. IX. segm. 46 & 47.

ab studio sapientiæ disciplinam hanc separavit (*a*). Is enim, cùm vulgi superstitionem, Empiricorum audaciam & simulationem inanemque Sophistarum ostentationem, artis processibus maximè obstare deprehenderet; ad illum finem scripta sua referebat, ut hisce impedimentis & difficultatibus obviam iret. Et religionibus quidèm vanis obsistere docet in aureolo, *De Morbo Sacro*, libello; ubi multus est in patefaciendis illorum hominum fraudibus ac fallaciis, qui pietatis erga deos specie & obtentu inscitiam suam velabant, incantamentis & lustrationibus morbos depellere profitentes, quos medicamentis non poterant. In libris *De Arte*, *De Decoro*, *&* *De Præceptionibus*, tàm contra istos, qui artem esse negantes Medicinam experimenta tantùm spectabant; quàm eos, qui perverso more hanc colebant, prolixè & acutè disputat. Et animadvertere quidèm lubet, quoniam in partes trahi video à quibusdam, invitum licet, divinum senem, mechanicum ubique ratiocinandi genus in hisce tractatibus à Medicinæ parente probari & commendari. *Laudo*, inquit, *ratiocinationem, modò ex iis, quæ sensus comprehendunt, aut expe-*

(*a*) In Præfatione.

rimenta oſtendunt, naſcatur; & ritè ex his, quæ comparent, concluſiones colligat. Quod ſi non legitimà inductione procedat, verùm ex opinionum commentis proficiſcatur, moleſtias & difficultates graves adfert (*a*). Illuſtrantur etiàm atque confirmantur hæc ab iis, quæ *de priſcà Medicinà* differens inculcat ipſe. Poſtquàm enìm *ſimillimos eſſe pleroſque Medicos imperitorum navium gubernatorum* pronunciavit, *quorum, dùm tranquillo mari & ſecundis ventis vehuntur, non deprehenditur artis inſcitia; at ſi fortè gravior cælum contraxerit tempeſtas, conſtat mox illorum culpà factum eſſe naufragium: cognoſcendas in primis eſſe* docet *rerum facultates, non fingendo aut excogitando, ſed vires, quas in corpus noſtrum habent & exercent, inveniendo, in quo tùm humorum affectiones, tùm partium figuras perpendere oportet; quarum nimirùm quædam ex ampliore ſinu in anguſtum apicem coëunt, quædam expaſſæ ſunt, aliæ teretes & cylindraceæ, aliæ denſæ, aliæ denique raræ & laxæ.* Hæc eſt illa Sapientia, quæ cum ſtudio Medicinæ conjungenda eſt; quâque, ut ait, inſtructus *diis par evadit artifex* (*b*). Sed ego fuſiùs iſta non exponam. Ex dictis manifeſtum eſt, σοφιστὰς, appellare Artis Magiſtrum iſtos, qui fictis ſuper cauſis ar-

(*a*) Lib. de Præcepto.
(*b*) Lib. de Decoro.

gumentantur; at ἔργῳ ἰατροὺς habere illos, qui ex perſpectis naturæ legibus, & cognitâ corporis animalis fabricâ, ratiocinantur. Quod in illorum gratiam moneo, qui, quaſi nihil interſit inter commentitias Philoſophorum ὑποθέσεις, & certas Geometrarum concluſiones, utiliſſimam diſciplinam deſpiciunt, & coram indoctâ plebe irrident. Næ illi craſſâ, ne dicam invitâ Minervâ, Philoſophiam pariter ac Medicinam colunt, non attendentes quàm longè diſcrepent ab illorum opinionibus horum rationes. Qui hypotheſin enìm condit, veriſimilia ſequitur, & id inprimis agit, ut eventibus & phænomenis ſolvendis paria ſint & reſpondeant præſcripta; contra autem mechanica θεωρία ex demonſtrationibus conſtat, quas aut ex Corporùm figuris colligit geometriam edoctus, aut ex cognitis jam & manifeſtò compertis motûs legibus neceſſariâ inductione, pertexit.

Exemplis res fiet illuſtrior. Concinnavit *De Corporum gravitate ſuſpiciones & conjecturas* Carteſius, nec quidquam inde in naturæ rerum cognitione profecit; at hujus leges, nullâ habitâ cauſæ ratione, geometricè perſecutus magnus noſter Newtonus ipſam mundi fabricam contemplationi noſtræ ſubjecit. *Morborum ſoporiferorum*

ideam commentus eſt Williſius, unde diſcimus ſuperfuiſſe auctori verba, defuiſſe naturæ illorum ſcientiam; horum verò ipſorum Hiſtoriam & ſymptomata ad mechanicas rationes exigens Bellini, cùm ad notitiam, tùm ad curationem etiàm gravium malorum patefecit viam. Sed de his hactenùs.

Cùm meum autèm ſuper opellâ hac edendâ conſilium cum amiciſſimo A. Pitcarnio, ad Reipublicæ ſalutem & Artis incrementum nato Medico, per litteras communicaſſem, laudavit ille inſtitutum; & pro eâ, quâ eſt humanitate, ex theſauro ſuo inſtructiſſimo Hiſtorias de quorundam Morborum recurſibus perlibenter mihi ſuppeditavit. Has, non levia Libelli noſtri ornamenta, idoneis quaſque locis expoſui, gaviſus viri in hiſce ſtudiis principis teſtimonio ſententiam noſtram confirmaſſe; eoque magis, quoniam æquum erat tàm alienis, quàm propriis obſervationibus, novæ theoriæ fidem adferre. Neque id ſanè hîc tacendum duxi, quod rerum Conditoris Opt. Max. ſapientiam haud parùm illuſtret noſtra diſſertatio, & ipſius bonitatem miro artificio junctam patefaciat; qui cum omnibus viventibus ſummâ curâ proſpexerit, hoc bruta

inter & ratione prædita animantia fecit discrimen, ut cùm fruerentur illa communibus naturæ beneficiis, nobis ultrà liceret horum rationes & usus explorare, ac Dædalæ molis divinum opificium contemplari. Curationem denique memoratorum casuum ideò perstrinxi breviter; quoniam, quæ mihi in plerisque morbis notatione maximè digna in dies occurrant, si neque animus, neque otium, ad scribendum desit, in publicum aliquandò, emittere constitui. Tu interim, Lector, his fruere & vale.

Londini A. D. M. DCC. IV.



CAPITUM ARGUMENTA.

CAPUT PRIMUM.

Quo Solis Lunæque cursum pro variis suis stationibus variè corpora nostra afficere, motusque fluidorum turbare, demonstratur.

CAPUT SECUNDUM.

Quo Morborum genera, eorumque symptomata, quæ ex causis memoratis ducunt originem, exponuntur.

CAPUT TERTIUM.

Quo, quantùm momenti ad Medicinam rectè faciendam hujusmodi observationes adferant, ostenditur.

COROLLARIUM.

Quo ratiocinandi hoc genus rerum naturâ confirmari probatur.



DE IMPERIO SOLIS AC LUNÆ IN CORPORA HUMANA, ET MORBIS INDE ORIUNDIS.

CAPUT PRIMUM

Quo Solis Lunæque cursum pro variis suis stationibus variè corpora nostra afficere, motusque fluidorum turbare, demonstratur.



ORBORUM complurium accessiones & circuitus à Lunæ viribus pendere ab omni ævo crediderunt Antiqui. Imò quosdam esse, qui Soli astrorum potentiæ originem suam debeant, testimoniis suis comprobârunt; historiarum enìm morborum, qui per populum grassantur, primi Scriptores sunt toti ferè in corporum cælestium motibus & viribus enume-

randis. Idcircò Thessalum filium monet Hippocrates, *ut arihtmeticæ & geometriæ operam det* (*a*); quoniam *multum possunt in ægritudinibus ortus & occasus siderum* (*b*). At verò cùm temporis decursu Philosophorum decretis accommodari cœpisset Medicina, nec tamen ex his ulli compagis animalis cùm astris consensum explicare aggrederentur; neglectâ paulatìm verâ observandi normâ, non alia cælestibus hisce causis tribuebatur efficientia, quam quæ à manifestâ aëris ambientis dispositione peti posset; nisi fortè excipere velimus quasdam quasi veritatis scintillas, quas vanis suis commentis obscuratas etiamnùm jactat Astrologorum vulgus.

Itaque ut certi aliquid in re perdifficili & reconditâ constare possit, primùm Solis Lunæque cursum, præter mutationes quas anni tempora & tempestates hinc oriundæ inducunt, pro variis eorum stationibus variè corpora nostra afficere, & fluidorum turbare motus, ostendere; deinde, quinam morbi, quæve in morbis symptomata, hinc trahant originem, inquirere; quantùm denique ad medicinam rectè faciendam conferant hujusmodi ratiocinia, exponere conabimur.

Perpetua est Auctorum, qui historiam ventorum conscripserunt, observatio, status cæli maximè ventosos incidere in æquinoctium vernum aut autumnale. Notum est etiàm pacatum alioquìn aëra ventorum vi plus minùs agitari plerumque meridie, & mediâ nocte; hoc est, Sole ad meridianum cæli fastigium, aut subter cæli ima & meridiano contraria, accedente. Idem pariter contingere liquet, cùm intumescit maximè maris æstus, hoc est, Lu-

(*a*) Epist. ad Thessalum.
(*b*) De aere, aquis & locis.

nâ summum cæli verticem; aut huic oppositum locum, tenente. Servant idcircò hæc tempora, quibus agricultura, aut res nautica curæ est. Novam denique plenamque Lunam cæli tempestates plerunque, ventis coortis, commutare nemini non compertum est. Evolvat, qui de his certior fieri cupit, J. Goad *Astrometeorologiam* (a). Hæc omnia cum rato & perpetuo naturæ ordine eveniant, mirum est Philosophos nondùm illorum rationes accuratiùs explorasse. Quanquàm enim verissimum sit variam esse admodùm, & à causis pendere diversis ventorum originem; nihilominùs tamen constans adeò & certus statis temporibus eorum recursus unam aliquam necessario, quæ constanter & eodem modo agat, habet à naturâ causam.

Jamdiu compertum est aëra terram nostram ambientem esse fluidum subtile, grave tamen, simulque elasticâ virtute præditum, cujus inferiora à superioribus premuntur; vis autèm cujusque partis undique in orbem æqualiter se diffundit. Hinc fit, ut, si externa quælibet causa gravitatem hujus elementi in quovis loco minuat, ea simul efficiat, ut ruat confestìm in eam sedem ab omni parte circumfusus æther, usque dùm restituatur in toto ambiente æquilibrium; quod in omnibus corporibus fluidis locum obtinere necesse est. Hujusmodi quivis impetus ventum faciet, qui nihil est aliud, nisi concitatior aëris motus versùs certam aliquam mundi plagam. Inquirendum igitur erit, nùm suppetat generalis quæpiam causa, quæ pressionem aëris enumeratis modo temporibus immutet; hæc enìm, quæcunque sit, ventos,

(a) Edit. Londini, M DC XC.

& si qua alia hinc pendent phænomena, per certa illa intervalla recurrere faciet.

Æstus maris reciproci, cum miro quo fluunt ordine, tùm insigni quam animantibus ferunt utilitate, nunquàm non invitârunt ad sui contemplationem illorum ingenia, qui studio naturæ tenebatur. At frustra tamèn tentârunt omnes nobile hoc divini rerum Conditoris artificium, usque dùm altius petita *principia*, & rebus ipsis consona, patefecit orbi magnus noster Newtonus. Horum demùm ope discimus à conjunctis, aut separatis, Solis Lunæque viribus, quarum tamen effecta incertæ locorum aliorumque casuum rationes augent & minuunt, oriri omnes æstuum varietates. Cumque memoratæ jam aëris mutationes iisdem eveniant temporibus, quibus contingunt maris fluxus, sintque pariter aquæ Oceani & ambiens nos æther corpora fluida, iisdem legibus motûs magnâ ex parte subjecta, liquet hic locum habere illud summi Philosophi effatum, quo monet effectuum naturalium ejusdem generis easdem assignandas esse causas, quatenùs fieri potest (*a*).

Quodnam inter hæc discrimen faciat nota illa aëris virtus, quà caret aqua, mox dicam. Sepositâ igitur tantisper hujus consideratione, certum est, sicuti intumescit mare, sic bis semper vicenis quinisque horis attolli debere ad insignem altitudinem nos ambientem aëra, attractione Lunæ ad meridianum cæli fastigium accedentis, ità ut pro sphærali figurâ *sphæroidem*, quam vocant, adsumat, cujus longissima diametros producta per Lunam transeat; eandem paritèr necessariò sequi ætheris intumescentiam, quoties Sol ad loci cujus-

(*a*) Newton. Princip. pag. 387.

vis meridianum aut suprà aut infrà horizontem pervenit; Lunamque hac potentiâ Solem eà proportione, quam habent 4 $\frac{1}{2}$ ad 1. proximè, superare. Fit autèm intumescentia hæc maxima, quandò Luna nova vel plena est, à conjunctis nimirùm utriusque astris viribus; minima, quando ea dimidia est, quatenùs nempe, in diversas partes trahentibus eo tempore sideribus, sola virium, quibus alterum alteri præpollet, differentia effectum pariat; mediocris denique, eo tempore, quod inter Lunæ *quadraturas*, ut appellant, & novam plenamque Lunam medium est. Perigæum item & Apogæum Lunæ vim hanc auget vel minuit. Porrò distantia Solis à terrâ minor tempore hyberno quàm æstivo efficit, ut æstus aëris maximi & minimi sæpiùs præcedant quam sequantur æquinoctium vernum, autumnale verò sæpiùs sequantur. In locis autèm ubi Luna ab æquatore declinat, æstus fiunt alternis vicibus majores & minores, ob diurnum telluris circà polos æquatoris motum.

Non alio fundamento nititur tota hæc ratiocinatio, quam Newtoni doctrinâ *De æstibus maris* ad aërem utcunque accommodatâ. Neque sanè difficile erit ex jam dictis intelligere, quâ necessitate statis iis temporibus recurrant, memorata modo ventorum phænomena. Sequitur igitur ut ostendam, quantùm attollantur Oceani aquæ, quibusque de caùsis superet harum fluxus lunaris ætheris intumescentia; quo clariùs, quanti illa momenti sit ad turbandos machinæ australis motus, percipiatur.

Demonstravit Newtonus vim Solis ad mare movendum eam habere rationem ad vim gravita-

tis, quam habet 1. ad 12868200 (*a*). Esto hæc; $G : S :: 1 : n$. unde $S = \frac{G}{n}$. Vires pariter Lunæ, quibus attollitur mare, esse ad gravitatem in proportione 1. ad 2871400. Sit hæc, $L : G :: 1 : s$. unde $L = \frac{G}{s}$. Cumque vis Centrifuga partium terræ à diurno motu orta sit ad vim gravitatis, ut 1. ad 289 Esto hæc, $C : G :: 1 : e$. unde $C = \frac{G}{e}$. Hinc

$$S + L : C :: \frac{G}{n} + \frac{G}{s} : \frac{G}{e} :: \frac{1}{n} + \frac{1}{s} : \frac{1}{e}$$

$$:: 1 : \frac{sn}{s + n \times e} :: 1 : 8123.$$ Docuit nos idem Philosophus vim centrifugam sub æquatore aquas attollere, ultrà quam circà polos intumescunt ad pedes 85472 (*b*). Unde, cum ea vis, quæ est ut 8123. elementum hoc ad ped. 85200. intumescere faciat, junctæ Solis Lunæque vires, quæ sunt ut 1. idem ad pedes 10 $\frac{1}{2}$ attollent, nam $\frac{85472}{8123} = 10\frac{1}{2}$ quam proximè.

Proinde jam notum est eo majori impetu ferri referrique maris æstus, quo promptiùs & faciliùs virtuti trahenti obsequi possunt aquæ. At verò cùm positum sit, rationes ineunte Edm. Halleio, sagacissimo Geometra, aëris regionem ad 44. usque

(*a*) Princip. Lib. III. Prop. 36 & 37.

(*b*) Princip. Lib. III. Prop. 37.

milliaria

milliaria diffundi, aquarum porrò Oceani mediocrem altitudinem esse dimidii milliaris; liquet spatium à sphærà aëreâ occupatum centenis circiter vicibus Oceani molem, etiamsi globus terræ aquis undique operiretur, superare. Hinc major erit in ampliori orbe circumacti liquidi ætheris agitatio. Obstant præterea accedenti & recedenti mari, hìc scopuli, illìc vada, & inæquales littorum sinus. At surgentem in altum aëra nihil reprimit, cujus ea est tenuitas, & præ aquâ mira fluiditas, ut minimâ vi facillimè quaquaversùs impellatur & excurrat.

His accedit, quòd ea lex in Corporibus, quæ attrahuntur, locum obtinet, ut vires attractionis sint in ratione quadratorum distantiarum suarum reciprocâ, undè validiùs multò erit, ob majorem hujus elementi viciniam, in aëra, quàm in aquas, Solis Lunæque Imperium. Quid, quòd majoris quoque momenti est in æthere virtutis elasticæ consideratio? Cujus hæc est conditio & natura, ut sit pro ratione pressionis, quæ ei incumbit; hinc diminuto, quod incumbit, pondere, immane quantùm se in altum explicabit subjectus aër. Verum est profectò hanc ità paulatìm minui & decrescere, ut ultrà certum à terrâ terminum sit momenti nulliûs; ideò tamen vel levis hujusmodi mutatio parit hic effectum maximum, quoniam ab illâ fit, ut velociùs facultatem trahentem sequatur circumfusa globo volubilis materia.

Ista quidèm omnia & ejusdem generis alia efficiunt, ut ab eâdem vi lunari ætheri, quàm aquis, longè majores æstus inferantur. Neque patitur hujus instituti ratio, ut operosis calculis, quantùm ad hanc rem conferant singula, & quo momento

agant, accuratiùs exequar. Ad propositum satìs est, cùm universas esse, tùm certis intervallis reverti, dictas aëreæ regionis motiones ostendisse.

Hæc cùm ità se habeant, facile est ex æstibus maris, reciprocantis simul ætheris impetum conjecturâ assequi. Ab intumescentiâ ad decem pedes cum dimidio, quantâ vi appellant ad littora detumescentes aquæ, videmus. Turbines itaque ventorum concitet necesse est altiùs longè, ultrà milliare forsan, levatus aër; nisi fortè præstò sint aliæ, quæ his obstent, causæ. Neque sanè dubitare par est, quin eodem rerum Opificis Optimi Maximi consilio eveniant hi utriusque elementi fluxus refluxusque; qui motibus his reciprocis tùm aquas Oceani stagnationis & corruptionis vitiis, quibus animantibus omnibus noxiæ evaderent, immunes præstat; tùm fluidi ætherei purum & salubrem statum, sine quo nulla nobis constare possent vitæ officia, in dies conservat & recreat. Hujus artificii usum experimur quotidie; modum verò, quod sciam, monstravit hactenùs nemo. At non aliud tamen magìs spectare debebant ii, qui in apricis & apertis locis citissimè convalescere ægritudinibus confectos, in humidis contrà & conclusis vel sanissimos facilè morbi corripi, observârint.

Unum tantùm occurrit, quòd nostris hisce ratiociniis opponi fortassis possit argumentum. Dicat enìm aliquis, si hæc phænomena à causis jam memoratis ducant originem, cùm ejus sint naturæ, ut aëris pondus imminuant, debere necessariò, novâ præsertim plenâque Lunâ, argentum vivum in barometro ad certum terminum

ſubſidere ; quod tamen non ità evenire comperiunt ephemeridum barometricarum conditores. Idque in primis miratus eſt Ramazzinus, veriſimile ratus, *quod ſicuti in Oceano hiſce temporibus majores æſtus, quàm cæteris diebus lunaris menſis, Nautæ conſpiciunt, ob dominatum, quem ſupra mare creditur habere lunare ſidus; ità quoque in atmoſpharâ notabiliter aliqua alteratio in gravitate apparere debeat. Sed reverà*, inquit, *nihil effatu dignum adnotare licuit; nam in noviluniis & pleniluniis cunctorum menſium nullum ferè diſcrimen in mercurii altitudine, reſpectu præcedentium & ſubſequentium dierum, compertum eſt; ſicuti neque ſilente Lunâ quicquam memoratu dignum obſervatum* (*a*).

Ut ergò ſcrupulus iſte eximatur, operæ pretium erit veram variè librati in fiſtulâ Torricellianâ hydrargyri cauſam inveſtigare, quam non ſemper aſſecuti ſunt rerum barometricarum ſcriptores. In primis igitur certum eſt aëris incumbentis preſſione attolli ponderoſum hunc liquorem; vim verò iſtam elementi eſſe pro ratione ipſius gravitatis; quæ cum eò major ſit, quò plùs aëris erit in cylindro, qui hydrargyro directè impendeat; quicquid molem hanc augeat aut minuat, elevabit ſimul aut deprimet ſuſtentatum liquorem. Hinc fit, ut venti maximè hìc efficiant variationes, utpotè qui diſtrahunt & laxant, aut impellunt & in cumulum quaſi cogunt æthereum hunc cylindrum. Unde inter circulos tropicos ubi lenis perpetuò versùs eandem plagam aura ſpirat, obſervante Halleio, nullæ fere in barometro fiunt

(*a*) Ephemerid. Baromet. Mutin. an. 1694. p. 19.

mutationes (*a*); in locis verò borealibus insigniores quàm in australibus contingunt, quoniam in illis frequentiores sunt ventorum turbines; iisque temporibus, quæ sunt ventis maximè opportuna, in horas ferè mutatur altitudo hydrargyri, uti de æquinoctiis observavit Ramazzinus. *Circà hæc enim*, ut ait, *insignes variationes inspexit, ac præcipuè in æquinoctio autumnali; eâdem die ad plures lineas modo adscendente, modo descendente mercurio; qui in Solstitiis eandem altitudinem, quam diebus præcedentibus habebat, prorsùs servavit* (*b*). Quæ cùm ità sint, fieri non potest, quantumvis in altum assurgat æther, ut ubivis locorum novà plenâque Lunâ subsidat semper in barometro hydrargyrum; cùm manifestum sit eam esse ventorum conditionem, ut, qui hìc divellunt & dissipant, illìc cogant & condensent imminentem terræ aëra.

Hisce sic expositis, non alienum erit solutionem subjungere difficilis quæstionis, de quâ magna inter summos etiàm Philosophos fuit dissensio. Nimirùm quì fit, ut cum aqua plùs quam octies centenis vicibus aërem gravitate superet; hic tamen aquosis vaporibus repletus minùs semper attollat in barometro hydrargyrum; ità ut in tubulo subsidentia ejus jam instantem pluviam significet? Ratio autèm ejus rei ex hisce, ut opinor, causis præcipuè petenda est. Aqua omni virtute elasticâ ità caret, ut nullâ vi in minorem molem comprimi possit; interìm tamen calore, qui illam ebullire facit, in partes tam parvas dispergitur,

(*a*) Act. Philos. Num. 181. pag. 111.

(*b*) Lib. citat. pag. 20.

ut ſpatium occupet quatuor decies millies iſto majus, quod natura habet (*a*). Hic vapor, pluſquàm ſexdecies aëre noſtro rarior, adeò ſubtilis eſt, ut facilè particulis aëris commiſta teneatur, & unitate factâ iis adhæreat, non alio modo, quam quo minutiſſimæ metallorum partes ſeparatæ in acidis quibuſdam liquoribus, qui illas eroſerunt, ſuſtentantur. Notum eſt enim corpora, quò minores in particulas dividuntur, eò majores pro ratione molis ſuperficies acquirere. Ad hæc æther, quem ſpiramus, componitur magnam partem ex corpuſculis aquâ ponderoſioribus, exhalatis ſcilicet ex varii generis materiâ, plantarum, mineralium, & animalium, quæ in terrâ naſcuntur. At momenti forſan longè maximi hîc eſt ipſa exhalationum è terrâ in ſublime latarum qualitas, quæ ſunt plurimùm ſulphureæ. Fumos autèm è ſulphure ità virtuti aëris elaſticæ adverſari, ut illam penitùs corrumpant & conficiant, multis experimentis compertum eſt (*b*). Et glebam hanc mineralem omnibus ferè corporibus ineſſe docuit magnus Newtonus, cujus maximâ copiâ æthera refertum eſſe crebra fulminum tonitruumque phænomena apertè demonſtrant. Ex his igitur omnibus, ut minori potentiâ agat humidus quam ſiccus aër, efficitur. Poſtquàm autèm tenuiſſimus iſte vapor aquoſus particularum viribus, quas *attractivas* & *repulſivas* vocant Philoſophi, in guttas coire incepit, hæ jam, auctâ mole, aëre graviores, pluviæ formâ decidunt; & æther deinceps, quò ab his purior

(*a*) Vide Deſaguliers Courſe of experimental phyloſophy, Vol. II. Lect. X.

(*b*) Vide Hale's Statical esſays, Vol. 1. pag. 230. & 299.

eſt, eò majori facultate premit elevatque in tubo barometrico mobilitate ſimul & pondere præcellentem liquorem.

Sed è diverticulo in viam, & ad ventos, revertendum eſt; qui à variis fontibus, atque adeò inter ſe diverſis, originem ducunt, ut, qui omnes eorum rationes ex unâ eâdemque causâ ſubducere cogitat, calculum eum fallere neceſſe ſit.

Iis igitur, quæ de hâc re ſuprà ſunt expoſita, accedit conſtans illa fluentis aëris cauſa, Solis calor. Ab hoc enìm uti generales illos ſtatoſque ventos, qui in mari zonæ torridæ, ſive quod inter tropicos jacet, ſpirant, oriri monſtravit Halleius (*a*); ità ubique terrarum, eundem motiones ætheris variè mutare poſſe certiſſimum eſt. Quin etiàm ſcimus turbinibus ſubinde agitari ſupernos cœli tractus, cùm interìm aër terram proximè ambiens tranquillus eſt & ſerenus. Itèm plurimis in locis increbreſcentibus ventis ſublimia montium juga intercedunt. Tot tantique prohibent caſus, ne eundem ubique ordinem ſervent, quæ lunarem actionem ſequuntur, in cœlo mutationes. Quæ autèm incertos nulloque ordine recurrentes ventos concitant, hæ ſunt cauſæ præcipuæ. Primò, vapores elaſtici vi ignis ſubterranei è terræ viſceribus erumpentes, & in æthere à quibuſcunque cauſis denſati, id nonnunquàm efficiunt. Deinde, effluviorum è variis corporibus concurſus ejuſmodi, ut rarefactiones fermentationeſque, quales à commiſtis quibuſdam chemicis liquoribus vulgò eveniunt, excitet, idem præſtat. Et talia aliquandò incidere phænomena

(*a*) Philoſ. Tranſact. Num. 183.

docet nos fulminum meteororumque ratio. Præterea, montes incendia evomentes & terræ motus, quæ aëris fluxus ad dissitas usque regiones propagant, eandem habent potentiam. Denique, Cometarum, aliorumque siderum vires, quæ Solis Lunæque imperium variè turbant, simili facultate sunt præditæ.

Hisce igitur ità ostensis, convenit jam demonstrare, quibus de causis hi ætheris motus, qui, intumescente maris æstu, novâ plenâque Lunâ & tempore æquinoctiali contingunt, corporis animalis fabricam immutent. In quam rem hæc sunt tenenda.

Primùm animantia omnia, quo spiritum suo commodo & sine labore ducant, aëre indigent ad certum modum gravi. Pondere enìm suo, & vi elasticâ, in inanes pulmonis fistulas impellitur spirale fluidum. Quapropter eâ, quam diximus, ratione imminutâ his temporibus ætheris ambientis gravitate, minor solito in thoracem haurietur ipsius portio; quæ cùm minorum sit virium ad sanguinem subigendum, illiusque impetum, quo ad cordis sinistrum ventriculum fluit, promovendum, circulum suum conficiet tardiùs hic liquor: unde parcior erit fluidi, quod in nervos derivatur, secretio.

Deinde non gravis solùm, sed & virtute elasticâ ad definitum gradum præditus esse debet, qui respirationi idoneus sit æther. Sicutì enìm is in asperam arteriam, dùm trahitur spiritus, vi ponderis sui irruit; ità dùm redditur, musculorum pectoris & abdominis ope in extremos hujus fistulæ ramos pelli solet: ubi concessâ ob exemtam incumbentem pressionem se explicandi libertate,

illiduntur quaquaversùs particulæ elasticæ in vesicularum latera, & coarctatis hoc modo sanguinis canaliculis, motui magìs aptum reddunt vitale fluidum. Idcircò, quæ hanc aëris facultatem immutant, turbabunt simul compagis animalis motus causæ memoratæ. Experiuntur harum conditionum necessitatem ii, qui altissima montium cacumina ascendunt; his enìm cum insigni labore & angustiâ ducitur spiritus, & tantùm non præcluditur, non aliâ de causâ, quàm quod tenuis supra modum & purus illic occurrat æther, hoc est, minùs quàm par est ponderosus & elasticus, & cujus vix ea hauriri queat portio, quæ inflando pulmoni sufficiat.

Postremò inclusam continent liquores omnes in corpore animali auram quandam elasticam, quæ hanc habet naturam, ut vinculis soluta in omnes partes vires suas exerceat. Et hæc quidèm motuum illorum intestinorum, quos in sanguine & cæteris fluidis vitalibus observamus, causa est. Quorum impetum, dùm in canalibus suis fluunt, aër corporis superficiem ambiens reprimit. Imminutâ igitur hujus pressione, internus æther, pro ratione dempti de externo elemento ponderis, facultatem habet se protinùs explicandi. Hinc, fermentescentibus humoribus, mutantur particularum minimarum cohæsiones & nexus, & ultrà modum tensi rumpuntur subinde tenuissimi canaliculi. Non aliâ ratione contingit hoc, quàm quâ animantibus ope antliæ pneumaticæ aërem ex vitro, quo inclusa sunt, extrahendo eliditur spiritus. Hæc enìm primùm anhela fiunt; deinde, subtracto paulatìm aëre; intumescit corpus; tùm collabuntur ità sub mortem pulmones minutio-

rum, ut dissecantis sensum ferè effugiant (*a*).

Si quis autèm curiosior scire velit, quanto pondere, & quo pressionis discrimine, in corpus nostrum agat circumfusus aër, illi hoc calculo satisfiat. Pro certo habendum est, pondus hoc æstimari posse ex vi, quâ hydrargyrum in barometro ab aëre attollitur. Superficies humani corporis molis mediocris est pedum quadratorum quindecim, sive pollicum bis mille centum & sexaginta. Cubus hydrargyri pollicis magnitudine est pondo unciarum octo. Pressio igitur aëris in singulos corporis pollices, pro ratione ponderis hydrargyri in barometro, erit hujusmodi. Columna quadrata hydrargyri unum pollicem lata in barometro sursùm ferri potest ab aëre, cùm maximè ponderosus est, ad pollices triginta; cùm levissimus, subsidet ad pollices octo & viginti. Idcircò aër, cùm gravissimus est, premet singulos pollices superficiei corporis nostri pondere librarum quindecim & novem unciarum; cùm levissimus, pondere quatuordecim librarum & unciarum duarum. Hinc Corpus universum in aëre gravissimo pondus sustinet librarum circiter 33684; in levissimo, librarum, 30622. Unde evenit, ut inter pressionem diversis temporibus factam discrimen sit librarum plus minùs ter mille. Resistit quidem, & in pondus istud nititur, internus aër per corpus nostrum dispersus. Fieri tamen nequit, quin magnum sæpè momentum habeat tam insignis variatio; ubi forsan vitio aliquo humorum, quibus commistus tenetur, hic ipse majori aut minori virtute pollebit.

(*a*) Vide Experienze dell'acad. del Cimento p. m. 118.

Duo hîc, priuſquàm ad alia deveniamus, ut moneam convenit. Unum eſt, quòd effectus cauſarum jam expoſitarum maximè notabilis in his erit, quorum imbecillum eſt corpus & offenſis obnoxia valetudo. Obſiſtunt enim hiſce influxibus illi, quibus eſt in humoribus impetus major, & firmioribus inſtructa fibris machina. Hinc mala, quæ mortalibus inde interdùm eveniunt, minimè poſſunt ejus eſſe momenti, ut imminuant laudem, quæ artificio debetur ſupremi rerum Arbitri, qui has ætheri motûs leges poſuit. Optimo ſanè Conſilio proſpexit Divinum Numen univerſis animalibus, ità tamen, ut ſingulis nonnunquàm & paucis cederet in detrimentum hæc conſtituta ratio. Solis ſitum & diſtantiam à tellure eo modo diſpoſita eſſe quis dubitat, qui rerum univerſitati lucis caloriſque diffuſione maximè conducat? At nihilo ſeciùs noxii interdùm evadunt nonnullis in regionibus nimii fervores; in aliis tam acris eſt mediâ hieme vis frigoris, ut huic ferendæ pares eſſe non poſſint, qnibus eſt à naturâ corpus paulò infirmius; in omnibus denique tempeſtatum viciſſitudines morbos quandoque pariunt. Optimè tamen humano generi conſultum eſſe ab omnibus ultrò conceditur. Præthereà, ſicuti ſua habent quique allati jam caſus auxilia, ità tanta ſunt fluxibus iſtis aëris oppoſita obſtacula, & tot modis ingruentibus inde damnis occurritur; ut hæc nullo loco ſint habenda præ inſignibus illorum commodis, quorum ea eſt conditio, ut omnibus, quotquot alit terrarum orbis, animantibus ſint uſui.

Alterum, quod hîc monendum duxi, eſt, quòd ſuas quique vires ſortiti ſunt & cæteri Pla-

netæ: qui etsi Solis Lunæque actionem non æquent, conspirant tamen variis modis ad horum potentiam in Corpora nostra augendam vel minuendam. Et tanti sanè momenti sunt hujusmodi concursus, ut extra dubium sit his quandoque acceptam referri debere subitam illam & occultam morborum vim, quæ gentibus universis ingruunt. Neque aliud certè est Hippocratis θεῖόν τι (a), cujus in ægritudinibus rationem haberi jubet, quam ambientis terram aëris status, ab astrorum imperio, vel aliâ quâdam insolitâ atque incognitâ causâ genitus; uti latiùs alibi diximus. (b)



CAPUT SECUNDUM.

Quo Morborum genera, eorumque symptomata, quæ ex causis memoratis ducunt originem, exponuntur.

HIS ità expositis, dispiciendum jam erit, quas præcipuè corporis nostri actiones lædant periodicæ hæ liquorum ejus in canalibus suis turgescentiæ. Neque propriâ tantùm observatione, sed ex Medicorum etiàm libris allatis exemplis nostra confirmabitur sententia. Auctoribus enim hujusmodi historias referentibus tutò licebit fidem adhibere, cùm nullus hic sit opinionibus, quæ corrumpunt plerumque narratio-

(a) Prognostic. I.
(b) Vide Account of poisons, Essay VI. pag. 299. *Editio tertia.*

nes, locus; & ex casibus veritas appareat extra Philosophorum tunc temporis ratiocinia positis. Et hoc primùm mihi satis constare videtur, lunaris hujus potentiæ vim majorem necessariò esse in illum corporis nostri humorem, qui nervos irrigat, quem *spiritus animales* dicimus; quàm in ipsum sanguinem, aut alios quoscunque vitales liquores. Cùm enim is sit partium tenuissimarum, & (sicut aliàs monstravi) (*a*) elasticarum, virtuti causæ cujusvis externæ, faciliùs obtemperabit. Idcircò, ad illos præcipuè morbos spectabit vis Lunæ, qui à vitiis subtilissimi hujus spiritûs oriuntur.

Ex his autèm, ni fallor, nullus *morbo comitiali* magis notabilis est; qui cùm aliàs sit difficilis, tùm hoc ipso mirabilis prorsùs medentibus visus est, quòd novâ imprimis plenâque Lunâ soleat recurrere. *Regit*, inquit Galenus, *Luna in epilepticis periodos.* (*b*) Hinc dicti sunt interdùm à Græcis Scriptoribus hoc malo laborantes σεληνιακοὶ (*c*); in Historia Novi Fœderis, σεληνιαζόμενοι (*d*); & ab Auctoribus quibusdam Latinis, lunatici (*e*). Et ipse quidem memini, cùm in Nosocomio Divi Thomæ medicinam facerem, quo tempore sæviebat bellum Gallicum, multos de classe nostrâ Nautas morbo hoc correptos curæ meæ traditos fuisse; quorum plerique tirones erant & novitii, qui aut in pugnæ navalis furoribus, aut tempestatibus coortis, metu perculsi, in

(*a*) Vide Introduction to a mechanical account of poisons, *edit. tert.*

(*b*) De dieb. critic. Lib. III.

(*c*) Alex. Trallian. Lib. I. cap. 15.

(*d*) Matth. cap. XVII. v. 15.

(*e*) Apulejus, de virtutibus herbarum, cap. 9 & 65.

hoc malum inciderant. Lunarem verò poteſtatem ita ſentiebant, ut mihi frequentiſſimè liceret, ex inſtante novâ vel plenâ Lunâ acceſſûum tempora ſatis certò prædicere. Vidit etiam Thomas Bartholinus puellam *epilepticam*, *habentem in facie maculas, quæ pro varia Lunæ phaſi tàm colore quàm magnitudine variæ erant. Tantùm*, ait ille, *corporibus noſtris cum cœlo eſt commercium* (*a*).

Proinde retulit mihi vir in Medicinâ propè ſingularis, Archibaldus Pitcarnius, ſe virum inviſiſſe triginta annorum, corporis habitûs paulò gracilioris, & temperamenti ad melancholicum accedentis; qui ante novem annos, poſt largum ſanguinis è naribus profluvium, queſtus erat de ſubito quaſi humoris alicujus à dextrâ ad ſummum brachium aſcendentis motu, unde ſenſibus orbatus humi concidit; mox ad ſe rediens torpore tenebatur illius manûs adeò gravi, ut nullus conſtaret digitis motus, brachium verò dextrum, ipſo invito, ad quatuor horæ minuta vi magnâ prorſùm retrorsùm agitabatur, deperdito intereà linguæ uſu. Recurrebat autèm à primo, quo invaſit, tempore hoc malum ſingulis annis certo ordine menſibus Martio & Septembri, hoc eſt, circa æquinoctium vernum & autumnale, novâ Lunâ. Hiſce autèm notabilis erat iſte caſus. Primò, ſæpiùs de nocte, quàm de die, ingruit Paroxyſmus. Secundò, nunquàm pedes, aut brachium ſiniſtrum vis morbi occupavit. Tertiò, qui jam à primâ ægritudinis acceſſione remanſit ſtupor, non abſtùlit ſenſus; ambulabat enìm, urgente ipſo, aut equo vehebatur æger. Quartò, Diſcurrente adhuc

(*a*) Hiſtor. anatom. Centur. II. Hiſt. 72.

per manum humore, perſtitit motus digitis; cùm verò jam brachium tenuerat, amiſſus eſt motus ſimul cum horum ſenſu; deinde dextram Capitis partem invadens violentas peperit brachii motiones, ad tria quatuorque minuta. Quintò, iis anni temporibus, quibus inceſſit morbus, bis aut ter nonnunquàm horæ ſpatio rediit torpor, interdùm ſemel tantùm intra biduum aut triduum. Sextò, deteriorem fecit hanc infirmitatem balnearum calidarum uſus; graviores enim ſolito erant, qui ſubſequebantur paroxyſmi. Poſtremò, labefactata eſt inſigniter memoria circa tempus ingruentis mali.

Fœminas complures ſibi notas teſtatur Vir idem eximius, quæ ad Lunæ motum ſymptomata epileptica patiebantur; prægnantes imprimis, & quibus, cùm maturiùs ſolito parere deſierint, defecerunt ante conſuetum tempus profluvia menſtrua. Hæ in ſomnis ſæpè, interdùm & de die, his paroxyſmis tentabantur. Duas porrò ſe curaſſe meminit puellas, quibus motus epilepticos apportabat Luna; motus iſtos dico ridiculos, quos *Choream Sancti Viti* appellat vulgus. Incerti erant, & ad ſimilitudinem ſaltationis ferè compoſiti geſtus; vox etiam, vigente maximè paroxyſmo, ſuppreſſa. Hoc malum laudatis à Clariſſimo Sydenhamo (*a*) medicamentis depellere fruſtrà aggreſſi ſunt, qui menſtruos ipſius circuitus non animadvertebant Medici.

Mirum prorsùs, & minimè vulgarem, deprehendi non ità pridèm ipſe in puellâ hujus ægritudinis cum Lunâ concentum. Erat illa quinque

(*a*) In Schedulâ monitoriâ.

circitèr annorum, & adeò graves miſeram torquebant convulſiones, ut conclamatum ferè non ſemel jaceret corpus. Remediis tandem ægrè ceſſit morbus. At poſt aliquot dies ingruebat denuò plena Luna, ſervantibus ſideris ejus periodos ità conſtanter paroxyſmis, ut maris æſtibus quotidiè reſponderent. Suppreſſa ſemper erat vox, & ablati ſenſus, adfluentibus ad littora aquis, refluentibus verò, ad ſe rediit ægra. Animadvertit hoc ipſius pater; habitabat enìm ad ripam Tamiſis, magiſter navigii onerarii; quocircà fluvii cursûs ſedulò ſervare ſolebat. Tam conſtans autèm ac ſtatus fuit reciprocantis mali ordo, ut de lecto non ſemel ſurrexerit parens, ad ea quæ ſui erant muneris agenda, clamoribus filiæ, ſenſum, diſcuſsâ paroxyſmi vi, recuperantis è ſomno ſuſcitatus, & de refluxu fluminis certior factus. Manſit per quatuordecim dies hæc morbi conditio, ad novam nimirùm Lunam; quo tempore è ſiccæ ſcabiei, quæ ab admoto in initio mali (utì mihi ſæpè in hujuſmodi caſibus mos eſt) occipiti emplaſtro epiſpaſtico ſummum verticem obduxerat, avulsâ cruſtâ ſubitò profluxit copiosè admodùm ſeroſus & limpidus humor. Levabat ægram diris cruciatibus hæc eruptio; quarè id magno ſtudio agebam, ut perſtaret ad longum tempus hoc è capite liquoris effluvium; & impoſitis, quæ ſuper creſcentem carnem coërcerent, cataplaſmatibus, res ex voto ſucceſſit. Cùm verò tæderet tandem hujus curæ parentes, inducta eſt ulceri cicatrix; & purgato ter quaterve, ſub novam in primis plenamque Lunam, mercurio dulci & pharmacis conſimilibus corpore, inciſus eſt in brachio ſiniſtro fonticulus, ad præcavendum aliquâ ex parte

morbi recursum; in occipitio enim, quà summa cervicis vertebra cum capite committitur, vulnus infligere (quod in rem puellæ sine dubio fuisset) per amicos non licuit, immunis tamen hoc pacto ab omni gravium symptomatum accessione ægra servata firmis viribus adolevit.

Jure fortassis quis credat ex causarum ignorantiâ, de quibus hîc agitur, evenisse, ut nullæ occurrant in immensis rerum medicarum voluminibus hujusmodi historiæ; & fore demùm, quum harum diligenter habebitur ratio, ut non rara extent consimilis συμπαθείας exempla. Interìm minimè mirum est ex Veteribus quosdam; uti Auctore Aretæo (*a*) discimus, hunc morbum ad Lunam penitùs retulisse, opinantes illam hoc mali genus sceleratis hominibus in flagitiorum pœnam immittere, & sacrum propterea ducentes.

Non autèm ab re erit hîc monere, illos *Maniacorum furores*, qui ad Lunæ circuitus revertuntur, conjuncta etiàm secum ferre comitialis morbi symptomata; id quod se perpetuò comperisse mihi non semel affirmavit doctissimus Vir, Eduardus Tyson; in nosocomio mente captorum Londini Medicus, qui idcirco hoc modo ægrotantes *insanos epilepticos* appellare soleret.

Congenerem comitiali morbo *vertiginem* dixit Galenus (*b*) unde *parvam epilepsiam* antiquitùs appellatam fuisse scriptum reliquit Cælius Aurelianus (*c*). Hoc certè huic malo cum illo convenit, ut utrumque lunares plurimùm servet periodos;

(*a*) De diuturn. morb. Lib. 1. c. 4.

(*b*) In Aphor. Hippocr. comment. III. Aphor. 17.

(*c*) De Morb. chron. Lib. 2. c. 2.

idque

idque testantur quàm plures à Pitcarnio notati casus.

Ad epilepsiam denique referendi sunt, qui *hysterici* vulgò audiunt *affectus*; quibus eò feliciùs medebitur quis, quo horum periodos diligentiùs animadverterit. Narrat casum Pitcarnius sibi notæ mulieris juvenis & nuptæ, obeso corpore; crineque rubræ; cui justò parciùs fluxerunt semper menses. Illa jam à quatuor annis questa fuerat de molesto compressionis in vertice sensu, descendente simul ad humeros usque gelido humore, cum gravi vertigine & strangulatione faucium; quin etiàm acrem pituitam ventriculo evomebat, dolore & angustiâ premebantur præcordia, urgebatque mane de lecto surgentem spiritûs difficultas; recurrebantque hæc mala ordine constanti novâ plenâque Lunâ.

Morbum recenset Carolus Piso in describendis ægritudinum historiis nulli secundus Auctor, illustris fœminæ, *cui non sine sensu suffocationis circà novam Lunam gena sinistra cum colli parte manifestum in tumorem tollebatur* (*a*). Et visam sibi memorat puellam, *quæ toto vere circà plenilunia symptomatibus hystericis percussa fuit tam pertinaciùs, ut totam Lunæ quadram durarent: nam cùm primum diem reciprocis motibus conquateretur; biduum, post ἀναυδία soporque altus eam detinebant, reliquum quaternarium quiritabatur, nugabatur, sive leviter delirabat, vigilabatque.* (*b*).

Paralyses *periodicas* observârunt non raró Medici. Oppressit virum annis gravem, ut idem re-

(*a*) De Morbis à serosâ Colluvie, Obs. 27.

(*b*) Observ. 28.

fert, cum ingenti lassitudine somnolentia; accedebant resolutio nervorum, stupor, oblivio, & quædam desipientia cum febre. *Reducebat has querelas per duos annos nova semper Luna, mitescentibus sensim symptomatibus, & extremis recursibus umbram duntaxat seu imaginem exhibentibus eorum; quæ primis periodis fuerant observata.* (*a*)

Reciprocantis membrorum tremoris insigne exemplum suggerit nobis Nicolaus Tulpius, animi candore & acri judicio commendatus Scriptor, qui integrum triennium pallidam & habitûs planè pituitosi virginem exagitavit, non assiduò, sed intermissis duntaxat vicibus, durante quâlibet periodo ad horas fermè duas, cum rauco gutture & voce suppressâ. *Circuituum autèm ordo* (sunt ipsissima Auctoris verba) *conveniebat manifestè, modò cum maris, modò cum Lunæ, modò cum Solis, motu; prout enim, horum variaret ratio, pro eo etiam, vel celeriùs, vel tardiùs, accedere & recedere reciprocantis tremoris circuitus* (*b*).

Permagni esse momenti Lunam ad concitanda ilia mulierum profluvia, quibus à *menstruis*, quas servant, *vicibus* impositum est nomen, non ex opinione vanâ, sed sedulâ observatione compertâ re, affirmârunt Veteres. Et recurrerent sine dubio universis fœminis eâdem certâ lege hæ purgationes; nisi obstarent aliæ graviores causæ, & sideris hujus viribus intercederent varia singularum victus vitæque ratio, infinitum temperamentorum discrimen, & incerta denique plurimorum casuum vis & efficientia. Certum est in regionibus propiùs ad æquatorem sitis, ubi validissimam esse

(*a*) Observ. 16.
(*b*) Observ. Med, Lib. 1. c. 12.

unarem actionem superiori capite ostensum est, copiosiùs fluere menses; in iis contrà, quæ polis sunt viciniores, cùm ibi sit debilior, parciùs. Id in borealibus in primis observavit Hippocrates (a), qui & hanc reddit in Scythicis mulieribus sterilitatis causam.

Hæc cùm sit purgaminum muliebrium conditio, minimè mirum est, si & viris quandoque eveniant periodicæ *hemorrhagiæ*. Sicutì enìm (ut brevibus rem totam expediam) major pro ratione molis sanguinis in fœminis, quàm in viris, copia in causâ est; quòd certis intervallis per peculiares meatus è corporibus earum exeat, iisque maximè, quibus, imminutâ aëris ambientis pressione, facultatem se explicandi habet aura interna; ità & in maribus, iis in primis, quorum imbecillior est natura, & infirmius fibrarum robur, si quandò nimiâ plethorâ turgescant vasa; rumpentur ea necessariò, illis potissimùm temporibus, quibus distensionem eorum minimâ vi reprimit æther externus.

Invisit me quondam generosus juvenis, infirmiore corporis fabricâ, cætera sanus, cui per sesquiannum redierat novâ constanter Lunâ sanguinis sputum; perstitit illud ad quatuor semper aut quinque dies, profluvio sensìm imminuto; quòd eò singulis recursibus sensit urgere vehementiùs quò majorem venarum plenitudinem fecerat victûs vitæque ratio.

Memorabilis est tùm morbi, tùm eventuum etiàm ratione, qui eum comitabantur, Pitcarnii ipsius casus. Is cùm in Scotiâ haud procul Edin-

(a) De aëre, locis, & aquis.

burgo ruri esset anno 1687. mense Februario, cœlo solitò magis sereno & rubente Sole, in ipso Lunæ coitu subitum habuit sine causâ manifestâ sanguinis è naribus profluvium; quod præcesserat gravis insolitæ virium imbecillitatis sensus. Postridiè autèm in urbem reversus comperit in baroscopio eâ ipsâ horâ, quæ nona fuit matutina, altiùs subsedisse hydrargyrum, quàm aliàs unquàm descendere aut ipsi, aut amico suo Gregorio, cujus in ædibus adservabatur, visum fuerat. Mortuum etiàm eodem tempore concidisse alterum amicum Cockburnium, Philosophiæ Professorem, ex repentinâ sanguinis è pulmone eruptione; & quinque aut sex alios familiaritate sibi conjunctos, qui opem ipsius quâvis ægritudine afflicti implorare solebant, diversis humoris profusionibus tentatos, cum magno suo dolore intellexit.

Duo nobis in hanc rem exempla subministrant *Regiæ* nostræ *Societatis acta.* Alterum refert Medicus celeberrimus Gulielmus Mulgrave, quod est hujusmodi (*a*). Viro cuidam, ab ipsâ infantiâ ad annum usque ætatis quartum & vicesimum profluxit plenâ semper Lunâ sanguis ex pollice sinistro, primùm quidèm ad uncias quatuor, post annum verò sextum decimum ad semilibram. Quem fluxum cùm ille, adusta ferro candente parte, inhiberet, incidit mox in gravem hæmoptoen; ex quâ, sectâ sæpiùs venâ, idoneorum medicamentorum ope difficulter demùm & ægrè evasit. Alteriûs summa hæc est (*b*). Caupo quidam Hi-

(*a*) Philos. Transact. Num. 277.

(*b*) Num. 171.

bernus, ab anno ætatis quadragesimo tertio usque ad quinquagesimum quintum, effusionem sanguinis ex indice digito manus dextræ, singulis ferè mensibus recurrentem, ad libras circiter quatuor habuit; quæ si quandò arte restringeretur, urebat brachium acerrimus dolor. Minùs quidèm cum Lunæ motu congruebant hujus quam illius mali circuitus, ob enormiorem fortassis vitæ modum, & detrimentum, quod ægri sanitati attulit immodica emissi humoris copia. Hoc ipso tamen memoriâ in primis digna est ista narratio, quod festo Paschatis, hoc est, proximo post æquinoctium vernum plenilunio, profluxit primò sanguis, quod anni tempus hujusmodi morbis maximè opportunum esse ex dictis suprà manifestum est.

Istud porrò hîc perpendere oportet, quod sellæ suæ staticæ experimentis Sanctorius, princeps hujus disciplinæ auctor, edoctus comperit. Dicit enim is, *Corpora virorum sana, & moderatissimo victu utentia, singulis mensibus fieri solito ponderosiora, unius scilicet duarumque librarum pondere; & redire ad consuetum pondus circà finem mensis, ad instar mulierum; sed factâ crisi per urinam paulò copiosiorem, vel turbidiorem* (*a*). Quapropter fiet ex eâ re necessariò, ut iis valetudinis vitiis menstruis intervallis obnoxius quisque sit, quæ à repletione ducunt originem; tùm, ut illis temporibus instet in primis ab his periculum, quibus levissimo pondere distenta vasa repellit ambiens æther; denique, ut cùm parium ferè sint virium, nova plenaque Luna, in hanc aut illam incidant

(*a*) Medicin. static. Sect. 1. Aphor. 65.

hæc morborum genera, prout opportunius est alterutri attractioni corpus, & congruit magis cum hac aut illâ sideris periodo humorum plethora.

Cùm frequens, tùm difficilis est ille mulierum morbus, quem *fluorem album* appellant Medici. Et hunc quidèm per quatuor annos novâ singulis mensibus Lunâ recurrentem, perstante semper octiduum profluvio, observavit Pitcarnius.

Incerta est ferè, & variis subjecta casibus, *ulcerum* conditio, habent tamen & hæc aliquotiès certâ lege suos humoris æstus. Eruditum juvenem memorat G. Baglivi, ingenii minimè vulgaris, *cui, cùm laboraret fistula stercoraceâ in intestino colo prope jecoris regionem, crescente Lunâ ingens stercorum humorumque copia ex ulcere prodibat, quæ paulatim eâdem decrescente minuebatur; cujus rei ità certam habebat experientiam ægrotus, ut de Lunæ quadraturis & periodis solâ humoris per fistulam excreti observatione ritè judicaret* (*a*). In memoriam autèm mihi revocat hæc narratio adolescentis cujusdam infortunium, qui à venereo cum impurâ muliere coitu sensit primùm in dorso dolorem, in femoribus verò gravitatem cum imbecillitate ad motum per quatriduum. Natum inde est in ipsâ colis glande ulcusculum, è quo profluxit pus mali odoris. Intrà septimum diem desiit sponte suâ ille fluxus; at novâ Lunâ revertebatur denuò, perstante per menses aliquot hâc mali conditione, usque dùm idonea adhiberentur remedia, quibus tandèm penitùs cessit.

Renum *dolores* per lunaria intervalla recipro-

(*a*) De experiment. circa sanguinem, p. m. 242.

cantes animadvertet non rarò, quiſquis æquam horum habuerit rationem. Morbum deſcripſit N. Tulpius *Henrici Ainſworthi*, *Theologi Britanni*, *apud Amſteladamenſes*, *cui ſupprimebatur urina*, *quolibet fermè plenilunio*, *cum inſigni anguſtiâ*, *& evidenti totius corporis incendio*, *ad diem quartum. Neque excernebatur illa iterùm*, *niſi vel declinante Lunâ*, *vel ſectâ brachii venâ* (*a*). *Et periodicum capillorum mictum*, *quolibet decimo quarto die revertentem*, *cum inſigni urinæ difficultate*, *& tantâ perturbati corporis inquietudine*, *ut vix in cubili ſe contineret æger*, ſimul ſe vidiſſe retulit (*b*).

Caſum hiſce ferè contrarium memorat Thomas Bartholinus, qui cum cæteris Medicis Hafnienſibus convocatus erat ad Bullichium, urbis tunc temporis Præſidem. *Laboraverat*, inquit, *ſuperioribus* annis diabete ſpuriâ, ſingulis menſibus recurrente, cum dolore poſt nephriticos cruciatus; quodque mirati ſumus, inſtante plenilunio, duodecim menſuras aquæ, ſeu viginti quatuor libras, minxit, quanquam vix tertiam partem uniûs menſuræ biberit (*c*).

Inſpexi nuper ſectum pueri quinquennis cadaver, cui mortem acceleraran t graves nephritidis cum vomitu & alvi fluxu acceſſiones. Oppleti ſunt tùm renes, tùm ureteres, materiâ calculosâ, quam varias hìc illìc cernere erat formas concretionis induiſſe. Primum mali fundamentum erat aqueus & limpidus humor, qui paulatìm lacteſcens in tenues & ramoſas cryſtallos abiit, quibus in unum coëuntibus acceſſit tandèm lapidea

(*a*) Obſerv. med. Lib. II. cap. 43.
(*b*) Ibid. cap. 52.
(*c*) Acta Med. & philoſoph. Hafnienſ. V. I. Obſ. 5.

durities. Affirmavit mihi Greenveltius, harum rerum apprimè gnarus Medicus, qui confectum his ærumnis misellum sæpiùs inviserat, comperisse se plenam per aliquot menses Lunam attulisse semper diros ægro cruciatus, quos elapsus plerumque per iter urinæ unus aut alter lapillus levabat.

Et quoniàm in renum mentionem incidi, libet infortunium referre adolescentulæ cujusdam mihi notæ. Erat illa annorum quatuordecim, vultu satis venusto; à pueritiâ verò id incommodi passa fuerat, ut die semper uno aut altero ante plenam Lunam pallida fieret, & demissis viribus melancholica, sponteque suâ in somnis urina proflueret largâ copiâ. Perstitit autèm fluxus singulis noctibus ad quinque aut sex dies, quibus transactis, redibat iterùm faciei rubicundus color, & consueta animi alacritas. Nihil hîc valebant medicamenta omnia, quæ vi fibras astringendi pollere solent, usque dùm, factis ritè biduo aut triduo ante accessionem ægritudinis exinanitionibus, virtuti lunari occurreretur.

Menstruos sæpè habere recursus *spiritus difficultates* experientiâ didicit vir subtilis ingenii Helmontius. *Exacerbatur*, inquit, *asthmatis paroxysmus Lunæ stationibus & ævi tempestatibus, quas ideò præsentit & præsagit* (*a*). Confirmat hoc ipsum Joannes Floyerus, Eques eruditus, qui in describendâ hujus morbi historiâ cæteris omnibus palmam præripuit. Deprehendit autèm ille *quatuordecim dierum intervallo reverti plerumque has anxietates, & Lunæ circuitibus consentire* (*b*).

(*a*) Asthm. & Tuss. § 22.

(*b*) Treatise of the Asthm. pag. 17.

Insolitum & rarum lunaris facultatis effectum memoriæ prodidit, doctrinâ studioque pariter laudandus, Kerchringius. Nota ipsi erat matrona quædam Galla, *quæ tempore Plenilunii facie prædita erat rotundâ, & sanè quàm formosâ; sed decrescente Lunâ, oculi, nasus & os in unam partem vertebantur, ità ut deformis admodùm in publicum prodire non sustineret; donec, crescente iterùm sidere, rediret & ipsa paulatìm ad suum Plenilunium, & formæ suæ venustatem* (*a*). Hoc si cui mirum videtur, referenti auctori fidem faciant comperta vulgo in conchyliis, & multis animantium generibus, consimilis virtutis exempla. Nam, ut cecinit olim Lucilius, sapiens Poëta:

Luna alit ostrea, & implet echinos,
muribu' fibras,
Et pecui addit (*b*):

Et post hunc Manilius:

Si submersa fretis, concharum & carcere clausa,
Ad Lunæ motum variant animalia corpus (*c*).

Multis impedita difficultatibus, & arduæ disquisitionis, est de *Crisibus in morbis acutis* doctrina; itaque operæ pretium erit, numquid ad hanc explicandam conferat nostra disputatio, paulò diligentiùs investigare. Magnum habere momentum ad medicinam rectè faciendam dierum criticorum considerationem putârunt semper Veteres, & ad horum rationem distinxerunt febrium tempora. Obsoletum verò jam est hoc studium, & irridet, aut supervacaneam ducit, Medicorum vulgus omnem de hisce quæstionem; idque dua-

(*a*) Observationes Anatom. 92.
(*b*) Apud Aulum Gellium Lib. XX. cap. 8.
(*c*) Astronomic. Lib. II. v. 93.

bus potiſſimum de cauſis, quantum ego conjectari poſſum.

Primùm enìm in Orientalibus & calidis mundis plagis primæ, quæ hanc artem effecerunt, habebantur obſervationes; quæ cùm in borealibus & frigidioribus regionibus ad uſum reducerentur, nullâ habitâ locorum diſcriminis ratione, fefellerunt non raro Medicorum opinionem, nec ad ſpem reſpondit eventus. Deinde ex paucis remediis conſtabat antiquitùs Medicina, neque aliam febribus adhibere curam moris erat, quam quæ tenui victu vim & ferociam morbi aliquatenùs reprimeret. Naturæ enìm miniſtros ſe præbebant Medici, & hanc ſequentes ducem, ad varios humorum in corpore motus animum advertebant ſedulò. Poſtquam verò in diverſas curandi vias proceſſerunt hujus atque illius ſapientiæ profeſſores æmuli, & ex opinionibus magis, quàm natis experientiâ monitis, res agi cœpit, nullus relinquebatur iis præceptis locus, quæ à priſcâ medendi ratione pendebant; cùm non uno modo torquerentur jam ægri, & incertum ſæpè eſſet, quinam ab ipſo morbo ducerent originem dolores, quoſve afferrent ingeſta perverſo more pharmaca.

Quo certiùs itaque conſtet, quibus præcipuè innixa ſit fundamentis hæc Antiquorum diſciplina, & ad quam normam exigere obſervationes ſuas debeat, quiſquis eorum hac in parte ſtudium æmulari exoptat; pauca quædam in medium proferenda ſunt, poſtquàm nonnulla, quæ ad hanc rem faciant, ſim præfatus.

Febres igitur *epidemicas* vitio ambientis nos aëris oriri certiſſimum eſt; ideòque conſentaneum

videtur, ut singulis suis temporibus à virtute lunari, quæ hunc afficit, illæ mutationes subire possint. Rem hanc illustrabunt maximè, quæ scripsit is, quem suprà laudavi, *Ramazzinus* in Commentariis suis lectu dignissimis, *de Constitutionibus annorum MDCXCII. MDCXCIII. & MDCXCIV. in civitate & agro Mutinensi*, Mutinæ editis. Tribus illis annis continuis sæviebat illìc febris valdè pestifera, ex illarum scilicet genere, in quibus cutis maculis purpureis interstinguitur. *Observatione verò*, inquit, *dignum fuit, quod post plenilunium, ac multò magis silente Lunâ, ferociebat hæc febris, quæ posteà ad novum ejusdem lumen mitescebat; nec meâ tantùm, sed aliorum quoque Professorum constans fuit observatio, quod non parùm contulit ad hujus febris prognosin & curationem.*

Exactissimum autèm fieri Lunæ coitum cùm Sol deficit; perfectissimam verò oppositionem in Lunæ defectu, notissimum est; idcircò minimè mirum erat, quod eidem scriptori ità videbatur, cujus sequentia sunt verba: *Admirandum certè fuit, quod diè 21. Januarii MDCXCIII contigit. Facta enim per noctem lunari eclipsi, major pars ægrotantium obiit, & eàdem horâ, quâ nimirùm Luna laborabat; quin & nonnulli repentinâ morte occubuêre.* Appositissima etiàm ad hanc rem est narratio quædam doctissimi Ballonii, qui *convenisse*, ait, *Medicos aliquot Parisienses, ut de salute illustris cujusdam fœminæ deliberarent. Dùm consulitur, instabat Solis defectus; abeunt ab ægrâ, ut cœlum contemplentur, nihil tunc imminentis mali prævidentes, imò ne suspicantes quidem; illicò verò ad illam revocantur, eo ipso temporis puncto, quo*

defecit Sol, animâ deficientem. Et mirabantur omnes eam non antè ad se rediisse, quàm astro redierat luminis sui splendor (*a*).

Nullus dubito, quin si ea, quæ de vi lunari dicta sunt, Medicis essent cognita, longè plura in historiis morborum epidemicorum hujusmodi exempla occurrerent, quàm hodie invenimus. Unum quod viri, cui contigit, dignitas magis notabile facit, commemorabo. Is erat Franciscus Baconus, Baro Verulamiensis, qui ingenio & industriâ admirabilis, primus apud nos ad sapientiæ studium rectam viam aperuit. Huic autèm tanto viro unà cum egregiis mentis dotibus illam valetudinis infirmitatem tribuit natura, ut quoties Luna deficeret, animi deliquium semper pateretur; cùm ipse de tam subitæ virium privationis causâ nihil præscivisset, aut quidem cogitasset, neque unquàm ad se rediret, donec sideri lumen suum esset redditum (*b*).

In eclipsi autèm illâ memorabili, quâ anno MDCCXV. die Aprilis 22. Sol tribus sexagesimis horæ partibus, harumque viginti tribus sexagesimis, totus hic Londini obscurabatur, multos variis morbis oppressos se pejus habuisse compertum fuit; quod cùm vulgò mirum videbatur, causam aperire mihi facile erat. Manè enìm in speculam Regiæ Societatis cum Halleio & aliis quibusdam Astronomis ascendens, ut ea quæ tàm in cœlo quàm in æthere nostro fierent, prospectarem, auroram lucidissimam cœlumque maximè serenum esse percepi. Postquàm autèm Luna

(*a*) Epidem. Lib. pag. 48.

(*b*) Vide Rawley's Life of the R. H. Francis Bacon. lord Verulam, &c.

Solis lumen nobis omninò eripuerat, dies derepentè in noctem mutata est; frigusque insolitum & humidum, quod horrorem incutiebat, tenebras adportasse sentiebamus omnes; quin & naturæ vultu quasi mœrore ac tristitiâ obducto, territæ circumvolitabant volucres, & in campis patentibus attonita stabant armenta & pecora. At verbis describi nequit, quanto gaudio perfusa apparerent omnia, cum subitò & tanquam ex inesperato Sol, tenebris victricibus suis radiis depulsis, nitido fulgore diem reddebat. Concurrit non sine clamoribus & plausu in vicis populus, sibi gratulans reviviscentem mundum, qui modò interiturus videbatur. Mihique sanè nunquam anteà licuit, neque posthac, ut opinor, licebit unquàm, spectaculo tam jucundo oculos simul ac mentem oblectare.

Ut ad febres autèm redeam, repentinas ejusmodi in aëre mutationes, quæ corpora etiàm sanorum afficiunt, infirmis, & acuto morbo jam laborantibus, pro certo nocere res est manifestissima. De iis igitur sat dictum sit, si adjecero tantùm *Pestem*, quæ omnium est dirissima, virtutem hanc lunarem sentire etiàm deprehendi. Experientissimus sanè Auctor, Diemerbroeckius, qui morbi hujus anno MDCXXXVI. Noviomagi grassantis indolem & progressus diligentissimè descripsit, *circa novam plenamque Lunam exacerbatam semper fuisse luem, eoque tempore & plurimos morbo correptos fuisse, illosque ferè omnes occubuisse*, observavit (*a*), plura his adjici possent; sed cùm in re satis apertâ nihil opus esse videatur, quæ de crisibus adhuc dicenda restant, jam peragam.

(*a*) De Peste, pag. 9. *Edit. Lond.*

Primò igitur, habent morbi omnes ἐπιδήμιοι, sive qui in populum sæviunt, sua quique certo ordine distributa tempora, quibus increscunt, consistunt, & ad sanitatem inclinant. Constantes adeò & perpetuæ sunt horum leges, ut, quoties à cœli statu oriuntur febres, quarum accessiones in plerisque sine intermissionibus urgent, si modò contingat has quâvis de causâ in aliis per circuitus redire, pensentur semper paroxysmorum numero cessantis morbi intervalla, ità ut parem mensurâ ægritudinem sustineant utroque modò laborantes. Id ipsum solâ experientiâ comperit in morborum historiis indagandis solertissimus Sydenhamus (*a*), qui hac de causâ sex menses durare quartanas autumnales animdvertit: quoniàm, si ritè ponatur calculus, inter omne id tempus recurrentes accessiones horas complent 336. sive dies 14; qui quidèm continuarum febrium, quas eadem anni tempestas apportat, terminus est. Neque discrepat ab hac ratione Galeni observatio, ideò nimirùm septenos habere circuitus exquisitam tertianam, cùm legitima continua intra septimum diem desinat, *quia unum conficiunt diem singuli paroxysmi* (*b*): hoc est, dispar licet sit hujus & illius morbi conditio, æquale tamen esse, quo corpus ab alterutro tenetur, temporis spatium. Causa autèm, cur istud ità eveniat, sequens observatio ostendet.

Secundò, itaque fermentatur in hisce malis sanguis, neque defervescit, usque dùm per organa secretionis, prout his aut illis magis accom-

(*a*) De Morb. acut. p. m. 95.

(*b*) Comment. in Aphor. Hippoc. Lib. VI. Aph. 59. & de Crisib. Lib. II. c. 6.

modatus est humor, foras derivatæ fuerint plurimæ, quæ morbum creârant, particulæ.

Tertiò, ſicuti ſuis quique temporibus defæcantur, qui fermenteſcunt, liquores; ſic definitum habet ſpatium, quo depuratur à fermento, vitale fluidum.

Quartò, non eodem perpetuo tenore curſum ſuum peragunt, quæ conjuncta ſecum fert hæc ſanguinis efferveſcentia ſymptomata; illa verò eorum ratio eſt, ut certis in primis diebus adeò manifeſta ſui prodat indicia morbus, ut ex iis non difficile ſit, felicem an infauſtum exitum habitura ſit ægritudo, conjecturâ augurari. Hâc perſpectâ febrium conditione, dies, qui morte aut ſanitate morbum plerumque finiebant, *decretorios*; quibus verò ſpei aut periculi notæ præcipuè oſtendebantur, *decretoriorum indices*, Veteres appellare ſolebant.

Et hactenùs quidèm non erat conjecturalis hæc ſcientia, adjuncta verò demùm probis obſervationibus perverſa ratiocinia magnis implicuerunt dubiis eam quæſtionem. Neſcivit Hippocrates iſtius morborum acutorum naturæ cauſam, quâ ægrum plerumque liberat dies ſeptimus, quartus decimus, aut unus & viceſimus. Famâ inter alias eminebat illis temporibus Pythagoræ ſchola, cujus magna ſcientiæ pars in harmoniâ & reconditis numerorum myſteriis poſita fuit; impares paribus efficaciores habebantur, ſumma verò tribuebatur ſeptennario potentia. Has Philoſophi opiniones ità ſequebatur divinus in medendo vir, ut recidivam timeret, ſi pari die deſiiſſet febris (*a*); & decimum quartum, aut etiàm unum & viceſi-

(*a*) Aphor. ſect. 4. 36.

mum diem exſpectaret, niſi ſeptimus morbô finem feciſſet; quoniam multùm poteſt, tùm in ægritudinibus, tùm in partu edendo, numerus ſeptenarius (*a*). Cùm autèm certum eſſet ſolvi interdùm febre laborantes die ſexto, aut octavo; ſine periculo recursûs, has rationes ut vanas repudiavit Aſclepiades (*b*); & jure dixit Celſus, in his quidèm antiquos tunc celebres admodùm Pythagoricos numeros fefelliſſe (*c*). Iſto igitur animadverſo errore, Galenus feliciùs longè in hac diſquiſitione proceſſit, nec ab imparium dierum efficaciâ ducere originem cenſuit febrium acceſſiones & criſes; ſed à Lunæ facultate, quæ terreſtribus imperat, & cætera vincit ſidera, non potentiâ, ſed vicinitatis virtute (*d*). Habent itaque, ſi ipſius auctoritatem ſequi velimus, circuitus ſuos, quibus ſeptem dierum intervallis accedunt, & inclinant, morbi acuti à curſu Lunæ; *quæ ſingulis hebdomadibus, cùm nova nimirùm, dimidium, vel plena eſt, viribus pollet maximis* (*e*). Ex hiſcè manifeſtum eſt Galenum cauſam, quæ paroxyſmos febrium immutet, ritè animadvertiſſe; at modum, quo hæc effectum parit, non fuiſſe conjecturâ aſſecutum. Summa autèm rei hæc eſt.

Criſis eſt materiæ morbum facientis per hos aut illos corporis meatus expulſio; quæ ut cùm ægri ſalute peragatur, eatenùs illa comminuenda & digerenda eſt, quoad permeare & tranſire

(*a*) De ſeptimeſt. Partu.
(*b*) Vide Celſum, Lib. III. cap. 4.
(*c*) Ibid.
(*d*) De diebus decretor. Lib. III.
(*e*) Ibid.

poſſit

possit per ora glandularum ad quas appellit. Idcircò, sicutì perfectissima sit sudoribus febris solutio, tùm quòd natura cæteris omnibus plus liquoris expuant subcutaneæ glandulæ, tùm quoniàm per angustissimos harum tubulos non alius quàm tenuis & probè concoctus humor percolari queat; ità maximo cum periculo morbum finit sanguinis fluxus, quippe qui indicat eam esse mali indolem, ut per nullas corporis vias defæcari possit sanguis, qui proindè effervescentiâ suâ canales dirumpit. Mediam autèm hìc conditionem habent geniti in illis partibus abscessus, per quas crassi & tenaces expurgantur succi.

Certum est igitur, si modò in novam plenamve Lunam incidat tempus, quo aut à defervescente sanguine foràs pellitur noxius humor, aut profusionem minantur ultrà modum tensi ab æstu febrili canaliculi; eò faciliorem & pleniorem fore morbi crisin, quòd minore tùm vi, corporis superficiem urgeat, & fluidorum impetum reprimat circumfluus æther. Quinetiàm fieri potest, ut ob variam hujus causæ rationem hodiè interdùm peragatur, quam pro more & conditione ægritudinis crástinus dies apportare deberet, febris solutio; aut in posterum diem contrà differatur, qui hodiè sperandus esset morbi terminus: cùm acceleretur motus naturæ à facultate Lunæ, & hujus ope nonnunquàm indigeat ad amovendum aëris obstaculum solitò debilior animalis machina. Idcircò sexto, quandòque, quandòque & octavo, utì observavit Hippocrates, solvetur morbus, cujus circuitum septimus in plerisque dies definit.

Convenit itaque, si lunaris virtutis in hisce casibus momentum perpendere velimus, tempus;

quo primum invasit morbus, diligenter notare; hujus deinde indolem, & quo secretionis genere salutem ægri moliri soleat natura, probè nosse, neque nimiâ sedulitate, præsertìm sub finem ægritudinis, humorum motus turbare; laborantis denique vires æstimare atque expendere. Si quis eas in faciendâ Medicinâ leges servaverit, comperiet sine dubio, non novam solùm plenamque Lunam; sed & sideris hujusce ad meridianum cœli fastigium, aut huic oppositum locum, accessionem ad immutandum corpus animale vim afferre maximam.

Ad summam, non Philosophi solùm, & naturalis historiæ conditores, multis in rebus vim hanc lunarem observant; sed & ipsum vulgus longo usu ejus rationem habere didicit. *Nullum animal nisi æstu recedente expirare*, referente Plinio (*a*), memoriæ olim prodidit Aristoteles. Partus & mortes hominum novâ plenâve Lunâ maximè contingere etiam mulierculis notum est. Agricolæ in arborum sationibus & culturâ, multisque aliis negotiis, Lunæ circuitibus labores suos accommodant. Tam latè terrâ marique patet lunare Imperium.

(*a*) Histor. Nat. Lib. II. cap. 98.



CAPUT TERTIUM.

Quo, quantùm momenti ad Medicinam rectè faciendam hujusmodi observationes afferant, ostenditur.

AD usum tandem, quem nobis in medendo præbeat hæc disquisitio, transeundum est. Et is quidem non foret nullus, si ad accessionum & eventuum prædictiones in Morbis solummodò spectaret; quià hujusmodi judicia & Medico conciliant honorem, & ægrorum spem ac fiduciam confirmant. At enim majus hinc emolumentum consequamur, quandoquidem Morborum etiàm curationem ab hisce ratiociniis promoveri ostendam. Et primùm quidèm, quod magìs generale est, dicam; ut ad ea, quæ de singulis observanda restant, sternatur via.

Satis itaque constare arbitror, morbos omnes, quorum circuitus Lunæ periodis respondent, ad repletionem esse referendos. Cùm enìm actio lunaris per solam vasorum distensionem effectum sortiatur, liquet hanc plenitudine tantùm augeri; quæ, sive moli fluidorum, sive eorundem turgescentiæ debeatur, idem valet. Ideòque in omni malo per singulos menses semel aut iterùm recurrente, quod à Lunæ potestate vires acquirit, usui erit exinanitio; quæ si non medelam, at levamen saltèm morbo feret. Quoniam verò in hoc remedio ægritudinis genus, modusque & tem-

pus detractionis, in primis ſpectanda ſunt; quædam de his omnibus tenenda erunt præcepta.

Oportet ergò primùm expendere, nùm in arteriis hæreat cauſa morbi; an liquorum vitio, qui è ſanguine derivantur, in partem quamvis corporis principem transferatur. In priore caſu plus miſſioni ſanguinis; in poſteriore plus medicamentis, quæ errores ejuſdem emendent, tribuendum erit. Prætereà, cùm, experientiâ duce, materiam per vias, quas monſtrat natura, tutiſſimè demi diſcamus; per quos meatus in quovis malo ſponte fiant ægrotantis purgationes, diligenter animadvertere oportebit. Deinde, tempus detractioni in pleriſque caſibus paulò ante acceſſionem mali erit maximè opportunum; cum hoc modo non ſolùm venienti morbo occurratur, ſed & turgeſcens materia faciliùs & copioſiùs è corpore erumpat. Sed de his melius fiet judicium, ſi quædam ad morborum, quos ſuprà recenſui, curationem ſpectantia breviter eodem ferè ordine priùs expediam.

Incipiam igitur à *morbo comitiali*, qui cùm in adultis ſit curatu difficillimus, in pueris tamen haud ægrè levamen recipit. Et quantùm præter alios detractionis modos hic valeat ſeroſi humoris è capite per emplaſtrum veſicatorium occipiti ad motum depletio, ex eo, quem ſuprà retuli, caſu manifeſtum eſt (*a*): qui cùm fidem facit Panarolo affirmanti ſe, *veſicante ſuturæ coronali appoſito, puerum ſeptennem, aphonum, ſtolidum, & epilepſiæ obnoxium, ſanitati reſtituiſſe* (*b*); tùm

(*a*) Pag, 39.

(*b*) Obſ. med. Pentecoſt. IV. Obſ. 30.

etiam Celsi consilium confirmat, suadentis in hujus morbi insultibus *occipitium incidere, & cucurbitulas admovere, ferro candente in occipitio quoque, & infrà, quâ summa vertebra cum capite committitur, adurere duobus locis, ut per ea perniciosus humor evadat* (*a*). Occupat enim cerebrum in plerisque his ægritudinibus malum; quod sicuti in infantibus plenitudini, & sanguinis nondùm exercitiis & pulmonis actione subacti lentori; ità in ætate provectioribus copiæ humorum, delapsibus ab alto, aut subitis terroribus, ortum sæpissimè debet. Si quid hic adversùs gravissimum valetudinis genus à medicamentis, quæ fluidorum vitium corrigunt, præsidii est: id vel à cinnabari nativâ, vel in primis à radice valerianæ sylvestris, antequàm caulem edat, in pulverem tritâ, & frequenter idoneâ quantitate adhibitâ, expectare licebit. Utriusque laudabiles dotes non semel sum expertus, & de hujus præsertìm virtute consulendos velim, tùm laudatum modo Panarolum (*b*), tùm Fabium Columnam, eruditum & herbarum scientiâ nulli secundum auctorem (*c*). Istud verò meminisse oportet, à causis tàm variis, & in temperamentis corporum adeò inter se dissimilibus, oriri hunc morbum, ut fallat sæpè in hoc, quæ in illo respondet, medicina; aliam igitur atque aliam experiri interdùm convenit, præsertìm in ætate provectioribus. Habenda tamen semper est ratio temporum, quibus reverti solet malum, ut illi opportunè occurratur.

His etiam remediis cedit *vertigo*. Vomere au-

(*a*) Lib. III. cap. 23.

(*b*) Obs. med. Pen. 1. Obs. 33.

(*c*) Phytobas. pag. 120.

tèm oportet interdùm ægrum, admotiſque capiti aut cervici emplaſtris epiſpaſticis humor noxius foras eſt ducendus. Oculorum eſt hic morbus, & à tenſis ultra modum extremis arteriolis, uti ex theoriâ Bellinianâ manifeſtum eſt, trahit plurimùm originem; unde ſi Lunæ circuitibus conſentiat, minimè mirum videri debet.

Neque multùm diſpar eſt *affectuum hystericorum* cura. Verùm hi ſanguinis miſſionem rarò ferunt, & alvus quoque cautè ducenda eſt. Utilior longè eſt vomitus, ſub tempus præſertìm ingruentis mali; ſin autèm jam invaſit, optimè diſcutiunt in pilulis ſumpta gummi ammoniacum, viroſum caſtoreum, ſal ſuccini, & conſimilia, quæ Spiritus reficiunt, pharmaca. Accommodanda eſt tamen in pleriſque his caſibus vitæ conſuetudini mulierculàrum, & animi præſertìm affectionibus, medicina.

Menſtruas recursûs vices ideò ſervat quandoque *Paralyſis*, quia à capite plerumque incipit hic morbus: extrà canales nimirùm propulſo latice ſeroſo, qui pro varietate locorum, in quæ depluit, hujus aut illius partis nervorum reſolutionem parit. Hinc fit, ut apoplexiam ſæpiſſimè ſubſequatur, hic affectus, interdùm utroque, interdùm altero tantum, reſoluto corporis latere. Si quandò autèm à læſis extrinſecùs nervis, aut natis intùs tumoribus, oritur hujuſmodi imbecillitas, illa certos circuitus non habet. Utile hic erit poſt exinanitionem redundantis pituitæ, quàm feliciſſimè pleriſque in caſibus abſolvunt alvi dejectiones, revertenti malo occurrere; idque non ſolùm medicamentis, quæ frigidos & tenaces humores extenuant, qualia ſunt radix raphani ruſti-

çani, valerianæ ſylveſtris, ſemen ſinapis, & ſi quæ ſunt his ſimilia; ſed & crebrâ corporis in aquam frigidiſſimam demerſione, ſi vires nimirùm & ætas id ſinant: non paritèr enìm ſenio confectis, ac juvenibus, prodeſt hæc medicina; quæ cùm fibrillas relaxatas conſtringat, & urinam ſimul moveat, utroque modo iſti valetudini eſt aptiſſima. Eâ de causâ Veteres, uti Auctor eſt Cælius Aurelianus (*a*), ſic laborantes aut natare cogebant in mari, aut decurrentibus ab alto aquis partes infirmas aliquandiu ſubjicere; ob majus ſcilicet aquæ marinæ quàm dulcis pondus, & acriùs delabentis præcipiti curſu rivi quàm ſtagnantis laticis frigus.

Morbum, quem *Choream Sancti Viti*, appellat vulgus, convulſionis quandam ſpeciem eſſe dicunt plerique Medici; mihi verò paralytica potiùs affectio videtur, à reſolutione muſculorum orta, qui cùm artus moturi ſunt, impares officio imperfectis conatibus eos concutiunt & exagitant. Leve autèm plerumque id malum eſt, & imbecilles, eoſque, quibus tenerior eſt à naturâ corporis habitus, infeſtat; puellas magis, quàm pueros & rariſſimè adultos. Idcircò mihi nunquam difficile fuit frequentibus in frigidam demerſionibus, & medicamentis ex chalybe paratis, illud penitùs depellere.

Quod ad *fluoris menſtrui* in mulieribus vitia attinet, id ſeriò perpendendum eſt; uti plurimùm cauſam habet nimia profuſio in acrimoniâ ſanguinis, ità ortum ſæpiſſimè trahere menſium retardationem ab ejuſdem lentore. Rariùs autèm

(*a*) Chronic. Lib. II. cap. I.

ob humoris paucitatem supprimitur hic fluxus; tam mirabili artificio ad salutem singularum, & generis propagationem, pariter necessariæ purgationi prospexit & consuluit Sapientissimus rerum Conditor. Quocircà, sicuti in immodico profluvio habenda est ratio temporum, quibus facilimè ferventem humorem canales suos dirumpere expositum fuit; ut, cum illa instant, misso quàm longissimè inde, ubi protumpit, sanguine, avertatur materiæ cursus: ità, quoties menstrua non provenientia venæ incisionem desiderant, servanda est inprimis Lindani cautio, quam ab Etmullero (*a*) commendatam explicuit, & ingeniosè demonstravit vir doctissimus Joannes Freind (*b*). Porrò cùm efficacissimè liquoris arteriosi effervescentiam, quâ distenduntur vasa, reprimat & compescat cortex Peruvianus; maximè juvabit, si quandò larga nimis timetur effusio, paucis aliquot ante imminentem accessionem diebus creber nobilis istius medicamenti usus.

Hæc eadem & in aliis omnibus, quæ certis intervallis recurrunt, *hæmorrhagiis* tenenda sunt; petito simul ab iis pharmacis auxilio, quæ dilatatas ultrà modum fibras restringunt & coërcent; inter quæ principem habere locum alumen igne liquatum, commistâ succi illiûs concreti, quem *sanguinem draconis* appellant, quartâ parte, experimentis quamplurimis deprehendi.

Illud verò, ut hîc moneam, necesse est; tantam nimirùm esse in hujusmodi casibus Lunæ fa-

(*a*) Tom. II. pag. 1017. edit. ult.

(*b*) Emmenolog. pag. 193.

cultatem, ut, suppresso interdùm, qui ab unâ parte fertur, sanguine, is ex aliâ, extremis canaliculis diruptis, exeat. Id accidit generoso juveni, cujus morbum suprà retuli (*a*). Cùm enìm sanguinis ex pulmone singulis mensibus prorumpentis sputum represserant laudata modo medicamenta, patiebatur is dictis temporibus ejusdem ex naribus fluxum; à quo tamen, cum malo jam princeps pars esset immunis, nihil erat metuendum periculi.

Pari etiam ratione contingit hoc quadrupedibus, quæ per menstrua purgantur; etenim novâ plerumque Lunâ profluvium iis incidere observatum est. Id equabus in primis ac simiis usu venit; atque his sanè adeò constanti ordine, ut Ægyptii olim, uti restis est Orus Apollo, *non solùm pro Lunâ cynocephalum pinxerint, ob consensum quendam, quo ad Lunæ cum Sole coitum afficitur hoc animal, misso nimirùm fœminæ è genitali vase sanguine; sed & in sacris simias nutriverint, ut ex ipsis conjunctionis Solis & Lunæ tempus cognosci posset* (*b*). Certa itaque se produnt in omnibus animantium generibus imperii lunaris indicia, modo constans & æquabilis victûs ratio, sideris virtuti corpus opportunum reddat.

Hæc qui intellexerit, quâ necessitate menstruos etiam interdùm servet circuitus *fluor albus*, perspiciet, præsertìm si hunc humorem profundant vasa uterina; modò enìm ex his, modò ex glandulis, quibus consita vagina est, erumpit tetra colluvies. In illo casu, fluentibus mensibus,

(*a*) Pag. 48.

(*b*) Hieroglyphic. Vid. Gesner. De Simiis.

ſupprimitur profluvium; in hoc etiàm, cùm in menſtruis eſt mulier, perſtat adhuc, & vel in utero geſtantem excruciat.

Neque diſpar admodùm eſt *ulcerum* ratio, è quibus cùm ſanies jugitèr exeat, minimè mirum eſt, ſi largiorem ejus effuſionem faciant jam memoratæ cauſæ; illis maximè in partibus, ubi laxior & facilè cedens corporis compages vix ullâ vi canaliculorum diſtenſioni reſiſtit. Hinc à capitis vulneribus graviſſimum imminere novâ plenâque Lunâ periculum, eſt compertum.

Nephriticos dolores haud feliciùs quis lenire aggrediatur, quàm detracto primùm è venis ſanguine. Neque profectò inutile erit illis, qui hiſce cruciatibus tentantur, per quæ intervalla recurrant paroxyſmi obſervare; & quo tempore maximè periclitantur, vaſorum depletionem moliri. Illud enìm conſtat, compreſſionem anguſtorum in renibus meatuum à minimarum arteriolarum plenitudine malum hoc fovere, quàm augere ſemper novam plenamve Lunam extrà dubium eſt. Unde mirari ſubiit aliquoties, hiſtoriarum medicarum Scriptores totos eſſe in *præcipitandis* (ut ipſi loqui amant) in tubulos renales *arenulis*; cùm ex inciſione cadaverum didicerim, ſicut antè memoratum fuit, primam concreſcentis calculi materiam eſſe limpidiſſimam in carunculis, per quas diſtillat urina, ſerum; quod in lapidem dureſcere poſſe, nemini mirum erit, qui ſalium fluidorum vires attrahendi, motuſque in anguſtiſſimis canalibus impediti effecta cognoverit. Hinc fit, ut, dato ſubinde mercurio dulci, plus proficiamus in morbo hoc incipiente, quàm quibuſvis urinam moventibus medicamentis; quod

à nobili isto Pharmaco tenuium vasorum obstructiones reserantur, & quæ has plerumque sequitur, salsorum humorum prohibetur cohæsio. Quinetiam experientia quotidiana docet, his, quibus renes sunt affecti, medicamentorum, quæ urinam movent, nimis frequentem usum plurimùm nocere. Quod non satis animadvertunt ii Medici, qui fallaci remedio, ab aniculâ ad bonum publicum, si diis placet, insano pretio redempto, calculosorum cùm stomachum, tùm renes & vesicam, lædere sustinent.

Cum his, quos *spiritus* premit difficultas, vis lunaris, tàm ob minorem ætheris in pulmonem ducti portionem, quàm ob majorem vasorum sanguinis dilatationem noceat; tristissimo malo omni ope, ut sanguinis missione, leni vomitione, alvi liquatione, interdùm & purgatione, subvenire oportet. Cavendum est autèm, maximè sub tempora impendentis ægritudinis, ab illis omnibus, quæ sanguinis impetum & fervorem concitant; urget enìm in hujusmodi anxietatibus febricula; quam calidis cibis, aut medicamentis, incendere nefas est. Unde *clamoribus, iracundiâ anhelis abstinendum esse* monuit Hippocrates (*a*). *Et æstate sæpiùs ac sæviùs, quàm hieme, infestare asthmatis accessum* observavit Helmontius (*b*). Hâc de causâ præter ea quæ dixi, multùm hîc valent illa remedia, quæ refrigerant simul humores, & urinam pellunt: qualia sunt acetum, in quo infusa sit scillæ radix; acidus nitri spiritus; aqua fumo sulphuris saturata, quam *gas sulphuris* vocant

(*a*) Epidem. Lib. VI. sect. 4.
(*b*) Astm. & Tuss.

Chemiæ Auctores; & alia id genus plurima, à Floyero jam laudato recensita.

Iis denique, quæ de *crisibus in morbis acutis* superiùs sunt dicta, unum hîc operæ pretium erit adjicere. Quanquàm enìm sedulò cavere oportet, ne, instante morbi solutione, tumultus in humoribus creentur; fieri tamen posse, ut necessarium sit hoc ipso tempore exinanitionem aliquam moliri, censendum est; idque præsertìm si summa forte urgeat corporis excandescentia, quæ nimiâ agitatione omnia turbans secretionibus è sanguine faciendis impedimento sit futura. Ipsa igitur sanguinis missio in hoc statu adeò non nocet, ut etiàm promoveat crisin. Nec aliâ ratione id evenit, quàm quâ ingruentibus jam Variolis aut Morbillis, ubi materiâ vehementer turgent vasa, sanguinis detractio pustularum eruptionem accelerat.

Porrò haud multùm diversa est *abscessuum criticorum* conditio; qui, ut ad maturitatem perducantur, non raró, si copiâ & calore suprà modum peccet sanguis, depletiones ex venis, aut per alvum, moderatas desiderant. Scire enìm oportet, ideò antiquos in febribus purgationes damnasse, quod pleraque medicamenta cathartica illis temporibus essent validissima; qualia sunt scammonium, veratrum nigrum, tithymali succus, & consimilia his acria; quocircà clysteribus infusis alvum suppressam ducere satìs habebant. Nobis verò cùm leniora semper in promptu sint, quibusvis ferè morbi temporibus citrà metum inflammationis, si res exigat, intestina exinanire licet; præsertìm si, quod sæpè fit, hanc viam natura ipsa monstraverit.

COROLLARIUM.

Quò ratiocinandi hoc genus rerum naturâ confirmari probatur.

CUM in primis hisce schedis expositum sit, qui Morborum recursus memoratis temporibus faciunt Cœli motus, eos ventis simul concitandis pares esse; horumque vim nos variam sentire, prout conspirent cum illis ad agitandum aëra aliæ atque aliæ causæ: operæ pretium erit, quantùm has rationes confirmet ipsa rerum natura, breviter saltem indicare.

Incidit anno MDCCIII. die Novembris 26. paulò ante mediam noctem procella gravissima, stupentibus cunctis & attonitis insolito prorsùs immani ac ventorum furore qui ultrà sex horas permansit. Historiam & causas omnes mirabilis istius eventûs pertexere mihi nec opera est, nec otium. Demandata est hæc Provincia viro ingeniosissimo Edm. Halleio, qui optimè præstare potest. Quantùm autèm ad rem nostram faciat, hîc leviter attingam.

Erat illo tempore Luna in Perigæo, instabatque simul interlunium; quorum utroque sursùm ferri æthera, & increbrescere ventos, suprà demonstratum est (*a*). Et hinc quidèm, qui subsequebantur maris æstus, erant immodici & maximè tumentes; altiùsque solito, plerisque saltèm

(*a*) Pag. 8. 9.

locis, in baroscopio subsedit hydrargyrum (*a*). Accesserunt etiam sine dubio ex suprà memoratis aliæ pariter causæ, (*b*) quas omnes dignoscere nobis minimè licet; ut cœli saltèm manifesta conditio, quantùm ad hanc calamitatem contulerit, perpendi potest. Postquàm enìm in illis locis, quibus incubuit hæc fera ventorum vis, per æstatem & autumnum copiâ solito majori deciderant pluviæ, mitior & calidior, quam pro more, hiems appetebat; ità ut ad finem usque Novembris liquor in thermometro, cujus gradus quartus suprà octogesimum gelu indicat, infra centesimum nunquàm subsederit (*c*). Et hinc sanè collectas fuisse in æthereâ plagâ, sursùm latis ab ardore ex humidâ terrâ anhelitibus, salium, sulphurisque atomos innumerabiles; iisque variè coeuntibus & agitatis, accessisse huc & illuc effluenti jam aëri exitialem impetum, conjectari licet. Fidem dictis faciant crebra, quibus sub tempus funesti turbinis micuit æther, fulgura, & salso sapore die insequente linguam ferientia, etiam in campis longè à mari remotis, arborum virgulta & gramina, adeò ut degustatum pabulum pecudes refugerint.

Sed hæc fusiùs persequi minimè vacat. Illud potiùs adjungere libet, quod novâ vel plenâ Lunâ, etiamsi causa solitaria sit, utì mutationes illas quas diximus, corpori nostro inferre valet, ità, si solito vehementiorem aëris motum, qualis in tempestatibus fit, secum conjunctum habeat, majori adhuc

(*a*) Philosoph. Transact. N°. 289.
(*b*) Pag. 22. 23.
(*c*) Philosoph. Transact. loco citato.

virtute effectum sortietur. Multos igitur memini eâdem nocte, quam dixi, capite præsertìm malè affecto ægrotasse. Maximè autèm memorabile est infortunium fœminæ cujusdam illustrissimæ mihi notæ, quæ derepente oculis capta vitæ solatium amisit. Cæcitas illa erat, quam ἀμαύρωσιν Græci dixerunt, Medici verò recentiores inconcinnâ voce *guttam serenam* appellant; cujus morbi naturam, quoniàm ea nondùm Medicis benè perspecta est, paucis exponam.

Oritur igitur plerumque aut ex obstructione, & hinc facta distensione, minimarum arteriarum, quæ per tunicam oculi *Retinam* dictam sparguntur; aut à nervorum, qui visui inserviunt, læsione. In illo genere, quod longè frequentius est, oculorum acies pedetentìm obtunditur; in hoc verò nunc tardiùs, nunc celeriùs, pro causæ ratione, interdùm vel temporis momento eripitur. Multis enìm modis detrimentum capiunt hi nervi, & officio suo inepti redduntur. Etenìm ictu sæpiùs, aut lapsû ab alto, fracto vel quassato calvariæ osse, in angustum coëunt; in convulsionibus nonnunquàm, humore ex cerebri membranis, effuso, comprimuntur; neque rarò repentinâ resolutione tentantur. Vidi nempè in morbo comitiali diù affectis, inciso cadavere, nervos eo loco, unde post conjunctionem separati ad oculos tendunt, aqueo latice in globum collecto depressos; & in affectibus paralyticis fibras illìc planè marcidas & exsiccatas reperi.

Possem etiàm multis exemplis, ex Observationum Medicarum Scriptoribus allatis, rem hanc fusiùs illustrare; pauca verò in præsenti adduxisse satis erit. *Tumorem, glandulæ ad instar, nervis opti-*

cis incumbentem, & spiritûs animalis transitum ad oculos impedientem, in cadavere quodam animadvertit experientissimus Felix Platerus (*a*). In fœminâ *nervum utrumque opticum extenuatum* observavit vir solers, Guernerus Rolfincius (*b*). *Nervos opticos marcescentes, & solitò duplò minores, in corpore mulieris, quæ per viginti annos amaurosi laboraverat*, invenit insignis Chirurgus, Joannes Scultetus (*c*). Virginis cujusdam infelicem casum memorant *Ephemeridum medico-physicarum Germanicarum* Auctores, *quæ ab ictu in sinistrâ capitis parte febre cum delirio correpta, visu primùm, & brevi deinde vitâ, privata est. Dissecto autèm capite, ingens limpidissimæ lymphæ copia in cerebri ventriculis, in primis quà sinciput spectant, fluctuans, & nervos opticos omninò comprimens, se ostendit* (*d*).

Hæc cùm ità se habeant, ex iis, quæ suprà sunt exposita, lunarem potentiam, vi turbinis accedente, præter modum adauctam, viam spiritibus animalibus, qui ad nervos oculorum meant, in tenero corpore, tanquàm præcisi essent, intercludere, & calamitatem, quam diximus, efficere potuisse manifestum est.

Permagnum usum afferre hujusmodi disquisitiones nemo dubitabit, cùm dixero me, duce hac θεωρία, isti morbo, qui anteà insanabilis vulgò habebatur, non modò rectam medendi viam invenisse, sed experimentis etiàm quamplurimis deinceps comprobasse; quippe cùm causarum scientia certissimum sit Medicinæ fundamentum. Ubi

(*a*) Observat. Lib. I.
(*b*) Dissertat. anatom. Lib. IV. cap. 31.
(*c*) Armamentar. chirurg. observ. 36.
(*d*) Vid. Miscell. curios. Anni MDCLXXXVI.

malum

malum igitur in arteriolis oculorum hæret medicamentis utendum est, quæ sanguinem crassiorem attenuandi, & per angustissimos ductus propellendi, vi maximâ pollent. Talia sunt præcipuè, quæ ex argento vivo Chemicorum arte parantur. Hisce autem diù insistere oportet, & plerumque quidèm eatenùs, quoad salivæ fluxus largâ copiâ per viginti vel triginta dies concitatus fuerit.

At dissimilem huic curationem, eamque pro noxæ ratione diversam, caligo ista requirit, quæ nervorum vitio gignitur. Sæpissimè autèm, ut ex dictis apparet, omne adjumentum respuit. Quis enìm humore viscido gravique pressos & coarctatos, aut languore & ariditate consumptos oculorum nervos restituere, aut denique spiritibus animalibus fibrarum resolutione in itinere suo interceptis vim novam atque impetum reddere, valet? Solus certè fabricæ nostræ Divinus ipse Artifex id præstare potest. Verùm si quid hic spei reliquum sit, in recenti adhuc necdum confirmato malo admovendum erit vertici, quà sutura coronalis sagittali committitur, medicamentum causticum; donec ità eùm erodat, ut membrana, quæ calvariam contegit, scalpello discindi possit, ex quo ulcere, quasi ex fonticulo, noxius humor è cerebro foràs derivetur. Puris autem hunc effluxum, immissis pisis vel fabis, quæ ulcus incisum glutinari non sinant, per longum tempus promovere oportet: assumptis intereà assiduè iis remediis, quæ nervorum convulsionibus & tremoribus conveniunt; cujusmodi esse radicem valerianæ sylvestris, castoreum Russicum, gummi ammoniacum, assam fœtidam, spiritus denique & sales ex animalibus vi ignis elicitos, quotidie experimur.

Sed ad turbines revertor. Contigit patrum nostrorum memoriâ immoderata quædam tempestas, huic fortasse jam dictæ non æqualis, miram tamen ejus violentiam referunt illorum temporum Annales. Sæviit illa die tertio Septembris, anno MDCLVIII, quo die etiàm è vitâ excessit Olivarius Cromwellus, *Protector* dictus. Aëris per illius anni decursum statum & morem nullæ, quod equidèm sciam, docent ephemerides. Plenam verò Lunam sub accessum æquinoctii autumnalis hanc ventorum rabiem apportasse memoratu dignum videtur, ut mirum non sit magnis motibus opportunam tunc fuisse cæli regionem. Quomodocunque autèm ea res se habuerit, id refert annotasse, magni illiûs viri morbum ex illorum genere fuisse, quos vim lunarem maximè sentire ostendimus. Memoriæ enìm proditum est illum febre simul & animi ægritudine, infœlici præsertìm rerum domesticarum suarum statu obortâ, confectum fatis cessisse. Et mœrorem quidem spiritus animales offensis ejusmodi obnoxios reddere certissimum est.

Verum ut Opusculo nostro finem tandem imponamus, pari necessitate in illis regionibus, quas crebra premunt diluvia, iis plerumque temporibus, quibus Luna maximis pollet viribus, fieri inundationes observatum est; ut non immeritò horum malorum causam præcipuam in tumentes immodicè maris æstus, & infeliciter simùl conjunctam horum aut illorum siderum attrahendi facultatem, conferendam esse conjecerit eruditus Baccius (*a*).

Has igitur & consimiles habent à naturâ causas

(*a*) Del Tevere, Lib. III. p. 228.

ventorum turbines ac tempeſtates. Nam ad quæſtionem de divinâ potentiâ quod attinet, num Supremi Numinis irâ extra rerum ordinem hujuſmodi calamitates eveniant, necne, differere non noſtrum eſt, qui religionis vinculis animos hominum ſolvere nequaquàm conabimur. Quanquàm enìm ſingulas immenſæ hujus machinæ partes certis legibus conſtitui & moveri ſciam, & eandem fabricæ diſpoſitionem, quæ univerſæ moli commodiſſima eſt, paucis quandoque in locis clades ac damna inferre; ſuum tamen rerum Conditori Opt. Max. in omnia, quæ perfecit, jure cedendum eſt imperium. Et erat fortaſſis divinæ ration conſentaneum eo artificio mundum inſtruere, quo noxæ interdùm & detrimenta in homines caderent, quos fulminibus, terreri, & prodigiorum tempeſtatumque metu in officio contineri, neceſſe eſſe intellexit.

FINIS.

RICHARDI MEAD

Med. Doct. Coll. Medicorum Londin. & Reg. Societ. Socii

ORATIO ANNIVERSARIA HARVEIANA,


IN THEATRO

Regii Medicorum Londinensium Collegii

HABITA,

Ad Diem XVIII Octobris MDCCXXIII.

PRÆSIDI ILLLUSTRISSIMO
SOCIISQUE DOCTISSIMIS
REGII MEDICORUM LONDINENS.
COLLEGII
DE ARTE MEDICA
INDIES OPTIME MERENTIBUS
ORATIONEM HANC
IN PRÆSTANTISSIMORUM HOMINUM
LAUDEM
QUI MAXIMIS SUIS BENEFICIIS
ARTEM ILLAM SUSTENTARUNT,
AMPLIFICARUNT ET ORNARUNT,
HABITAM
L. M. Q. D. D. D.
RICHARDUS MEAD.



ILLUSTRISSIME PRÆSES,

COLLEGÆ SPECTATISSIMI

AUDITORES HUMANISSIMI.



I quantam vim habent ad humanas mentes amore laudis ac gloriæ incitandas magnarum virtutum exempla, tantum ego ingenii & eloquentiæ in laudandis illis Heroïbus, quorum hodie nobis commemoranda ſunt beneficia, afferre poſſem; haudquaquàm ſanè vererer, nè aut illorum meritis parùm conveniens, aut veſtris auribus minùs grata, quam nunc habiturus ſum, foret Oratio. At verò cùm hæc res longè aliter ſe habeat, & neque naturâ aptus, neque uſu inſtructus ad dicendum, juſſu veſtro hoc muneris ſuſceperim; nè importunâ artis affectatione vobis ſim tædio, Hiſtorici potiùs, quàm Oratoris partes agens, honores Medicinæ recenſebo; & per quos maximè Reges aut Principes, & quos apud populos, creverit ſalutaris hujus profeſſionis gloria, in brevi quaſi tabellâ vobis proponam. Et dùm hoc faciam, partem laudis iſtius haud infimam noſtræ genti meritò attribui debere manifeſtè oſten-

dam; quo nihil aut mihi ad recitandum jucundius, aut vobis, opinor, ad audiendum acceptius, aut omnibus nobis ad prædicandum honeſtius eſſe poteſt.

Ab Ægyptiis autèm, antiquiſſimis illis omnis ferè ſapientiæ Magiſtris, incipiam; apud quos tanto fuit in honore Ars noſtra, ut nè Reges quidèm ipſi illam facere infra dignitatem ſuam exiſtimaverint. Oſirin & Iſin in primis reginam, medendi peritiâ excelluiſſe accepimus. Poſt horum tempora Medicis ex publicâ pecuniâ dabantur præmia; & *Sacri* titulum ferebat liber, in quo deſcriptæ fuerunt leges, ad quas morbis acutis laborantes curare licebat (*a*).

Græci uti artes omnes ſubtiliùs, quam Ægyptii excoluerunt; ita præſertìm Medicinam, quæ ex cognitis paucarum herbarum viribus, & populari experientiâ conſtabat, in ſcientiam redegerunt. Famâ celebres apud eos antiquitùs fuerunt ſcholæ non paucæ, Rhodia cum primis, Crotonienſis, Cnidia, Coa, & Smyrnæa. Crotonienſem illuſtravit Democedes, cui Darius Rex Perſarum, inter captivos apud ipſum agenti, acceptum reſtitutæ ſanitatis beneficium magnis divitiis & honoribus rependit, non ſine inſigni humanitatis, quâ nihil magis Medicum commendat, in Democede exemplo. Cùm enìm Rex Medicos Ægyptios, qui ſe in principio morbi imperitè tractaſſent, occidi juſſerat; ille culpæ hujus veniam impetravit, & gratiæ loco habuit conceſſam illis cum vitâ libertatem (*b*).

(*a*) Diod. Sicul. l. p. m. 74.
(*b*) Herodot. lib. 3. c. 129. &c.

Cæterarum autem omnium gloriam Coæ obſcuravit ſcholæ felicitas, poſtquam ex illâ prodierat, qui primus hanc diſciplinam à ſtudio ſapientiæ ſeparavit, divinus Hippocrates. Magno nomini adſurgimus omnes! & Parentem Medicinæ veneramur! qui non tantùm ſapientiſſimis præceptis Artem hanc formavit, ſed & ipſe vitâ & moribus perfectiſſimi Medici exemplar expreſſit. Tanto itaque Viro maximos honores delatos minime miramur, neque hos tantùm à Cois ſuis, qui imagine ipſius nummos ſignârunt (*a*) ſed etiàm ab universâ Græciâ; quæ communi conſilio quod *venientem ab Illyriis peſtilentiam prædixerat, diſcipuloſque ad auxiliandum circa urbes dimiſerat, honores illi, quos Herculi decrevit* (*b*). Civem porrò adſcripſerunt Athenienſes, auro coronârunt, & victum illi & poſteris in Prytaneo dederunt (*c*), qui honos in Græciâ maximus habebatur. Athenienſes enìm, cultiſſimi Scientiarum æſtimatores, hanc Artem plurimi ſemper fecerunt; apud quos antiquâ lege cautum fuit. *Ne quis ſervus, neve qua fœmina Medicinam diſceret* (*d*). Et tàm ab iis, quàm ab aliis Græciæ civitatibus, honores & immunitates eximiæ publicitùs Medicis concedebantur (*e*).

Hinc maximi omni ævo apud Græcos viri Medicinam callere laudi ſibi duxerunt. Pythagoras & Democritus primi omnium de virtutibus her-

(*a*) Vid. Numm. in Titul.
(*b*) Plin. N. H. l. 7. c. 37.
(*c*) Soran. in Vit. Hippocrat.
(*d*) Petit. Leg. Attic. l. 3. tit. 8.
(*e*) Lucian. Abdicat. p. m. 457.

barum ſcripsêre (*a*). Ariſtoteles, hæreditario quaſi jure ad ſe pertinere hanc Artem ratus (ab Æſculapio enìm genus duxit (*b*), Medicinam non didicit tantùm, ſed & factitavit (*c*); libroſque de Plantis, de Anatomicis, & ἰατρικῶν etiàm edidit (*d*). Quin & medendi peritiâ Magni Alexandri benevolentiam ſibi primùm conciliavit; quem cùm gravi morbo oppreſſum liberaſſet, hanc ab eo facultatem Rex inviċtiſſimus doceri voluit; neque illam interdùm exercere vile, aut à ſummâ ſuâ dignitate alienum, judicavit (*e*). Crevit poſteà hæc laus in familiâ Ariſtotelis, cujus ex filiâ nepos, nomine Eraſiſtratus, magnam conſecutus eſt famam. Is ſectam longè celeberrimam condidit, quam in Scholâ Smyrnæâ, jam anteà memoratâ, ad ſuam ferè ætatem, quo tempore illi præſidebat Hiceſius, Strabo floruiſſe tradit (*f*). Tàm inſignis porrò fuit, qui in hac urbe Medicis habebatur honos, ut mihi ſanè gratuler, qui hanc occaſionem nactus, notitiam illius ex antiquitatis tenebris jam primus in lucem proferam. Honos autèm, quem dico, is erat, quo communiter cum Prætoribus, ſummis nimirùm Urbis Magiſtratibus, ornabantur, ut nomen eorum Nummis imprimerentur. Prætereà quo magis oſtenderent Smyrnæi, in quanto pretio eſſet apud eos Ars noſtra, Medicorum Nomina Deorum ſalutarium imaginibus in Nummis adjungi volebant;

(*a*) Plin. lib. 25. c. 2.
(*b*) Diog. Laert. in Vit.
(*c*) Ælian. Var. hiſt. l. 5. c. 9.
(*d*) Diog. Laert. ibid.
(*e*) Plutarch. in Vit. Alex.
(*f*) Geogr. lib. 12. ſub finem.

quorum multi ex alterâ parte caput Hygiæ, ex alterâ verò Jovis Æsculapii effigiem cùm perspicuis medendi artis insignibus exhibent. Neque Erasistrateos suos tantùm ità honestabant; sed nonnullis etiàm æmulæ Herophileorum scholæ, quæ iisdem ætatibus in loco procul dissito *fanum Mensis Cari* appellato, inter Laodiceam ad Lycum & Carura, magnâ cum laude florebat (*a*), eundem honorem tribuebant (*b*).

A Græcis ad Romanorum tempora devenientibus minus augusta primo intuitu, & parùm læta sese offert rerum nostrarum facies. Servos fuisse, qui primi Romæ medicinam fecerunt, vulgo creditur: & pulsos urbe exulasse Medicos, Catone Censore, scriptis prodiderunt nonnulli. Hæc, in opprobrium artis prolata, quodnam habeant fundamentum, operæ est disquirere. De servitute mox dicam: primùm autèm de exilio quæstionem, calumniam rectius dixerim, paucis expediam. Nulla certè veterum Annalium fide, nullis antiquorum monumentorum indiciis nititur hoc commentum. Primus, quod sciam, in vulgus edidit vanissimus ille *De vanitate Scientiarum* Scriptor, Cornelius Agrippa (*c*). Ansam verò ad hoc fingendum dedit Plinius (*d*) qui *populum Romanum ultra sexcentesimum annum sine Medicis degisse, & expertam tandem damnasse Medicinam*, adductis etiàm Catonis ad Marcum filium adversùs hanc artem dicteriis, memoriæ mandavit. Tantùm autèm valuisse aut atrocem animum, aut auctoritatem

(*a*) Strabo dict. loc.
(*b*) Vid. Differt. ad finem adject.
(*c*) De Van. Scient. cap. 83.
(*d*) Nat. Hist. l. 29. c. 1.

Catonis, ut Medicos urbe pelleret, nuſquàm legimus. Neque damnavit omnem medicinam populus; ſed in eâ, quæ manu curat, ſecandi urentique ſævitiam (quam tamen ipſa non rarò imperat miſericordia) ut novam, & aſpectu terribilem improbavit.

Sed miſſum faciamus hoc convicium, quod non ſemel anteà diluerunt viri eruditi; & qualis fuerit Medicorum Romæ degentium conditio, præſertìm nùm ſervilis, paululùm diſpiciamus. Romani Artes omnes à Græcis acceperunt, & ſerò quidèm, *rudi ſcilicet & bellicosâ civitate non magnopere liberalibus diſciplinis vacante* (*a*). Nec grammaticam quidem, aut poëticam, ante annum quingenteſimum excoluerunt (*b*). Primus autèm, anno ſupra quingenteſimum triceſimo quinto, Medicus è Peloponneſo Romam venit Arcagathus, cui is honor habitus eſt, ut *jus Quiritium ei datum ſit, & taberna in compito Acilio empta ob id publicè* (*c*). Magna ſeculo ſequenti fama fuit Aſclepiadis Bithyni, tàm dicendi quàm medendi arte inſignis, quo ſe Medico amicoque uſum fuiſſe L. Craſſus apud Ciceronem teſtatur (*d*); ex cujus etiàm poſteris, ut videtur, *Calpurnius Aſclepiades, à divo Trajano parentibus, ſibi, & fratribus ſeptem civitates impetravit* (*e*). Neque diù poſt, cùm jam quotidie quæſtus cauſa

(*a*) Sueton. Lib. de illuſt. Grammat. in princip.
(*b*) Cic. in Brut. c. 18. & Tuſcul. Quæſt. in princip. ubi vid. not Daviſii.
(*c*) Plin. N. H. l. 29. c. 1.
(*d*) De Orat. l. 1. c. 14.
(*e*) Inſcript. antiq. apud Spon. Recherch. Curieuſ. Diſſert. 27.

ex Græciâ Romam adirent Medici, Julius Cæsar, in cujus manus tunc temporis summa rerum potestas devenerat, omnes hanc artem professos civitate donavit (*a*). *In servos autèm id beneficium fuisse collatum, vel suspicari*, ut cum viro inter litteratos principe loquar, *nimia est stultitia* (*b*). Nihil igitur servile, aut tenue quidèm, artem nostram adhuc dedecorat. Sed ut planè, & sine fuco, totam rem dicam; simul cum ingenuis multis & doctis viris non pauci scientiâ & fortunæ bonis inferiores illis temporibus Romam veniebant; qui, etsi non medicamentis, sed manu curarent, Medici tamen appellabantur. Hi in divitum & magnatum clientelam se conferebant, & servi agebant, donec civitatem consequerentur; inde liberti, nomen familiæ alicujus Romanæ sibi adsciscere solebant; neque raró, si ingenium studio litterarum excoluissent, morbis etiàm internis medebantur, & in Medicorum clinicorum censum veniebant. Tali conditione fuit Antonius Musa, cui, postquàm ejus operâ ex ancipiti morbo convaluerat Octavius Augustus, statuam, ære collato, populus Romanus posuit (*c*). Augustus quoque ei jus annuli aurei, & immunitatem non ipsi tantùm, sed omnibus Medicinam profitentibus, in posterum tempus concessit (*d*).

Non igitur Ars erat servilis apud Romanos Medicina, sed liberalis, & tanto in honore, ut etiàm pars ejus chirurgica, quæ à servis, & exili forte hominibus exerceri poterat, libertatem sæpè

(*a*) Suet. in Vit. c. 42.
(*b*) Casaub. in dict. Vit. Suet. c. 4.
(*c*) Sueton in Vit. Aug. c. 59.
(*d*) Dio. H. R. l. 53. sub fin.

daret, & magnas opes. Haud exigua ſanè iis temporibus erant medendi facultatis præmia. Principum Medicis annua ſtatuebatur merces. Iis autèm, referente Plinio, *imputavit Stertinius, quod quingentis ſeſtertium millibus*, pecuniæ noſtræ plus quàm ter mille & ſexcentis libris, *contentus eſſet, cùm ſexcenta quæſtu urbis ſibi eſſe, numeratis domibus oſtenderet* (*a*). Ipſe verò & frater ejus ſua pecunia Neapolin operibus exornârunt, & tamen *cenſus trecenties centena millia ſeſtertium hæredi reliquêre* (*b*). Omitto plura exempla memorare, neque vobis Caſſios, Calpetanos, Arruntios, Albutios, Rubrios ſiſtam, Romana nomina, quæ profeſſione Medicinæ & opibus claruerunt. Præterire autèm nequeo, in Nummis Rubriorum conſpici anguem, deæ ſalutis ſignum, monumentum, ut videtur, familiæ ſibi Medicinæ laudem vindicantis. Miror itaque in Nummis iſtis explicandis, neque Patinum, neque Vaillant, viros de re nummariâ optimè meritos, hanc, arti ſuæ adeò honorificam, inter alias ejus rei cauſas longiùs petitas attuliſſe (*c*). In ſummâ, ità non ſemper tenui fortunâ homines Romæ erant Medici, ut etiam Imperatorum ſæpè amici eſſent & familiares (*d*).

Neque putet quiſquam gratiâ tantùm ſingulari in hunc aut illum collocata fuiſſe, qualia diximus beneficia; arti habebatur honos, & univerſis eam profitentibus dabantur immunitates. Collegium enìm, ſive ſcholam, ut vocabatur, Medicorum in urbe fuiſſe, ex antiquis marmorum inſcriptionibus

(*a*) Lib. 29. c. 1.
(*b*) Ibid.
(*c*) Vid. Patin. & Vaill. Fam. Rom.
(*d*) Vid. Spon. Recherch. Curieuſ. Diſſert. 27.

apparet (*a*). Quales autèm legibus dabantur illis immunitates, veterum Juriſconſultorum Libri nos docent. Exempla è multis pauca tantùm proferam. Conſtantini Magni Imperatoris extat hoc reſcriptum: *Medicos, & maximè Archiatros, Grammaticos, & Doctores legum, unà cum uxoribus & filiis, nec-non & rebus, quas in civitatibus ſuis poſſident, ab omni functione, & ab omnibus muneribus, vel civilibus vel publicis, immunes eſſe præcipimus; & neque in Provinciis hoſpites recipere, nec ullo fungi munere, nec ad judicium deduci, vel exhiberi, vel injuriam pati; ut ſi quis eos vexaverit pœnâ, arbitrio Judicis plectatur* (*b*). Nec novo prorsùs favore his omnibus beneficiis tùm primùm facultas hæc ſalutaris honeſtabatur. Jam antè enìm *Medicis & Philoſophis, ne hoſpitem reciperent, à Principibus fuiſſe immunitatem indultam*, Imperatores Veſpaſianus & Hadrianus reſcripſerant (*c*). Itèm Antoninus Pius à muneribus civilibus & publicis *immunes eſſe Medicos* juſſerat (*d*). Deinde poſt hos omnes Julianus, qui, niſi nomini maculam fixiſſet hoſtile erga Chriſtianos odium, inter ſapientiſſimos Imperatores jure cenſeretur, non ſine honorifico utilitatis artis noſtræ teſtimonio, ſuperiorum Principum decreta de Medicis, lege latâ, ſancivit, eoſque à curialibus muneribus liberos eſſe voluit (*e*). Sed de rebus medicis apud populum terrarum obis dominum ſatis, opinor, dictum fuit.

(*a*) Mercur. Art. Gymn. L. 1. c. 7.
(*b*) Leg. 6. Cod. de Profeſſ. & Med.
(*c*) Leg. ult. §. ult ff. de mun. & hon.
(*d*) Leg. 6. §. 2. ff.. de excuſat.
(*e*) Vide Julian. Epiſtol.

Si Medicinæ autèm tempora, & varias quasi ætates spectemus, ad Arabes jam, simul cum armis litterarum studia agitantes, nos deducit Orationis filum. Iis enìm seculis, quibus fœda barbaries cæteras ferè nationes obduxerat, penes eos permansit artis hujus scientia. Deficiunt quidèm hac in parte Annales medici, & linguæ suæ difficultatibus involuta in bibliothecarum forulis latent, quæ de Medicorum historiâ gentis illius Scriptores memoriæ mandârunt, aliquandò forsan in lucem protrahenda. Speciminis autèm loco ex ineditis illorum monumentis observare libet, Imperatoris Medico, annuo stipendio fuisse *quindecies centena millia drachmarum* (*a*); quæ, si ad nostram pecuniam exigantur, plus quam tricies mille librarum summam conficiunt. Ingentem sanè, & forsan vix credibilem esse hanc Principum munificentiam, quis dicet. At non tàm Ministri, quàm Consiliarii, imò affines Regum, apud eos habebantur Medici; & terrarum reditûs, & urbium præfecturæ illis sæpè in mercedem cedebant.

Postquàm renascentibus litteris, antiqui doctrinæ fontes recludi, & in Italiâ primùm, inde & in cæteris Europæ regionibus, fervere studia Scientiarum cœperunt, apud alios & populos

(*a*) Osaibea De Vitis Medicorum, msf. Arab. Drachmæ autèm hic non Atticæ, sed Arabicæ, intelligi debent, quarum hæ, si Golio credamus in Lex. Arab. tertiâ parte illis sunt leviores. Nec longè discrepat Gravii sententia, qui, ex comparatione cum granis nostris discrimen petens, veterem Atticorum drachmam grana 67, Arabicam verò 47 $\frac{41}{60}$ exæquare statuit. Vid. *Greaves's Discourse of the Roman Denary* p. 61. 115.

Medicina

Medicina honores varios ſortita eſt; utque gloriâ aluntur Artes, ità hæc ſemper accepta beneficia magnis in Rempublicam utilitatibus rependit. Longum eſſet ſcholæ Salernitanæ, Bononienſis, Patavinæ, Montis-Peſſulanæ, Pariſienſis, & aliarum quàm plurium jura & immunitates explicare; verùm illud memorare juvat: ut nuſquam honoratior, quàm apud nos, extitit Medicina; ità nullum collegium, abſit verbis invidia, virorum ingenio & doctrinâ excellentium hoc noſtro fuit feracius.

Ampliſſimus hic dicendi campus ſeſe aperit; ſed monet me præſcriptum munus, ne exiguum hoc temporis ſpatium, de Medicis optimè meritorum memoriæ ſacrum, Medicorum præconiis effluere ſinam, dicant potiùs exteri, quantùm per Anglorum labores in Medicinæ ſtudio ipſi profecerint. At quidni dicam rarâ felicitate id nobis contigiſſe, ut, qui hîc ſalutaris ſcientiæ lumina claruerunt, iidem dignitatis noſtræ auctores & cuſtodes beneficentiſſimi celebrentur? Ecquis Linacro, qui ſub auſpiciis Regis invictiſſimi, Henrici octavi, primus nos auctoritate inſtruxit, ſapientiorem, & litteris cultiorem dicet quempiam? Ecquis Caio, qui inſignia poteſtatis ad decus & ornamentum addidit, arte præſtantiorem? An Harveio, qui potentiam opibus auxit ſagaci ingenio, & naturæ ſcientiâ, ullum inveniemus parem? Hi nimirùm veterum Sapientium more, relictâ patriâ, terras alio ſole calentes adierunt, Italiam in primis, antiquum illud Muſarum ſacrarium; ubi parum illis fuit omne diſciplinarum genus toto pectore haurire, & domum afferre; adhuc majora animo conceperunt, formam nempe

Reipublicæ Medicæ, quâ in unum corpus, quaſi membra, coirent Artis Poſeſſores. Amant enìm ſocietatem ſcientiæ; & concordià, tanquam communi animâ, vigent. Hinc alius poſt alium, veluti vicario ſtudio, legibus & ſtatutis ſodalitium hoc communiverunt; rerum geſtarum Annales condiderunt; & ſolenne convivium, cum gratâ bene meritorum de nobis commemoratione, inſtituerunt. Vivite æternum, illuſtria nomina! Veſtræ, dum ſtabit honos Medicinæ, manebunt laudes; ſtabit autèm, quamdiù cura ſui tanget mortales, & morbis opportuna reddet corpora in luxum & libidinem proclivis hominum natura. Sed & alios, quos habuimus ejuſdem laudis æmulos, ſilentio premere eſt nefas; Caldwellum, Gulſtonum, Cronium, qui ampliſſimis honorariis Chirurgiæ & inciſionis ſtudium promoverunt; ut etiàm munificentiſſimum Hamæum, cui viventi ædes noſtras, morienti prædiorum ſuorum hæreditatem debemus. Ut magnæ autèm ſunt apud bonos virtutis illecebræ, illius præcipuè, qua publicæ utilitati conſulitur; ſpectata hæc Medicorum liberalitas, & in commune ſtudia ſua conferentium generoſus ardor, alios quoque viros, ſanguine pariter ac litteris illuſtres, in laudis ejuſdem partem attraxit. Nec ſequior ſexus ἀσύμβολος eſſe voluit, ut, quibus ob teneram formam plus eſt in arte noſtrâ præſidii, aliquid etiàm ad ejus decus afferre viderentur. Honoratiſſimæ igitur fœminæ, regiâ etiàm ſtirpe illuſtres, Arabella Stuarta, & Maria Comitiſſa Salopienſis, ſociâ beneficentiâ, ad levandos ſumptus in ædibus noſtris emendis factos, pecuniam largâ manu donaverunt.

His adjungam nobiliſſimum virorum par, Joan-

nem Lumleium Baronem, & Henricum Durnovariæ Marchionem; quorum ille cum Caldwello, quem dixi, junxit munificentiam: hic in tanto nos habuit amore, ut non modò Bibliothecam dederit; optimis libris instructissimam; sed & inter nos censeri, comitiis nostris interesse, & rem Medicam sedulò procurare voluerit Omine sanè felici! cum & nunc nobis gratulemur Optimatem, honoris insignibus illustrissimum, & hos tamen animi magnitudine vincentem, tabulis nostris suo nomine decus & splendorem addidisse.


Non ultrà pergam magnorum Virorum laudes, quas nec hominis disertissimi vox æquare posset, ingenii culpâ imminuere. Humanitatis profectò & scientiæ exempla, quæ vos, Collegæ ornatissimi, assiduè ostenditis, memoriam illorum quâvis oratione longè meliùs consecrabunt. Etenìm dùm illorum vestigia premitis, quotidianum illis instauratis laudis monumentum, & prudentis consilii, ac benè collocatæ operæ testimonium perhibetis perpetuum. Quis Præsidem illustrissimum, strenuè ac prudenter auctoritatem nostram tuentem, suspicit; & Linacri sapientiam haud statim sibi repræsentat? Quis censoribus imperitorum artis perniciosam audaciam coercentibus, & nè qua in pharmacis nostris conficiendis fraus fiat providentibus, gratiam habet; vel Quæstoris in ærario administrando fidem & frugalitatem laudat; vel omnes vos denique sine malis artibus saluti civium prospicientes, & pro meritis divitiis & honoribus auctos veneratur: nec eorum, qui primi hujus disciplinæ fundamenta posuerunt, atque hoc domicilium scientiæ condiderunt, benefacta simul honoratè prædicat summisque laudibus in cælum extollit? Macti igitur este

ſapientiâ, Viri Clariſſimi, cœptam viam pergite. Hâc enìm ratione laudis æquè ac vitæ lampada filiis tradetis; atque hi iterùm nepotibus; qui, Majorum exempla ſequentes, Collegii hujus jura, decus, & dignitatem, in omne ævum duratura (ità voveo & auguror) ſuis etiàm poſteris ſarta tecta conſervabunt.

DIXI.



DISSERTATIO
DE
NUMMIS QUIBUSDAM
A SMYRNÆIS
IN MEDICORUM HONOREM
PERCUSSIS.



LECTORI S.

CUM inter multos ac varios honores, quos Medicis olim tributos fuisse in Oratione meâ ostendi, singularis cujusdam, quem à Smyrnæis acceperunt, ut nomina illorum in Nummis ponerentur, mentionem fecerim; quo res ista magis foret perspicua, Nummos aliquot ejusmodi è multis aliis, quos apud me conservo, ære incisos, cum singulorum explicatione hîc adjicere volui. Ex Medicorum enim nominibus, tantis laudibus apud Veteres, celebratis; deorumque salutarium imaginibus, symbolis artis suæ instructis, quæ in his Nummis conspiciuntur, Smyrnæos, quò medicæ artis Professorum famæ ac dignitati consulerent; eos percussisse, omnes, opinor, æqui rerum æstimatores mecum agnoscent.

Fatendum est sanè Magistratuum nomina tàm in Smyrnæorum, quàm in aliarum Græciæ civitatum Nummis haud paucis comparere; unde viri eruditi, & rei num-

mariæ ſcientiſſimi, ſi qui forte id genus Nummi, de quibus hîc agimus, in manus eorum devenerint, Magiſtratibus ſtatim adſcribentes, inter alios ejuſdem (ut ipſi cenſuerunt) claſſis in ſcriniis hactenùs collocàrunt. Attamen ſi rem paulò accuratiùs intueamur, Nummos, in quibus Magiſtratuum nomina leguntur, alia Numina, aut aliis ſaltèm inſignibus, cum re medicâ nihil commune habentibus, ornata exhibere percipiemus. Primus autèm, quod ſciam, Seguinus Nummi alicujus Smyrnæi ectypum protulit, cui ulla omninò cum noſtris ſimilitudo eſſe videatur. Is quidèm inter alios Smyrnæorum Nummos unum edidit, in cujus alterâ parte caput *Hygiæ* noſtræ perſimile adſpicitur, quod ipſe tamen *Apollinis* eſſe ſtatuit; in alterâ imago ſedens, ſed velata, & brachiis tranſverſis, nec reliqua adſunt ſymbola; ni forſan in lineamentorum ductu, quæ temporis injuriâ evanida fuiſſent & confuſa, ſculptor hallucinatus fuiſſe exiſtimetur. Imaginem autèm *Prytanis*, hoc eſt ſummi apud Smyrnæos Magiſtratûs, *ſedentis* eſſe autumat (*a*). Neque ab illuſtriſſimo Spanhemio, neque à Vaillant, in iis quæ ad opera illius ſcripſerunt, hic diverſum aliquid affer-

(*a*) Seguin. Select. Numm. ant. p. 33.

tur; unde eos nihil certius habuisse, quod de Nummo isto proponerent manifestò constat. Alter quoque Nummus ab eodem Seguino adducitur, qui hinc *Matris Deorum Sipylenæ*, quæ Smyrnæ colebatur, caput; illinc stantis *Isidis* simulacrum repræsentat (*a*): de quo in *Notis ad Dissertationem* plura dicendi locus dabitur (*b*).

Vir igitur reverendus, EDMUNDUS CHISHULL, S. T. B. cujus eximia antiquitatis, omnisque adeò elegantioris doctrinæ cognitio ex egregiis illius, tùm *in Nummum* ΣΚΩΠΙ *inscriptum*, tùm etiàm *in Sigeam inscriptionem Commentariis*, orbi erudito diù jam innotuit, hos Nummos primus feliciter explicavit, & quasi postliminio recuperatos Medicis restituit. Smyrnæ enìm largior eorum provenit messis, postquàm terra circa Æsulapii templum cœpta est dimoveri. Quâ occasione etiàm erutum fuit, & luci redditum, caput marmoreum, in quo inscribitur, ΜΑΡΚΟΣ ΜΟΔΙΟΣ ΙΑΡΤΡΟΣ ΜΕΘΟΔΙΚΟΣ; item Nummus *Aristotelis* nomen exhibens; ut etiàm *Hermogenis* Medici, qui septuaginta septem volumina ediderat, inscriptio. Dùm Smyrnæ itaquè commoratus est,

(*a*) Ibid. p. 32.

(*b*) Vid. Differt. p. 522. n° 38.

plures hujuſmodi Nummos comparavit; quos attentiori curâ expendens, ex nominibus & figuris inter ſe collatis ad rem medicam pertinere citò deprehendit. Cùm in patriam autèm reverſus fuit, ſermone de Medicinæ antiquitatibus forte inter nos incœpto, pro eâ neceſſitudine, quæ diù mihi cum eo fuerat, mentem ſuam de his Nummis mihi ſtatìm aperuit, nec id tantùm, ſed Nummos ipſos, unà cum quibuſdam in illos obſervationibus, ſe dono mihi promiſit miſſurum; quod & haud ità pridem amiciſſimè præſtitit. Illius igitur beneficio nova hæc ad rei Nummariæ ſcientiam acceſſio prorsùs debetur. Cujus etiàm de republicâ litteraria optimè merendi ſtudio & induſtriâ, ſi vivat modò & valeat, magnum *Græcarum Antiquitatum, aliorumque veteris ævi monumentorum Corpus*, nondùm publici juris factum; *doctiſſimis* etiàm *commentariis*, tantoque theſauro dignis, *locupletatum*, Antiquitatis ſtudioſis expectare licebit. Vale.

R. M.



DISSERTATIO
DE
NUMMIS QUIBUSDAM
A SMYRNÆIS
IN MEDICORUM HONOREM
PERCUSSIS.



IDEM Medicæ Arti, quod & aliis disciplinis liberalibus, olim usu venisse, ut Professores ejus in sectas diversas à diversis, quibus profecti sint, scholis distinguerentur, ex antiquis Scriptoribus manifestò constat Sectæ autem Herophileorum & Erasistrateorum, quæ ab auctoribus suis Herophilo & Erasistrato nomen acceperunt, per sæcula aliquot eximiâ laude celebrabantur. Hujus rei testis nobis locupletissimus est Strabo, cujus verba hîc adscribam. Μεταξὺ τῆς Λαοδικείας καὶ τῶν Καρούρων ἱερόν ἐστι, Μηνὸς Κάρου καλούμενον, τιμώμενον ἀξιολόγως συνέστηκε δὲ καθ' ἡμᾶς διδασκαλεῖον Ἡροφίλειον ἰατρῶν μέγα ὑπὸ Ζεύξιδος, καὶ μετὰ ταῦτα Ἀλεξάνδρου τοῦ Φιλαλήθους

καθάπερ ἐπὶ τῶν πατέρων τῶν ἡμετέρων ἐν Σμύρνῃ τὸ τῶν Ἐρασιστρατείων ὑπὸ Ἰκεσίου· νῦν δ' οὐχ ὁμοίως τὶ συμβαίνει (*a*). Hæc doctissimus geographicorum Scriptor. Cum alteram autèm ex his scholis *ad suam ætatem*, quo tempore Augustus Cæsar Imperium tenuit; alteram verò ad illam, *quæ proximè antecessit*, permansisse dicat: si a sectarum auctoribus *Herophilo* & *Erasistrato*, qui sub initiis Antiochi Soteris, Syriæ Regis, floruerunt, temporis spatium computemus, annos circiter ducentos & sexaginta complecti invenientur. Cæterùm in honorem Medicorum, qui alterutri harum sectarum se addixissent, Nummos, de quibus tractaturi sumus, percussos fuisse nomina illis impressa evincent. Etenìm tùm *Zeuxidem*, tùm *Hicesium*, a Strabone hîc memoratos, exhibent. Idem quoque de aliis, veterum Scriptorum auctoritate, qui eos laudant, in singulorum explicatione postea demonstrabitur.

Primùm autem duplicem Nummorum seriem, æneis tabulis incisam, proferemus; quarum altera Medicorum nomina, altera varia Deorum salutarium simulacra repræsentat. Prior sigillatim explicabitur; posterior quatenùs lucis aliquid illa altera, ad cujus illustrationem adjungitur, ex eâ fœnerari possit. Nummi autèm in utrâque serie sequenti ratione ordinantur.

Medici in priori serie adducti.

XEUXIS.	N. I. I, II. III.
HICESIUS.	N. II. I, II.
APOLLOPHANES.	N. III. I, II.

(*a*) Geogr. I. 12. sub finem.

IATRODORUS. }
IASON IASONIS. } N. IV. I, II, III, IV.
ATHENAGORAS. N. V. I, II, III.
SARAPION. }
PASICRATES. } N. VI., I.
METRODORUS PASICRATIS. } II, III, IV.
HERMOGENES TRICCÆ. }

Deorum ſalutarium in poſteriori ſerie ſimulacra.

1 ÆSCULAPIUS ſedens, ΣΜΥΡΝΑΙΩΝ nullo alio nomine adſcripto.

2. ALTER priori ſimilis, errore monetarii, ΣΜΥΡΝΑΙΩΝ.

3. ÆSCULAPII caput laureatum, in familiâ Aciliâ Latinâ.

4. SALUTIS caput laureatum, in eâdem familiâ.

5. SALUS, in familiâ Juniâ. *Vaillant.*

6. SALUS AUGUSTA, Coloniæ incertæ in Nummo Liviæ.

7. SAL. AUG. Coloniæ Novæ Carthaginis, in Nummo Caligulæ.

8. SALUS, in familiâ Claudiâ. *Vaillant.*

9. Teſſera ſalutaris, inſcripta ΑΣΚΛΗΠΙΟΣ ΚΑ ΥΓΙΕΙΑ, cum capite ÆSCULAPII laureato.

10 Teſſera ſalutaris, cum eâdem inſcriptione, & capite HYGIÆ laureato.

11. Caput APOLLINIS MEDICI radiatum, cum HYGIA ſedente, & TELESPHORO ſtante, Hierapoleos Phrygiam inter & Lydiam.

12. APOLLO SALUTARIS ſtans, in Nummo Treboniani Galli.

13. Æsculapius & Hygia ſtantes, cum Telesphoro intermedio, ΒΑΓΗΝΩΝ, in Nummo Getæ. *Internum Gr. Vaill.*

14. Æsculapius ſedens, & Hygia ſtans, col. Neapoleos Samaritanæ, in Nummo Philippi ſenioris. *Vaill.*

15. Æsculapius ſerpentis ſpecie Romam advectus, in familiâ Rubriâ Latinâ. *Vaillant.*

16. Caput Æsculapii ſine coronâ, adjuncto ſerpente, col. Babbæ, in Neronis Nummo. *Apud Vaillant.*

17. Apollo conservator ſtans, in Nummo Claudii Gothici.

18. Idem, cum inſcriptione Salus aug. in Nummo Gallieni.

19. Salus ſtans, cum ſerpente tripodi circumvoluto, in Nummo Hoſtiliani.

20. Isis cum attributis, & inſcriptione Salus aug. in Nummo Claudii Gothici.

Qui hos Smyrnæorum Nummos, in priori ſerie collocatos, animo paulò attentiori conſideraverit, ad rem medicam pertinere ut credat, tàm à nominibus adſcriptis, quàm iſtis, quas exhibent, figuris, facilè, opinor, inducetur; quod quò clariùs appareat, ad ſingulorum explicationem jam progrediemur.

N. I.

ΧΕΥΧΙΣ

I. Nummus æreus moduli tertio majoris, Smyrnæ eo tempore percuſſus, quo ludi annui illìc edcrentur, *ſacri Æſculapici* vocati; de quibus, quanquàm multis poſt annis, in Genethliaco Apellæ apud Ariſtidem ſit mentio.

In adversâ Nummi areâ : *Caput muliebre laureatum.*

In adversâ : ΣΜΥΡΝΑΙΩΝ ΞΕΥΞΙΣ *Æsculapius sedens.*

Caput istud muliebre videtur esse deæ *Hygiæ*, Æsculapii filiæ, ad instar deæ Salutis in familiis Latinis Aciliâ, Claudiâque (*a*), coronâ laureâ redimitum.

Desunt quidem in hoc nostro capite, quæ in istis duobus reperiuntur, inauris & monile; sed pro diverso colentium ingenio diversus persæpè fuit ejusdem Numinis ornatus. Ut igitur Venus aliquandò ab ipsâ Venere, ità & Salus à Salute discrepabat. Veneri enìm in familiâ Juliâ, n. 11. & 25. *apud Vaill.* & in Æmiliâ n. 13. & 14, nec inauris adest nec monile; Saluti in familiâ Juniâ nec inauris nec corona (*b*). Romanis verò Imperatricibus, *Salutis Augustæ* imaginem præ se ferentibus, nulla sunt hujuscemodi ornamenta (*c*). Simulacra interìm deorum salutarium, pro diversitate locorum diversis modis effica, non injucundum erit in Tabulâ secundâ & tertiâ comtemplari.

Sunt autèm, qui hoc caput *Apollinis* esse statuunt. Neque est, cur Apollinem abnuamus; Apollinem nempè Ἰατρὸν, hoc est *Medicum*, vel *Salutarem*, quem unâ cum Æsculapio jurari voluit

(*a*) Vid. Tab. II. n. 3. 4. Tab. III. n. 8. Coronatos illic aspice Æsculapium & Salutem; itemque in duabus tesseris salutaribus, Tab. III. 9, 10. Æsculapium & Hygiam è Museo inclyti apud Essexienses Baronetti, *Roberty Abdy.*

(*b*) Vid. Tab. II. num. 5.

(*c*) Vid. Tab. II. num. 6. Tab. III. num. 7. & Thes. Brand. vol. 3. pag. 617.

Hippocrates (*a*); & de quo decantatur illud Ovidianum, Met. l. 1.

Inventum Medicina meum est.

Quinetiàm huc faciunt certamina, quorum in inscriptione Ancyranâ mentio, ΙΕΡΩΝ nempè ΑΓΩΝΩΝ ΤΩΝ ΜΕΓΑΛΟΑΣΚΛΗΠΙΕΙΩΝ ΤΕ ΚΑΙ ΠΥΘΙΩΝ (*b*), si talia fortè certamina Pythia, Æsculapicis conjuncta, Smyrnæ quoque edita putentur. Hæc enìm pulchram certè occasionem præbere poterant, hinc caput Apollinis, illinc simulacrum Æsculapii, in eodem Nummo percutiendi.

Sed ut, quod res est, planè dicamus; huic de Apolline sententiæ obstat effigies ista muliebris, quæ nequaquàm Apollini competit. Neque, si vetustas rectè intelligatur, persona unquàm Apollinis muliebris fuit (*c*); quanquàm non raró tractanti lyram, & talarem pallam induto, habitus ei muliebris, ut Dianæ virilis, tribuantur. Hæc enìm qui descripsêre, Ovidius & Tibullus (*d*), marem

(*a*) Ὄμνυμι Ἀπόλλωνα ἰητρὸν, ϗ Ἀσκληπιὸν, καὶ Ὑγείαν, καὶ Πανάκειαν. Hipp. jusjurand.

(*b*) Vid. inscriptionem Ancyræ adhuc extantem, post Dousam & Cossonium à Tournefortio feliciùs exscriptam, atque à Montfauconio editam, Palæograph. lib. 2. c. 6.

(*c*) Bacchum quidem ἄῤῥενα καὶ θῆλυν Orphica dixere carmina, eumque natura διφυῆ Aristides aliique tradidere; at Apollinem semper marem nemo non Poëtarum celebravit.

(*d*) Vide eos ad hanc ipsam rem adductos à doctissimo J. C. Schot. in Homericæ Apotheoseos explicatione Gallicana, pag. 62, 63. Cui tamen minimè assentiendum, Domitianum sub Apolline semper juvene muliebrem esse contendenti, & Catullum sic citanti, Epigr. 64. De Aty: *Ego* mulier, *ego adolescens, &c.* cum auctor sine dubio scripserit: *Ego* puber, *ego adolescens, &c.* Vide eum pag. 54, & 65.

nihilòminùs

nihilominùs Apollinem manifestò prodidêre. Quorum alter ſic incipit, Met. l. xi.

Ille caput flavum lauro Parnaſſide vinctus.

Alter verò, l. iii. eleg. 4.

Hic juvenis caſtâ redimitus tempora lauro.

Adde ex Propertio, l. ii. eleg. 23.

Pythius in longâ carmina veſte canit.

Talis ſedet Apollo in lucernis aliquot fictilibus (*a*); tali habitu ſtat in Troadenſium & Antiochenorum monumentis (*b*); *Actii* etiàm, & *Auguſti*, & *Palatini* nomine, in imperatoria aliquot Numiſmata traductus. At caput Apollinis muliebre ipſi ſibi videntur finxiſſe Antiquarii, aut Apollinem ſemper juvenem pro Apolline muliebri, aut caput aliquod ignotum pro Apollineo venditantes (*c*). Sed & iſti de Apolline Medico ſententiæ obſtabit corona laurea; obſtabit, inquàm vel in his Nummis, Medicorum nomine inſcriptis. Corona enìm laurea propria quidèm Apollinis, ſed Vatis, ſive

(*a*) Theſ. Brand. Begeri, Vol. 3. poſt pag. 442.

(*b*) Vide Troadem & Antiochiam inter colonias Vaillant, in Caracallâ & Philippo ſeniore; maremque illîc Apollinem, quanquàm muliebri habitu indutum, ut in Auguſti, Antonini Pii, & Commodi Nummis recognoſce.

(*c*) Cenſuram hoc nomine meruere Urſinus & Vaillant; in familiis Claudiâ & Volteiâ. Illud ſcilicet Callimachi non rectè adverterunt.

Καὶ κεν ἀεὶ καλὸς, καὶ ἀεὶ νέος· οὔποτε Φοίβου
Θηλείαις οὐδ᾽ ὅσσον ἐπὶ χνόος ἦλθε παρειαῖς.

Ut neque illud Phurnuti, De Naturâ Deorum, cap. De Apolline.: Ἀπόλλων κούρην ἀνεπλέκτην — βούπαιδος δ᾽ ἡλικίαν ἔχει — κάλλιστος γὰρ ὀφθῆναι. Nihil igitur in Apolline muliebre ſomniaverunt Veteres, niſi figuratè ſolummodò, ob eximiam ejus pulchritudinem & perpetuam juventam.

Musagetæ, fuit; *quo*, si Plutarcho fides, *nunquàm utebantur Medici* (*a*). At Apollini Medico, vel, quod idem, Soli & Pæani (*b*) aut nulla omninò corona, aut radiata gestabatur. Stat igitur Apollo nunc *Salutaris*, nunc *Conservator* dictus, non laureâ, sed strophio revinctus, in Treboniani, Claudii Gothici, & Gallieni Nummis (*c*). Idemque radiatam gerit coronam sub titulo ΑΔΙΑΒΗΝΟΥ, hoc est, *magnificè illustris*, in Numismate Hierapolitano, diis ibi salutaribus, Hygiæ & Telesphoro, sociatus (*d*).

Cæterùm fatendum est, non malè Æsculapio etiàm Musicum Apollinem in Nummis aliquandò potuisse sociari. Nam, ut testatur Plato in Jone: *Epidaurii in ludis Æsculapicis rhapsodorum, & cujusvis generis musices, certamina isti suo Numini posuere.* Idemque videntur fecisse Colophonii, quorum Nummi in Antiquariorum scriniis servantur hinc nostro similem Æsculapium, illinc stantem suum Apollinem, & lyrâ insignem ostentantes.

His ità positis, viderit eruditus Lector, nùm caput hoc Apollini, an deæ Hygiæ sit potiùs tribuendum; Hygiæ, inquam, in urbe Smyrnâ (*e*), ut in

(*a*) Τοὺς ἰατροὺς Ἀσκληπιὸν ἔχοντας ἴσμεν ἡγεμόνα, καὶ Ἀπόλλωνι Παιᾶνι χρωμένους πάντα, Μουσηγέτῃ μηδέν. Symposiac. lib. 9. quæst. 14

(*b*) *Eadem opinio* (Apollinis) *Sospitalis & Medici dei in nostris quoque sacris fovetur. Namque Virgines Vestales ità indigitant :* APOLLO. MEDICE. APOLLO. PÆAN. Macrob. Saturnal. lib. 1. c. 17.

(*c*) Conferantur Nummi Tab. III. 12, 17, 18.

(*d*) Vid. ejusdem Tab. Numm. II. desumptum è Thesauro Britannico Haymano, Vol. 2. pag. 112 occurrentem etiàm apud Tristanum, Patinum & Harduinum.

(*e*) Quod de aliis multis urbibus Pausanias, id quoque

Epidauro, Titana, Pergamo, ſocium cum Æſculapio cultum & commune templum ſortitæ. Deveniendum igitur ad alteram Nummi aream, in quâ inſcribitur.

ΣΜΥΡΝΑΙΩΝ ΞΕΥΞΙΣ. *Xeuxis* (vel *Zeuxis*, ut ferè in editis libris ſcribitur) *Herophileus* ſicut a Strabone docemur (*a*), magnæ iſtius prope Laodiceam ſcholæ magiſter (*b*), Erotiano, ut *Exegeticorum auctor*, laudatur; hìc verò ut Æſculapii ſacerdos (*c*), & forte ut Smyrnæ urbis medi-

de urbe Smyrnâ clarè docuit Ariſtides, Orat. ſacr. 3 & 4. ibi nempè in templo Æſculapii, ſacrata fuiſſe ſacella & ſimulacra tùm ipſi Æſculapio, tùm diis etiàm σωυναοις Hygyæ & Teleſphoro. In tertiâ Orat. ità ſcribit: Επεὶ δ' ἐλθὼν ἐις τὸ ἱερὸν (Templum intellige Æſculapii) γίγνομαι περιὼν κατὰ τὸν Τέλεσφόρον, ἐπέρχεται ὁ νεωκόρος Ασκληπιακός. — Καὶ παρελθὼν εἰς Υγιείας — κομίζει τὸ χρῆμα ἐυωδίας θαυμαστὸν ὅιον. In quartâ verò: Εστιν ὁ τρίπους ὑπὸ δεξιᾶ τῶ θεῶ εικόνας χρυσᾶς ἔχων τρεῖς, μίαν Ασκληπιῶ, τὴν δὲ Υγιείας, τὴν δὲ Τελεσφόρω. Hæc tria Numina ſalutaria, Æſculapium nempe, Hygiam & Teleſphorum in Bagenorum Nummo Tab. III. n. 13. ab *Caio* eorum *pontifice* publicata contemplare, Lector; Æſculapium & Hygiam n. 14. Hygiam verò & Teleſphorum n. 11.

(*a*) Verba ſunt Strabonis lib. 12. ſuperiùs citata: Διδασκαλεῖον Ηροφίλειον ἰατρῶν μέγα ὑπὸ Ζεύξιδος.

(*b*) Vide eum in voce καμμάρα; Ζεῦξις μὲν ὖν ἐν τῷ δευτέρῳ τῶν ἐξηγητικῶν, iterumque inferiùs paulò, τὰς περὶ τὸν Ζεύξιν non ſine honore nominat Sed & conſulendus de *Zeuxide* Galenus

(*c*) Sacerdotum Æſculapii dignitas apud Smyrnæos ſæpè in ſacris Ariſtidis Orationibus mentionem merita eſt, ut etiam in Inſcriptione Smyrnenſi, inter Marmor. Oxon. n. 46. T. ΚΛ. ΟΥΑΛΕΡΙΟΥ ΛΙΚΙΝΝΙΑΝΟΥ ΕΡΕΩΣ ΑΣΚΛΗΠΙΟΥ. Huic, credo, ſacerdoti, celebratis ludis ſacris Æſculapicis, permiſſa fuit annua poteſtas Nummos huc ſpectantes proprio ſuo nomine ſignatos emittendi. Porrò, ut ex Ariſtide intelligimus, in Orat. ſacr. prim. erat quo-

cus (*a*) inscribitur. Adest enim in eâdem areâ *simul* *erum Æsculapii sedentis*, apud Smyrnæos Jovis

que apud Smyrnæos Ασκληπιακὸς ἰατρὸς. Quo titulo nescio quid meliùs indigitari possit, quàm *Medicus sacerdos Æsculapii.* Nisi quis malit Ασκληπιακὸν τὸν ἰατρὸν fuisse ludorum Æsculapicorum Medicum, cujus erat Athletarum corpora ad certamen præparare, & mutilata post certamen medicari. Tales apud Gruterum occurrunt in inscriptionibus Latinis ludorum magnorum, factionum item Venetæ & Russatæ Medici, pag. CCCXXXIV, CCCXXXV, CCCXXXIX. Notum est etiam in Nummis Asiaticis adscribi sacerdotis nomen cujusvis Numinis simulacro; ut in isto Bagenorum, cum Æsculapio, Hygiâ & Thelesphoro, ΕΠΙ ΓΑΙΟΥ ΑΡΧΙΕΡΕΩΣ, Tab. III. n. 13. item in alio Samiorum circa Mercurii effigiem, ΕΠΙ ΑΥΣΑΝΔΡΟΥ ΙΕΡΕ — Tournefort. Itin. Epist. X. & in Philadelpheno, qui hinc caput Dianæ exhibet, illinc Apollinem sedentem, adscriptis vocibus ΕΡΜΙΠΠΟΥ ΕΡΜΟΓΕΝΟΥΣ ΑΡΧΙΕΡΕΥΣ; Thesaur Brit. vol. II. p. 157. Ubi, ne quis putet pontificatum fuisse summum urbis Magistratum, vetat inscriptio Philadelphena nondùm vulgata: Α . ΕΡΜΙΠΠΟΝ. ΣΥΣΤΑΡΧΗΝ ΙΕΡΕΑ. ΤΗΣ ΑΡΤΕΜΙΔΟΣ — ΑΡΧΙΕΡΑΣΑΜΕΝΟΝ. ΕΝΔΟΞΩΣ — ΑΡΞΑΝΤΑ. ΤΗΝ, ΠΡΩΤΗΝ ΑΡΧΗΝ. ΕΠΙΦΑΝΩΣ. Falluntur igitur, qui conspecto in his Nummis personæ nomine, confestim illud magistratus esse putant. Cum iis, quæ hîc diximus, conferri etiam possunt, quæ infrà not. 25, 26. de initiatione quâdam & sacerdotio Medicorum, ex Aristide & Cassiodoro afferemus. Sed præter sacerdotium, alios quoque in suis urbibus honores obibant insigniores Medici. Unde Ephesii in inscriptione medicâ collaudant Asclepiadis filium ΠΙΣΙΣΤ... ΚΟΝ ... Α . Σ . Β . ΣΤ ... ΑΡΧ . Α ... ΟΝ. ΔΙΑΓΕΝΟΥΣ. ΝΕΟΠΟΙΟΝ — ΒΟΥΛΕΥΤΗΝ. κ. τ. λ.

(*a*) Et hæc quoque, æquè ac sacerdotium Æsculapii, eminuit apud Smyrnæos dignitas. Unde in Smyrnensi marmore inscriptum est honoris ergò: ΕΥ . ΜΕΡΟΥ ΙΑΤΡΟΥ ΣΜΥΡΝΑΙΩΝ : pro quo, ΙΕΡΟΥ inter Oxoniensia marmora, p. 301, & Sponii Miscell. pag. 351. mendosè legitur. Vid. Memoriam Cossonianam pag. 156. De Medicis verò urbium & archiatris, ad dignitatem istam à loci or-

Æsculapii (*b*), titulo sacrati, *caput strophio re-*

dine promovendis, consulatur Cod. Justin. tit. *De Professoribus & Medicis.*

(*a*) Smyrnæi Æsculapium suum rerum omnium potentem somniantes *Jovis* titulo insignivêre. Ἀσκληπιοῦ δυνάμεις μεγάλαι τε καὶ πολλαὶ, μᾶλλον δὲ ἅπασαι — καὶ Διὸς Ἀσκληπιοῦ νεὼν οὐκ ἄλλως οἱ τῇδε ἱδρύσαντο. Aristides, Hymno ad Æsculapium, & sæpiùs in Orationibus sacris. Parem & Serapidis potentiam plerique crediderunt, teste Tacito, lib. 4. cap, 84. Unde extat in Gazâ Mediceâ Nummus ΖΕΥΣ ΣΑΡΑΠΙΣ inscriptus. Smyrnæis vicini Colophonii tutelarem suum Apollinem in adversâ Nummi areâ, & in aversâ Jovem quoque Æsculapium (ut paulò suprà observavimus) adjecto sacerdotis nomine, percusserunt. Cujus generis esse Nummum istum licet conjicere, qui inter eos ex Fulvii Ursini bibliothecâ publicatos, Pythei nomine inscribitur. Errasse igitur in Nummi illius explicatione videtur Faber, qui sedentem imaginem ipsius esse *Pythei* existimet; quem & Poetam Colophonium fuisse statuit. Neque minus, opinor, fallitur, cùm figuram in adversâ Nummi parte lyram tenentem, non Apollinem, sed *Musam* esse censeat. Cæterùm cùm alter Nummus in Galliæ Regis Thesauro (ut refert Gronovius) voces habeat inscriptas: ΣΜΥΡΝΑΙΩΝ ΠΥΘΕΟΣ: Pytheus hic utriusque civitatis sacerdotio cumulatus, nec malè forsàn ad nostram etiàm Smyrnensium Medicorum classem referri posse credatur. Etenìm non inusitatum fuisse pluribus civitatibus insignes viros adscribi, inter alia ejus rei documenta tres *Attali Sophistæ* Nummi ostendunt, in quibus inscriptio illa legitur: ΑΤΤΑΛΟΣ ΣΟΦΙΣΤΗΣ ΤΑΙΣ ΠΑΤΡΙΣΙ ΣΜΥΡ. ΛΑΟ. Vid. illustris. Spanhem. de Vestâ, &c. apud Seguin. p. 341. De *Pytheo* autèm consulere licet Gronov. Thes. Ant. Gr. vol. III. plag. ddddd.

Sedere Jovi proprium, ideòque & Jovi Æsculapio, ut in nostro, & Neapolitanorum Nummo Tab. III. n. 14. stantem autem Æsculapium Pergameni aliique multi coluêre. At Smyrnæus Epidaurio magis accessit, de quo Pausanias in Corinth. κάθηται ἐπὶ θρόνου βακτηρίαν κρατῶν.

vincti (a), palliati (b), smilam, hoc est, gladiolum chirurgicum, *manu sinistrâ habentis (c), dextram* verò *labia versùs admoventis*, eoque arcana scientiæ medicæ (*d*), & juratum ab ejus candidatis silentium significantis (*e*). Eminet *à dextro*

(*a*) Caput strophio revinciri frequentissimum in Jove sedente, sed neque rarum erat in aliis quoque Numinibus ornamentum. Vid. suprà not. (c) p. 514.

(*b*) Is fuit Æsculapii habitus, luculenter illud testante Tertulliano. De Pallio cap. 4. *Ipsum hoc pallium morosiùs*, inquit, *compositum, & crepidæ Græcarum Æsculapio adulantur.*

(*c*) Οἱ᾽ ἐγχειρίδιον ἔχει ὑπό μάλης, de Æsculapio inquit Aristides, Orat. sacr. 4. Ἐγχειρίδιο autèm hoc *smilam* voco, auctore eodem Aristide, cui apparuit Serapis, compar Æsculapio Numen, σμίλην τι ἔχων ὥσπες κάθηλαι ἐν τῷ σχήματι. Est verò *smila* sive *smilium*, gladiolus ἰατρικὸς γαστρώδης, quem & στηθοειδῆ vocat Hippocrates; & ὀξυβελεῖ, sive τῷ φλεβοτόμῳ opponit, libro de Morbis secundo. Vide Galeni Exposit. Hippocraticarum λέξεων, in voce Μαχαιρίδι στηθοειδεῖ. Latum hujusmodi gladiolum Medici Herophilei & Erasistratei in manu Æsculapii sacravère, eo potissimum indicio tanquàm anatomices cum inventorem recolentes, & infirmorum per sectiones sanatorem. Tertiam enim in Æsculapio potentiam Pindarus hoc modo cecinit: Τοὺς δὲ τομαῖς ἔστησεν ὀρθούς. Pyth. 3. Atque ob hanc causam DEO ÆSCULAPIO ENCHIRIDIUM ARGENT. dedicatum cernimus. Inscript. Gruter. LXX. 8.

(*d*) Arcana suæ scientiæ habuére Medicinæ filii, iisdemque sacro sub silentio initiabantur, Pergami præcipuè: sub tutelâ Æsculapii Asiatici, quem eo nomine Μυσταγωγὸν appellat Aristides, mirumque in modum extollit jus illud, εἰς Ασκληπιοῦ τε συμφοιτῆσαι, καὶ τελεσθῆναι, τὰ πρῶτα ἱερῶν ὑπὸ τῷ καλλίστῳ καὶ τελειοτάτῳ δᾳδούχῳ καὶ μυσταγωγῷ. Orat. de concordiâ Urbium.

(*e*) Institutum olim ab Hippocrate jusjurandum, ἃ δ᾽ ἂν ἐν θεραπείῃ ἢ ἴδω, ἢ ἀκούσω, σιγήσομαι, ad sera usque tempora perduravit. Ità enim in Epistolâ secundâ ad Nepotianum Hieronymus: *Hippocrates adjurat discipulos, ante-*

latere baculi pretensi apex (*a*), & *ante pectus astrum* (*b*).

2. NUMMUS æreus moduli tertii. In adversâ areâ: *Caput turritum Matris Deorum Sipylenæ* (*c*),

quàm doceat; & in verba sua jurare compellit; & extorquet sacramento silentium. Cassiodorus quoque in formulâ Comitis Archiatrorum, lib. 6. cap. XIX. *In ipsis hujus artis initiis quædam sacerdotii genere sacramenta nos consecrant.* Hæc igitur sacramenta, digito ad os admoto, cultoribus suis innuit Æsculapius, quod & apud Ægyptios fecit Harpocrates, apud Latinos dea Angerona.

(*a*) Baculus iste, quanquàm solito aliquantò longior, proprium tamen est gestamen Æsculapii, ut in antiquis apud Choulium & Chausseum simulacris. Quod vero serpente destituatur, id habet cum simulachro dei Epidaurii commune. Contrà autèm, ut baculus sine serpente, ità serpens sine baculo Æsculapio nonnunquàm adjungitur. Vid. Tab. III. n. 16. Quod & deæ Salutis fuit insigne diversimodè depictum, Ibid. n. 11. 13. 19. & Tab. II. n. 4.

(*b*) Hujusmodi astro solem non impropriè designari demonstrant Elagabali Nummi, & sacra Mithræ monumenta; ad solem verò Æsculapium, i. e. ἰατρικὴν δύναμιν, referri notum est in Gentilium Theologiâ. Sic igitur Proclus in Timæum, lib. 1. pag. 49. Ἀσκληπιὸν ἐν ἡλίῳ θεῖον. Fuerunt etiàm qui Æsculapium pro ipso solis numine habuerunt. Unde quærit non immeritò Eusebius, Præp. Evang. lib. 3. cap. 2. Πῶς δὲ ἥλιος ὢν (Ἀσκληπιὸς) καὶ αὐτοῦ τοῦ ἡλίου υἱὸς πάλιν ἀποφανθείη; Vide gemmam huc spectantem, in quâ imago Æsculapii, hinc lunulâ astro, solis symbolo, delineatur, apud Beger. Thes. Brand. vol. 1. pag. 17.

(*c*) Eam urbs utraque juravit in Smyrnæorum & Magnetum fœdere, v. 60, 61, 71. ΟΜΝΥΩ ΔΙΑ ΓΗΝ — ΚΑΙ ΔΗΜΗΤΡΑ ΤΗΝ ΣΙΠΥΛΗΝΗΝ h. e. *Juro Jovem, Tellurem & Matrem Sipylenam.* Ubi in Marm. Oxon. malè vertitur; *Juro per terram* &c. Quibus verbis etiàm deceptus videtur illustriss. Spanhemius, cum eâ adducit, ut civitates istas per *Terram ante alios deos deasque* jurasse ostendat. De Vestâ & Prytanibus Græc. ap. Seguin. p. 362. Nam διὰ præpositio in jurando genitivo casui ad-

tutelaris Smyrnæorum Numinis (*a*).

In aversâ: ΣΜΥΡΝΑΙΩΝ ΖΕΥΞΙΣ. Idem ille, qui in priore Nummo *Zeuxis*; hic quoque ut deæ *Isidis*, sanitatis præsidis, sacerdos, idque ob pompam Isiacam cum ludis Æsculapicis conjunctam. Conspicitur enim in eâdem areâ *simulacrum Reginæ Isidis* (*b*), socium cum Magnâ Matre honorem (*c*), eandem ac Æsculapius potentiam, (*d*), & cele-

jungitur, ut apud Demosth. διὰ πυρὸς ὀμνύειν. Templum ejus nobilissimum, Μητρῷον Smyrnæis dictum, Aristidi verò ναῶν ὁ κάλλιστος — τῆς εἰληχυίας θεᾶς τὴν πόλιν, situm erat in plano urbis prope portum & gymnasium, templumque in eo Jovis Æsculapii. Vid. eum, Orat. Smyrn. politic. & de Concord. urb.

(*a*) Hoc est, quod volui: Aristides in Prænotatis istis: τῆς εἰληχυίας θεᾶς τὴν πόλιν. Unde etiàm inter deos, quos S. C. & constitutionibus Principum hæredes institui concessum fuit, enumerari invenimus, *Apollinem Didymæum*, *Dianam Ephesiam*, *Matrem Deorum Sipylensem*, *quæ Smyrnæ colitur*. Ex corp. Ulp. tit. 22. §. 6.

(*b*) Quo jure post Osirin, & quantâ cum laude regnaverit Isis, docet Diodorus, lib. I. Hic igitur regiam ejus dignitatem ostentat sceptrum, manu dextrâ elevatum. Ejus numen unicum (teste se ipsâ apud Apuleium, As. aur. lib. XI.) *multiformi specie, ritu vario, nomine multijugo totus venerabatur orbis*. At *Æthiopes*, *Ariique*, *priscâque doctrinâ pollentes Ægyptii appellabant vero nomine Reginam Isidem.*

(*c*) Multa hoc testantur Antiquorum monumenta, præcipuè in inscriptione Gruterianâ XXVII. MATRI DEÛM ET ISIDI commune fanum. Porrò unum utriusque Numen, sociatis in eodem simulacro symbolis, colebatur Romæ, in circo maximo, insigne capite turrito, leonem in sublimi agitans, & sistrum manu attollens. Vid. Numm. Neronis & Trajani apud Onuph. Panvin. De lud. circens. l. 1. c. 13.

(*d*) Eandem quidem, ac Æsculapius, honorem habuit Isis, sed & antiquiorem. Nam, teste Diodoro, lib. I. Φασὶ

brem id urbe Smyrnâ celtum sortitæ (*a*). *Stat illa habitu stolata, caput calatho ornata* (*b*), *dextrâ manu sceptrum attollens, lævâ cippo innixa; eademque victoriolam alatam sustinens, quæ & ipsi coronam porrigit*, talem scilicet Reginam Isidem recognoscens, qualis in inscriptionibus celebratur, i. e. DOMINAM VICTRICEM, & TRIUMPHALEM. Grut. LXCXIII, 14. LXXXIV, 2. *Adstat ad pedem cippi, avis* manifestiùs in aliis Nummis consimilibus *anseris* speciem præbens (*c*).

Αἰγύπτιοι τὴν Ἶσιν φαρμάκων τε πολλῶν πρὸς ὑγίειαν εὑρέτιν γεγονέναι — διὸ καὶ νῦν τυχοῦσαν ἀθανασίας ἐπὶ ταῖς θεραπείαις τῶν ἀνθρώπων μάλιστα χαίρειν — εὑρεῖν δ' αὐτὴν καὶ τὸ τῆς ἀθανασίας φάρμακον — τὸν δὲ Ὧρον μεθερμηνευόμενον φασὶν Ἀπόλλωνα ὑπάρχειν, καὶ τήν τε ἰατρικὴν καὶ μαντικὴν ὑπὸ τῆς μητρὸς Ἴσιδος διδαχθέντα, διὰ τῶν χρησμῶν καὶ θεραπειῶν εὐεργετεῖν τὸ τῶν ἀνθρώπων γένος — τήν τε ἰδίαν ἐπιδεικνυμένην ἐπιφάνειαν, καὶ τὸ πρὸς δεομένους τῶν ἀνθρώπων εὐεργετικὸν — ὅθεν πρὸς ταύτην τὴν θεὸν καταφεύγουσιν. Hinc nata Isidis Salutaris, non minùs quàm Fructiferæ, & Thesmophoræ religio; templa Isidis per universam Græciam templis Æsculapii conjunctissima; inscriptiones Romanæ ISIDI SALUTARI; Nummi denique (qualis est Claudii Gothici, Tab. III. 20. cum epigraphe, SALUS AUG.) Isida cum symbolis ostentantes.

(*a*) Memorat quidèm Aristides τῆς Ἴσιδος τῆς ἐν τῇ Σμύρνῃ ἱερεία, Orat. sacrâ primâ, Et in tertiâ ait: Ἐτεθύκειν τῇ Ἴσιδι καὶ τῷ Σαράπιδι ἐν τῷ τῆς Ἴσιδος ἱερῷ, λέγω τοῦτο ἐν Σμύρνῃ γενόμενον. ἐξιόντι δέ μοι τὰ προπύλαια προσερρύησαν χῆνες δύο τῶν ἱερῶν.

(*b*) Horum utrumque Hygiæ nostræ & Isidi ex æquo competit, ut videre est in Nummis Tab. III. n. 11, 13, 20.

(*c*) Anseres in Isidis templo, gratior ei victima futuræ

3. Nummus æreus moduli tertio minoris. In adversâ areâ: *Caput idem muliebre laureatum*, ac in primo *Zeuxidis* Nummo.

In aversâ ΣΜΥΡΝΑΙΩΝ ΖΕΥΞΙΣ. Idem ille *Zeuxis* hic etiàm, ut deæ *Isidis* sacerdos. Adsunt enìm in eâdem areâ sacra illa Isiaca, ab Antistibus in pompâ Isidis attolli & gestari solita; *palmæ* nempè *ramus*, & ex cavo ære *manus sinistra deformata*, *porrectâ palmulâ* (*a*) æquitatis in Iside Thesmophorâ, sive legum præside, indicium (*b*).

At si quis fortè fuerit, qui manum hanc sinistram cestui similiorem putet, & Nummum eâ ratione ad pugilatum referri malit; id ipsum equi-

pascebantur. Testatur hoc apud illustriss. Spanhemium, pag. 307. minister Isiacus benè anseribus oneratus; & Artemidorus, ab eodem adductus, in Oneirocriticis, l. 4. c. 85; præter χῆνας τὰς ἱερὰς Aristidis nostri, jam sub notâ (c) p. 513. observatos.

(*a*) Ità scilicet Apuleius in Aur. as. lib. XI. pompam Isidis percurrens: *Ibat tertius* (Isidis antistes) *attollens palmam auro subtiliter foliatam, nec non Mercurialem etiàm caduceum. Quartus æquitatis ostendebat indicium, deformatam manum sinistram, porrectâ palmulâ; quæ genuinâ pigritiâ, nullâ calliditate, nullâ solertiâ prædita videbatur, æquitati magis aptior, quàm dextera.* Cui quidem plenè succinit Macrobius, manus sinistræ mysterium non solùm ad æquitatis, sed etiàm ad salutis officia pertrahens, *quod ad noxam sit pigrior, & salutem ea manus promptior largiatur.* Saturnal. lib. 1. cap. XVII.

(*b*) Pari ratione & Nummum aureum priori nostro in multis simillimum, Smyrnæi deæ Isidi Thesmophoræ percussere; hinc matris Sipylenæ capite, illinc stantis Isidis figura; & epigraphe ΠΡΥΤΑΝΕΙΣ insignium. Quid enim? ad Prytanes spectabat juris & æquitatis administrationi sub Iside legum præside prospicere. Hanc tamen stantis Isidis figuram Seguinus ad *Smyrnam Amazonem*, Spanhemius ad *Vestam* detorsere. Quod quidem citrà omnem doc-

dem ab Æſculapii & Hygiæ myſteriis nullo modo alienum judicamus. Etenim *dormienti cuidam pugili Smyrnæo* (*a*) *Æſculapius arcana quædam pugilatûs præmonſtraſſe dicitur, quibus ille inſtructus celebrem quendam adverſarium proſtravit*, palmamque, ut par erat, præmium victoriæ retulit. Vid. Ariſtid. in Λαλιᾷ πρὸς Ἀσκληπιόν.

N. II.

HICESIUS.

1. NUMMUS æreus moduli tertio majoris. In adversâ areâ: *Caput idem muliebre laureatum*, ac in primo *Zeuxidis* Nummo.

IN aversâ: ΜΥΡΝΑΙΩΝ ΙΚΕΣΙΟΣ. *Hicesius ſcholæ Medicorum Eraſiſtrateæ in Smyrnâ urbe magiſter* fuit, ut è Strabone ſuprà oſtendimus (*b*); Plinio *non parvæ auctoritatis habitus*, l. XXVII. c. 4. ab Athenæo quoque ſæpiuſculè (*c*), & Tertulliano De Animâ c. 25. laudatus; ut ſacerdos Æſculapii hìc inſcriptus. Adeſt enìm, ut in primo *Zeuxidos* Herophilei Nummo, *ſimulacrum Æſculapii* ſimili planè typo; niſi quod ante ſimulacrum non conſpicitur *aſtrum*, neque extat ponè humerum *bacillus*; quæ non modò in *Zeuxidis*,

tiſſimorum virorum culpam admiſſum cenſeo; cum nempè eorum Nummo non adeſſent certiora illa deæ Iſidis indicia; in manu dextrâ ſceptrum, ad pedes anſer. Vide Spanhemii de hoc Nummo, & de Veſtâ, &c. Diatriben; Diodorum verò Siculum de Iſide Theſmophorâ lib. I. 39.

(*a*) Ἐφ' ἡμῶν inquit Ariſtides, h. e. *è civitate noſtrâ*, non ut aliàs, *noſtro tempore*.

(*b*) Vid. pag. 509.

(*c*) Occaſione libri ab Hiceſio ſcripti, περὶ ὕλης. h. e. *De Alimentorum materiâ*.

ſed etiàm in *Iatrodori*, & *Athenagoræ* Nummis comparent. Deſunt autèm, ut in *Hiceſii*, ſic in illis quoque *Iaſonis*, *Paſicratis*, *Metrodori*, & *Hermogenis*. At in iis, *Apollophanis*, & *Sarapionis* nomine inſignitis, *bacillus* quidèm, ſed non *aſtrum*, adſpicitur. Ea nimirùm apud Veteres fuit diverſitas in ſymbolis eidem Numini attributis. De quâ re nonnihil ſuprà obſervavimus (*a*). At quid ſi dicamus, Herophileos, Æſculapio ſuo aſtrum, ut ſectæ indicium, Eraſiſtrateos non itèm adfinxiſſe? Mihi ſanè, quantum ex Nummis hactenùs inſpectis obſervare potui, vero haud diſſimile videtur. Nihil autèm certi de hac re in præſentiâ ſtatuo; ſed potiùs ut conjecturam deliciarum hujuſmodi ſtudioſis propono, dùm amplior Nummorum copia magis exploratum aliquid, anſamque decernendi præbeat.

2. Nummus æreus moduli tertii (*b*). In adversâ areâ: *Caput turritum Matris Deorum Sipylenæ*, ut in ſecundo *Zeuxidis*.

In aversâ: ΣΜΥΡΝΑΙΩΝ ΙΚΕΣΙΟΣ. Idem ille *Hiceſius* Medicus, hic quoque ut ſacerdos *Iſidis*; cum eadem, ac in parili Nummo Zeuxidiano, *ſtantis Iſidis figura*.

N. III.

APOLLOPHANES.

1. Nummus æreus moduli tertii. In adversâ areâ: *Caput idem muliebre laureatum* ac in primo *Zeuxidis* & *Hiceſii* Nummo.

In aversâ: ΣΜΥΡΝΑΙΩΝ ΑΠΟΛΛΟΦΑΝΗΣ ΕΡΟΒΙΤΗΝΟ. *Sedet* etiàm hìc *Æſculapius*, ut in iis *Zeuxidis* &

(*a*) Vid. pag 512.
(*b*) Ex Muſeo honoratiſſimi Comitis de *Winchelſea*.

Hicesii. Apollophanes autèm *genere Seleucensis, Antiochi magni Medicus fuit*, ut discimus à Polybio, l.V. Qui & *eximiè regi dilectum fuisse* scribit, idque non artis tantùm causâ, ut videtur, sed etiàm sapientiæ & in rebus arduis consilii prudentis. Etenìm cùm Antiochus consultandum amicis proposuit, ecquâ potissimùm viâ impressio in Syriam esset tentanda, rejectis aliorum sententiis, èa Apollophanis omnibus prælata fuit. Floruit Apollophanes ann. ante Christum CCXX. Cui Nummum hunc tribuerem. Quod ut faciam, eò etiàm magis adducor, quia *Apollophanes*, ut *sectator Erasistrati*, à Cælio Aureliano memoratur, Acut. Morb. l. II. c. 3. *Apollophanem* quoque ut *Medicum* laudat Celsus, l. V. c. 18. ut *scriptorem* Plinius, l. XXII. c. 21. In voce autèm imperfecta ΕΡΟΒΙΓΗΝΟ.. latet, opinor, patris nomen. Alter fuit *Apollophanes* Arcas, & is quoque Æsculapii Numini addictus, teste Pausan. in Corinth. c. 26.

2. NUMMUS æreus moduli tertii. In adversâ areâ: *Caput turritum Matris Sipylenæ.*

In aversâ: ΣΜΥΡΝΑΙΩΝ ΑΠΟΛΛΟΦΑΝΗΣ. *Isidis stantis imago*, ut in secundo *Zeuxidis* & *Hicesii* Nummo.

N. IV.

IATRODORUS. IASON IASONIS.

QUATUOR Nummi ærei, quorum tres priores tribus *Zeuxidianis* omninò similes. In aversâ parte inscripti: ΣΜΥΡΝΑΙΩΝ ΙΑΤ ΟΔΟ ΟΣ, adaptato scilicet ad Medicinæ professionem *Iatrodori* nomine.

Idem & in quarto Nummo observare licet; sic inscripto: ΣΜΥΡΝΑΙΩΝ ΙΑΣΩΝ ΙΑΣΟΝΟΣ: hoc est, *Iason Iasonis filius.* In eâdem enim familiâ vigebat ut plurimùm Medicina, filiis & filiorum filiis a patribus per manus tradita. Quo nomine Asclepiadarum, h. e. *Medicorum gens*, non immeritò laudatur ab Aristide, ποιησάμενοι nempè τοὺς παῖδας συνεργοὺς τε καὶ διαδόχους τῆς σφετέρας ἐπιστήμης — καὶ ἐκ Μαχάονος ἀρξάμενοι καὶ Ποδαλειρίου — τὴν τοῦ προγόνου διασωσάμενοι τέχνην, ὥσπερ ἄλλο τι σύμβολον τοῦ γένους. Orat. in Asclepiadas. E nostris igitur Medicis alii sibi titulum assumunt à locis Æsculapio dicatis, *Tricca* puta, aut *Titana*; alii verò à patribus, Medicinæ studio celebratis, ut hic *Iason Iasonis*, itèm *Metrodorus Pasicratis*, de quo mox: nè plures jam commemoremus. Hinc & apud Latinos, teste Plinio, l. XXIX. c. 1. tùm aliæ quædam familiæ, tùm & *Rubria* Medicinæ professione erat celebris. Quod & Nummus in eâ familiâ testatur apud *Vaillant*, exhibens Æsculapii ab Epidauro sub draconis formâ advectionem (*a*); qualis ab Ovidio in Metam. XV. celebratur, ab Arnobio autèm lib. VII. non minore ingenio refutatur. *Iasonem*, Menecratis Nysæi filium, Posidonii Philosophi è filiâ nepotem, discipulum; & in scholâ Rhodensi successorem, memorat Suidas in voce Ἰάσων. Quem etiàm *vitas illustrium Virorum*, *Philosophorum successiones*, aliaque scripsisse dicit. Posidonium autèm istum, Stoicum, ac Ciceronis præceptorem Rhodi fuisse, in hujus vitâ tradit Plutarchus. Veruntamen nùm *Iason* ille Menecratis Medicinæ etiàm operam de-

(*a*) Vid. Tab. III. n. 15.

derit, nostrique *Iasonis* pater fuerit, necne; aliis, quibus plus sit otii, disquirendum relinquimus.

N. V.

ATHENAGORAS.

TRES alii ex ære, *Zeuxidianis* pariles, inscripti ΣΜΥΡΝΑΙΩΝ ΑΘΗΝΑΓΟΡΑΣ: adjecto *ad pedem cippi prope stantis Isidis figuram*, eoque jam planiùs delineato, *ansere*. Smyrnæ enìm in templo Isidis ea avis deæ sacra pascebatur; & ægrotans toties Aristides, sanitatis recuperandæ ergò, geminos ei anseres immolabat, utì suprà ostendimus, p. 521. Quisnam fuerit hic *Athenagoras*, aut quo tempore vixerit, nondùm comperimus. Sed cùm iidem planè honores, qui *Zeuxidi* & *Iatrodoro*, in tribus ei Nummis tribuantur; ut inter Isidis & Æsculapii sacerdotes, ità quoque in Medicorum illum numero habere nullo modo dubitavimus.

N. VI.

SARAPION, PASICRATES, METRODORUS PASICRATIS, HERMOGENES TRICCÆ.

QUATUOR alii ejusdem generis Nummi ærei, in quibus idem ac in prioribus *caput laureatum*, & in areâ opposita *Æsculapius sedens* conspicitur.

1. PRIMUS inscribitur: ΣΜΥΡΝΑΙΩΝ ΣΑΡΑΠΙΩΝ, *Sarapion* hic idem esse potest qui apud Celsum in procemio *Serapion appellatur*. E scholâ *Erasistrati* illum primo prodiisse, ex Cælii Aureliani verbis conjectari licet, qui de *tormento* loquens, eum

similia Erasistrato ordinasse dicit. Acut. Morb. l. III. c. 17. Neque his contradicere existimanda sunt, quæ Celsus loco jam dicto tradit: *Serapion primus omnium nihil rationalem disciplinam pertinere ad Medicinam professus, in usu & experimentis eam posuit* (*a*). Nihil enim prohibebat, quo minus & Erasistrateorum & Herophileorum placitis ἐμπειρικὴ etiam admisceretur. Sed & in aliquam multis fortè *Serapion* ab Erasistrato discessit; ut ab *Herophilo* magister Herophileæ scholæ *Alexander*, Φιλαλήθης inde cognominatus.

2. Sequitur ΣΜΥΡΝΑΙΩΝ ΠΑΣΙΚΡΑΤΗΣ; *Pasicrates*, Menodori Erastratei frater, ipse quoque fuit *Erasistateus*; quod demonstrant duo in eàdem Nummi areâ adjecta monogrammata, unum urbis *Smyrnæ*, alterum scholæ *Erasistrateæ*. Legitur autèm apud Athenæum, l. II. c. 18. Μηνόδωρος ὁ Ἐρασιστράτειος, Ἱκεσίου φίλος. Et in inscriptione Ancyranâ: ΚΑΠΙΤΩΝΙ ΠΑΣΙΚΡΑΤΟΙΣ ΠΑΣΙΚΡΑΤΗΣ ΚΑΙ ΜΟΝΟΔΩΡΟΣ ΥΙΟΙ ΑΥΤΟΥ. *Pasicratem* etiàm *De re chirurgicâ* auctorem memorat Oribasius, lib. De Machinament.

3. Huic tertius affinis, ΣΜΥΡΝΑΙΩΝ ΜΗΤΡΟΔΩΡΟΣ ΠΑΣΙΚΡΑΤΟΥΣ: hoc est, *Metrodorus Pasicratis filius.* Unde innotescit in familiâ Pasicrateâ professorum successio.

4. Agmen claudit ΣΜΥΡΝΑΙΩΝ ΕΡΜΟΓΕΝΗΣ ΤΡΙΚΚΑΣ. *Hermogenes* autèm, *Triccæ*

(*a*) Haud ignoro sanè, quæ scribit Galenus, Introduct. c. 4. τῆς ἐμπειρικῆς προέστηκεν Φιλῖνος Κῷος, ὁ πρῶτος αὐτὴν ἀποτεμνόμενος ἀπὸ τῆς λογικῆς αἱρέσεως, τὰς ἀφορμὰς λαβὼν παρὰ Ἡροφίλου, οὗ καὶ ἀκουστὴς ἐγένετο — Μετὰ Φιλῖνον ἐγένετο Σεραπίων Ἀλεξανδρεύς. At Celso hic, ut multo antiquiori, fides potiori jure debetur.

nomine

nomine adscripto, natalitia sua in eâ urbe notari voluit; ideò fortè, quia urbs Tricca non solùm Æsculapio sacra, sed & eidem natalis fuit. Sic enim Oraculum ab ipso Æsculapio editum:

Τρίκκης ἐξ ἱερῆς ἥκω θεὸς, ὅν ποτε μήτηρ
Φοίβῳ ὀπυιασθεῖσα κύει δοφίης βασίλεια,
ἴδριν ἰητορίης Ἀσκληπιόν. Euseb. Præpar. evang. l. III. c. 14.

Tricca igitur urbs Thessaliæ, & vicina ei *Ithome*, tanquam patria & ditio Asclepiadarum, hoc est Æsculapii filiorum, Podalirii & Machaonis, ab Homero in Catalogo celebrantur, Il. β. v. 729.

Οἱ δ' εἶχον Τρίκκην, καὶ Ἰθώμην κλωμακόεσσαν,
Τῶν αὖθ' ἡγείσθην Ἀσκληπιοῦ δύο παῖδε.

Hermogenem autem Medicum *Erasistrateum* laudat Galenus. Item *Hermogenis Medici*, *Charidemi filii*, meminit inscriptio lapidis *Sherardiani*, qui Smyrnæ prope lacum *Alco bonar* dictum, ubi gymnasium olim fuerat, & templum Æsculapii reperiebatur.

ΕΡΜΟΓΕΝΗΣ ΧΑΡΙΔΗΜΟΥ ΙΗΤΡΕΙΗΝ ΑΝΑΓΡΑΨΑΣ ΕΠΤΑ ΕΠΙ ΕΒΔΟΜΗΚΟΝΤΕΤΕΣΙΝ ΚΑΙ ΙΣΑΙΣ ΕΠΙ ΒΥΒΛΟΙΣ

ΣΥΝΕΓΡΑΨΕ ΔΕ ΒΥΒΛΙΑ-ΙΑΤΡΙΚΑ ΜΕΝ ΟΒ

ΙΣΤΟΡΙΚΑ ΔΕ-ΠΕΡΙ ΖΜΥΡΝΗΣ-ΑΒ

ΠΕΡΙ ΤΗΣ ΟΜΗΡΟΥ ΣΟΦΙΑΣ-ΑΚΑΙ ΠΑΤΡΙΔΟΣ-Α ΑΣΙΑΣ ΚΤΙΣΕΩΝ-Α Β-ΕΥΡΩΠΗΣ ΚΤΙΣΕΩΝ-ΑΒ ΓΔΝΗΣΣΩΝ-Α

ΑΣΙΑΣ ΣΤΑΔΙΑΣΜΩΝ - Α - ΚΑΙ ΕΥΡΩΠΗΣ - Α ΣΤΡΑΤΗΓΗΜΑΤΩΝ-ΑΒ-

ΠΙΝΑΞ ΡΩΜΑΙΩΝ ΚΑΙ ΖΜΥΡΝΑΙΩΝ ΔΙΑΔΟΧΗ
ΚΑΤΑ ΧΡΟΝΟΥΣ (*a*)

Noſtrum igitur *Hermogenem* eum eſſe, qui ut *ſeptuaginta ſeptem librorum auctor*, in hoc lapide celebratur, eò magis veriſimile videtur, quia patrem quoque *Charidemum Eraſiſtrateum* fuiſſe teſtatur Cæl. Aurelianus, Acut. Morb. l. III. c. 15. ubi *Caridemus* ſcribitur.

ALII non pauci in Nummis planè paribus pari modo inſcripti reperiuntur, quos æra hæc Smyrnæa non inhonoratos poſteritati tradunt. Quos autèm præ manibus habemus, præter alios aliis memoratos, aut in eruditorum ſcriniis reconditos, ſunt, qui ſequuntur. *Artemidorus* Sidenſis, quem Cælius Aurelianus, ut *Eraſiſtrati ſectatorem*, haud ſemel commemorat. Etiàm *Hippias Artemidori*. Itèm *Moſchus Moſchi*; & de *Moſchi* quidem *malagmate* apud Celſum legimus, l. V. c. 18. *Diogenes* etiàm, idem, ut conjicere licet, cujus *purgatorii pituitam ducentis* meminit Aëtius, Tetrab. 1. Serm. 3. c. 109.

(*a*) Ne quis forsàn erraret in numero librorum, quos inſcriptio memorat, computando, totam hic Latinè converſam ſubjicere viſum eſt.

Hermogenes Medicus, Charidemi filius, annos
Undecies ſeptem, libros totidemque peregit.
Conſcripſit autem libros — medicos quidem — LXXII.
Hiſtoricos verò — de Smyrnâ — tom. I, II
De Homeri ſapientiâ — tom. I — & de patria — I.
Structurarum Aſiæ — tom. I, II — ſtructurarum Europæ — I, II, III, IV — Inſularum — I.
Aſiæ ſtadiaſmorum — tom. I — & Europæ — I.
Stratagematum — tom. I, II.
Tabula Romanorum & Smyrnæorum ſucceſſione temporum.

Item *Hermocles Pythei* : ejusdem forsàn *Pythei* filius, de quo suprà mentionem fecimus, p. 518 *Apollonius* quoque (*Mus*, ut fas est credere) Straboni lib. XIV. *Heraphileus*, *Heraclidæ* condiscipulus; & ejusdem sectæ *Demetrius*, ut scribit Cæl. Aurelianus, Acut. Morb l. III. c. 7. Etiàm *Charicles*, nomen *Medici* apud Galenum. Nec non *Apollodorus*, cujus nominis plures *Medici* à Plinio memorantur. Prætereà *Potamon* & *Menecles*, non insueta Smyrnæorum nomina, ut in fœdere illorum cum Magnetibus videre est, Marm. Oxon. pag. 6. & 17. His accedunt *Aristomenes*, *Arridæus*, *Callistratus*, *Conon*, & *Pyrrhus*. Denique tres alii, quorum singuli *astro* adornantur, *Metrodorus* alter, *Eucles*, & *Leontiscus*. Horum aliqua fortasse nomina veterum Medicorum libros excutientibus occurrent; cæteris silentio præteritis, quia nullo nobili invento apud suos claruêre.

EXTINCTIS denique scholis, quæ Smyrnæ urbi Medicos, Æsculapio sacerdotes præbuêre, successit alius rudior multò Nummus Æsculapicus, mutato aliquantulùm simulacro, nec expresso sacerdotis nomine; quem quidèm ad priores illos elucidandos adhiberi curavimus, Tab. II. n. 1, 2. Is nobis ante oculos palàm videtur sistere ipsissimum illum, quem Tertullianus depinxit, Æsculapium; hoc est, cum *pallio morosiùs composito*, & *crepidis Græcarum*. Caput etiàm non jam *strophio*, ut nonnulli ex jam descriptis Nummis; sed, ut alii ex iisdem, quodam quasi *pileo* obtectum monstrat. Et *pileatum* quidem *Æsculapium* jam olim protulit Baldus Angelus Abbatius in Opusculo De Viperâ, Urbini edito,

ann. 1589; recentiùs verò clarissimus Vaillant in Coloniæ Corinthiorum Nummo, valetudinario isti L. Ælio Cæsari dicato. Hujusmodi autèm seu *pilei*, seu *coronæ* (alterutrum enìm non impropriè dixeris) tùm nomen ipsum, tùm similitudo, ad hæc usque tempora pervenit. κίθος enìm Messeniaca, i. e. Asclepiadarum lingua vocabatur, teste in Laconicis Pausania, cap. ult. Hinc Celticum *coif*, Italicum *cuffia*, Græcum hodiernum κουφία. Et ut pars ejus anterior in laudato Ælii Cæsaris Nummo; ità posterior in Goari Euchologio Græco, pag. 157. conspicienda extat. Hanc simulacri mutationem, aliorumque in Æsculapii templo innovationem, non obscurè innuit Aristides, studiosus ejus, si quis alius, & devotus cultor. Ἐδόκουν, inquit, ἐν προπυλαίοις εἶναι τοῦ Ἀσκληπιοῦ, καὶ προϊόντος λόγου μνησθῆναι, ὅσα δὴ καὶ περὶ τὸ ἱερὸν τυγχάνοι κεκινημένα — καὶ ὁρῶ ἄγαλμα ἕτερον ἀντὶ τοῦ παλαιοῦ, κατηρές. Orat. sacr. prim.

Hæc, ni fallor, in præsentiâ sufficient ad hos Nummos Medicis vindicandos. Si quis autèm objiciat, jus illud nomen suum in Nummis inscribendi, ut sacerdotes potiùs, quàm, Medicos eos habuisse: ut is secum reputet volumus, tùm Isidem, tùm Æsculapium, divinos suos honores medicæ arti primùm debuisse. Itaque cum templis, sacrisque ritibus illos, tanquam Numina, Smyrnæi adornaverint, Medicosque potissimùm ἱερέας, seu potiùs ἀρχιερέας (quibus Nummos hujusmodi percutiendi potestas concessa videtur) ipsis eligere voluerint; artis causâ, quam cum diis istis communem habuerunt, decus utrumque in eos collatum fuisse meritò judicari potest. Ne-

que enim ſummi ſacerdotii dignitas perpetua, ſed annua tantùm fuiſſe videtur. Certè de ſummo *Syriæ Deæ*, h. e. *Matris Deorum*, ſacerdote id diſertìm teſtatur Lucianus. Ἀρχιερεὺς, inquit, ἄλλος ἑκάτου ἔτεος ἐπιγίγνεται. Atque hinc opinor, facilè apparebit, quemadmodùm omnes Medici, quibus Nummos adſcripſimus, munus hoc gerere potuiſſent; cùm ex alterutrâ ſcholarum, quas memorat Strabo, profecti, famâ nominis poſteà quidam ad illud fuiſſent arceſſiti, licet aliàs forsàn longè à Smyrnâ urbe artem ſuam exercerent.

FINIS.

FIGURARUM QUARUM nulla in operum decursu explicatio reperitur, Expositio.

TABULA TERTIA,

SCOLOPENDRA.

Fig. 1a. *a a* Unci venenati forcipis.

Fig. 2a. Unus ex ambobus uncis, naturali amplior, in quo delineatur apertura *b*.

Fig. 3a. SCORPIUS.
a a Unci.
b Cauda in aculeum desinens.

Fig. 4a. Aculeus naturali amplior, ut una demonstretur ex fissuris, per quas venenum defluit.

Fig. 5a. TARANTULA.
a a Forceps vulneri infligendo destinatus.
b b Antennæ.

TABULA QUARTA.

Fig. 1a. Pars superior Lichenis folii evoluti.
a a Peltæ, seu seminales Capsulæ, ad foliorum extrema.

Fig. 2a. Pars inferior ejusdem folii cum Peltis.

Fig. 3a. Fig. Folii quale jacet humi non expansum.

FINIS.

LIBRI MEDICI.

ANATOMIE du Corps de l'Homme en abrégé, ou Description courte de toutes ses parties, par Mr. Noguez, fig. *in*-12. Paris, 1723, 3. l. 10. s.

Arbuthnot (Jo.) Essai sur la nature & le choix des Alimens, suivant les différentes constitutions, où l'on explique les differens effets, & les avantages de la Nature Animale & Végetale, avec les Régles sur la Diète; traduit de l'Anglois, *in*-12. Paris, 1741. 2 liv. 5 s.

Astruc De Morbis Venereis Libri IX. in quibus differitur tum de Origine, Propagatione & Contagione horumce Affectuum in genere, tum de singulorum Natura Ætiologia & Therapeia, cum brevi Analysi & Epicrisi Operum plerorumque quæ de eodem Argumento scripta sunt. Editio altera auctior, in quâ additæ sunt duæ Dissertationes novæ, *in*-4°. 2 vol. Parisiis, 1740. 18 liv.

— *Ejusd.* Traité des Maladies Vénériennes, où après avoir expliqué l'origine, la propagation & communication de ces Maladies en général, on décrit la nature, les causes & la curation de chacunes en particulier, traduit du Latin de Mr. Astruc, Médecin Consultant du Roi, seconde Edition augmentée, 4 vol. *in*-12. Paris, 1734. 10 l.

— *Ejusd.* Lettres contre les Chirurgiens, au nombre de cinq, *in*-4°. 3 liv. 15 s.

Barker (Jan.) Essai sur la conformité de la Médecine des Anciens & des Modernes, entre la Pratique d'Hippocrate, Gallien, Sydenham & Boerhaave, dans les Maladies aigues, trad. de l'Anglois par Schomberg, *in*-12. Amsterdam, 1742.

Boerhaave (Her.) Aphorismi de cognoscendis & curandis Morbis in usum Doctrinæ domesticæ digesti, *in* 12. Accessit Libellus de Materie Medica & Remediorum formulis, quæ serviunt Aphorismis, *in*-12. Paris. 1720 & 1728. 3 liv 10 s.

— *Idem.* Paris. 1747. Nova Editio, 4 liv.

— *Ejusd.* Oratio habita in Auditorio Magno 24 Septembris anni 1711. cum tertii suæ Stationis anni Labores auspicaretur, tertia Editio, *in*-4°. Lugd. Bat. 1730.

— *Ejusd.* Sermo Academicus de Comparando Certo in Physicis, *in*-4°. Lugd. Bat 1715.

— *Ejusd.* Institutiones Medicæ in usus annuæ Exercitationis domesticos digestæ; Editio nova auctior, *in*-12. Paris. 1747 3 liv. 10 s.

— *Ejusd.* Consultationes Medicæ, sive Sylloge Epistolarum, cum Responsis, *in*-12. Paris. Editio nova, priori Parisiensi, cæteris ante hanc datis perfectiori, auctior, Parisiis, 1750. 2 liv. 10 s.

— *Ejusd.* Prælectiones publicæ de Morbis Oculorum, nova Editio, Parisiis, 1747 fig. 2 liv. 10 s.

— *Ejusd.* De Viribus Medicamentorum Editio novissima altera vice dedit, accuratiùs adhuc recensuit, novisque Annotationibus & Additamentis locupletiorem fecit Bened. Boudon, *in*-12. Paris. 1740. 3 liv. 10 s.

— *Ejusd.* Methodus discendi Artem Medicam, in duas partes divisa, quarum Prima agit de Studio Præliminari; Secunda de Partibus Medicinæ, & Auctores optimi ad hæc studia necessarii, cum optimis Editionibus, *in*-12. Londini, 1744. 3 liv. 10 s.

— *Ejusd.* Elementa Chemiæ, quæ Anniversario labore docuit in publicis privatisque Scholis; Editio altera Leydensi correctior, cui accesserunt Auctoris Opuscula omnia, *in*-4°. 2 vol. cum fig. Parisiis, 1734. 21 liv.

Cheynæi (Geor.) Tractatus de Infirmorum Sanitate tuendâ, vitâque producendâ, cum ejusdem Tractatu de Naturâ Fibræ; Accessit huic editioni Cliftoni Winteringham Commentarium Noso-logicum, *in*-12. Paris. 1742. 3 l.

Chomel. (J. B.) Abrégé de l'Histoire des Plantes Usuelles, dans lequel on donne leurs noms différens, tant françois, que latins, 5e Edition, 3 vol. *in*-12, Paris, 1739. 6 l.

Le Clerc (Dan.) Appareil commode en faveur des jeunes Chirurgiens, *in*-12. fig. Paris, 1700. 3 liv.

Codex Medicamentarius, seu Pharmacopeia Parisiensis ex mandato Facultatis Medicinæ Parisiensis in lucem edita, *in*-4°. Parisiis 1748. 9 liv.

Deventer. Observations sur le Manuel des Accouchemens, avec des Observations sur les points les plus importans, par Mr. Bruyer d'Ableincourt, *in*-4°. fig. Paris, 1734. 9 liv.

Freind (Jo.) Emmenologia in quâ Fluxus Muliebris Menstrui Phænomena, Periodi, Vitia, cum Medendi Methodo ad rationes mechanicas exiguntur, cui accedunt Prælectiones Chymicæ, nova Edit. *in*-12. Paris. 1727. 2 l. 10 s.

Medici Herophilei aut Erasistratei in Nummis Smyrnæorum Signati.









Nummi Varij ad Æsculapium, Hygiam, Telesphorum et Apollinem medicum spectantes.
















Philippi Sen.





Treboniani









Claudii Gothici




Hostiliani


F



Gallieni Aug.



Claudij Gothici


Æ
ΙΠΠΟ
ΚΡΑΤΗΣ


MONITA
ET
PRAECEPTA
MEDICA.

AUCTORE

RICHARDO MEAD,

Collegii Medici Lond. & Edinburg. Socio, Reg. Societat. Sodali, & Medico Regio.


Ἀσκεῖν περὶ τὰ νουσήματα δύο· ὠφελέειν, ἢ μὴ βλάπτειν. Hippoc. Epidem. I.



PARISIIS,

Apud G. CAVELIER.

MDCCLVII.



PRAEFATIO.

Rem neque inutilem, neque ab officio & vitae Meae instituto alienam, Me facturum existimavi; si praecipua adversus plerosque morbos auxilia, quae aut longa experientia didici, aut legitima ratiocinatione excogitavi, in publicum ederem. Artis autem praecepta & viam medendi potius, quam morborum definitiones aut descriptiones tradere; & medicamenta usu comprobata, non conjecturas ingenio fictas, proponere statuo. Et quoniam consilium non est de universa medicina commentarios scribere, usitatum in libris Medicorum ordinem non servabo; horis enim subsecivis ex *Adversariis* Meis ea, quae usui fore opinabar, transcripsi; in mentem simul, quantum potui, revocans quaecunque in singulis morbis profuisse, aut nocuisse memineram. *Sic enim orta est medicina, subinde aliorum salute, aliorum interitu, perniciosa discernens a salutaribus* (*a*). Quapropter neque de ipsa scientiae medicae constitutione, ut ita dicam, verba facturus sum; nec quantum illa vel *rationalis*, vel *empirica* sit, disceptaturus. Operae potius erit, quae in utramque partem disputant Medici, qui aut as-

(*a*) *Celsus in Praefat.*

artem rationalem, aut ufum tantum fibi vindicant, apud Celfum legere, qui fententiam fuam fuper tota hac re dilucide & fapienter expofuit (*a*). Nullam autem ex his, quae opera faepe tumultuaria feci, gloriolam aucupor. Animadvertit enim jam olim medicinae pater Hippocrates, *majorem conqueftionem, quam honorem, fortitam effe artem noftram* (*b*). Ita nimirum fert hominum natura, in aliorum reprehenfionibus nimia plerumque & prodiga, in laudationibus vero parca & avara. At haec forfan de medicina querela levis videatur; gravior autem illa, quam alibi affert; *Videre Medicum terribilia, contrectare acerba, & ex alienis calamitatibus proprias fibi capere moleftias.* Quid autem humanius, vel homine etiam Chriftiano dignius, proferri poteft; quam aliorum malis commoveri, perinde ac fi fua effent (*c*).

Postulabat quidem inftituti hujus ratio, ut aliorum Medicorum errores interdum monftrarem; id autem ea femper aequitate feci, qua ipfe Meos emendari velim. Conjecturis faepe ars noftra nititur; neque id fperandum, ut perpetuo quis collinëet. Quocirca nec Me puduit, quae quandoque ipfe five ignorantia, five

(*a*) In Praefat.

(*b*) Ἔγωγε δορέω πλείονα μεμψιμοιρίαν, καὶ τιμὴν κεκυρῶσθαι τὴν τέχνην. *In Epift. ad Democritum.*

(*c*) Ὁ μὲν γὰρ ἰητρὸς ὁρεει τὰ δεινὰ, θιγγάνει τε ἀηδέων, καὶ ἐπ' ἀλλοτρίῃσι ξυμφορῇσιν ἰδίας καρποῦται λύπας. *Lib. De flatibus.*

ſive negligentia, perperam fecerim, monere & agnoſcere. *Convenit* enim, ut ait Celſus, *ſimplex veri erroris confeſſio, praecipueque in eo miniſterio, quod utilitatis cauſa poſteris traditur* (*a*). Illud autem facile percipiet lector, Me non ſenſa tantum, ſed & ipſiſſima verba Celſi, ut res tulit, imitando exprimere voluiſſe; quod utinam ſane facere Mihi ſaepius licuiſſet. Quo enim auctore potius uterer, quam eo, qui ex Graecis tam Medicis quam Chirurgis praecipua, quae ad artem noſtram pertinent, in linguam Latinam elegantiſſime tranſtulit? Denique monendum eſt, medicamentorum compoſitiones, quibus utor, niſi aliter ſignificatum fuerit, illas Me intelligere, quae in noviſſima *Pharmacopoëia Londinenſi* exhibentur. Utcunque ſit, gratum & acceptum habeant a Me cives noſtri hoc qualecunque legatum, bono ſuo deſtinatum; & valeant.

(*a*) *Lib.* VIII. *cap.* 4.



C A-


CAPITUM
ARGUMENTA.

III.

Capitum argumenta.

XV.

MONITA



MONITA ET PRAECEPTA MEDICA.

INTRODUCTIO.



De corpore humano.



PRIUSQUAM morbos, quibus corpus noſtrum eſt obnoxium, explicare aggredior, operae pretium erit de illo, quale ſit in ſtatu integro & ſano, quaedam breviter praefari.

SI quis igitur veram corporis humani imaginem ſibi fingere velit, is machinam quandam hydraulicam ſummo artificio conſtructam, in qua ſint innumeri canales humoribus diverſi generis ferendis apti & accommodati, animo concipere debet. Horum praecipuus eſt ſanguis, ex quo liquores derivantur, variis vitae noſtrae uſibus & officiis inſervientes; in pri-

mis autem ille, quem *ſpiritus animales* vocant, qui in cerebro generati, & vi inſigniter elaſtica praediti, motus omnis ac ſenſus ſunt inſtrumenta; quorum neutrum efficere poſſent, niſi materiae accommodae inhaererent. Idcirco fibras duplicis generis, cum carneas tum nervoſas, actuoſi hujus principii receptacula, formavit Divinus rerum Conditor; quarum utraeque partim membranis corporis intertextae ſunt, partim in funiculos colligatae membris adhaerent, ad horum motiones oſſium adjumento peragendas.

Admiranda autem iſta compages primum motorem adhuc deſiderat, cum ſeſe movere nequeat. Mens igitur ut dux & moderatrix praeficitur, quae motus omnis & ſenſus in corpore eſt effectrix. Illa enim, ſive in capite, tanquam in arce ſua, habitat; ſive *ejus locus nullus eſt, ſed per totum corpus ſparſa diſcurrit*, quod a Xenocrate, Platonis diſcipulo, diſputatum eſt (*a*); dominatur in nobis, & res adminiſtrat. Motus autem noſtri, pariter ac ſenſus, tam interni ſunt, quam externi: illi non tantum partes vitales, quales ſunt cor, pulmones, & ventriculus cum inteſtinis, ſubjectas ſibi tenent; ſed & membranas quaſcunque nervoſas.

Caeterum inſigne quoddam diſcrimen vulgo ponunt auctores Medici inter motus, quibus aguntur vitalia; & eos, qui caeteras partes agitant: illos, poſtquam a prima nativitate

(*a*) Vid. *Lactant. De opificio Dei, cap.* 16.

vitate semel coeperint, perstare, & etiam nobis non volentibus, necessario permanere; hos vero ad mentis arbitrium, prout res incidunt, fieri autumantes. At hoc male judicant, eo decepti, quod naturales illas actiones, licet nobis parum consciis, per omnem vitam continenter persistere vident, nec quantum sentimus interrumpi: cum tamen, si ea res recte perpendatur, liquido patebit non alia ratione vitales istos motus ab animo minime regi videri; quam quod illis nunquam non assuefacti tam prompte & sine attentione eos perficimus, ut volentes etiam cohibere & impedire, quo minus inceptum munus exequi pergant, haud facile possimus. Tale quid experimur, quoties ad solis radios, vel aliud quiddam, quod oculos perstringit, connivemus etiam nolentes; & tamen, mente sic jubente, illas motiones fieri nemo dubitat. Possem id multis aliis documentis probare & illustrare, sed nimis longum esset; malim igitur lectori commendare tractatum a doctissimo medico Porterfieldio editum, qui hanc rem satis dilucide extra dubium posuit (*a*).

Nullis autem in casibus magis elucet talis animi virtus, quam in iis praesertim febribus, quae *pestilentes* dicuntur. In his enim observare licet, mentem festinanter fabricae laboranti succurrere, contra hostem pugnare, & spirituum animalium ope, nobis id non sentien-

(*a*) Vid. *Medicinal Essays*, *published at Edinburgh*, *Vol.* III. *Essay* 12. & *Vol.* IV. *Essay* 14.

tientibus, novos in corpore motus excitare; quibus venenum, quod humoribus insedit, per omnes meatus foras expellatur. Hinc morbum naturae certamen, propriam salutem propugnantis, Medici sapientiores definierunt.

Et isto quidem modo universae machinae periclitanti prospicitur. Sed & parti alicui singulari aliquando consulere oportet, neque tum deëst officio suo animus. Etenim si in locum quemvis fortuito inciderit vitium, ne is onere nimio gravetur & doleat, a Natura provisum est, ut sanguini & humoribus per canales vicinos detur transitus. Id autem fit mirabili ista corporis dispositione, qua liquorum tubuli sibi impliciti atque intertexti quaquaversum sparguntur; ita ut non tantum ex venis in venas, sed ex arteriis etiam exilibus in alias, transeat sanguis. Idcirco illic praecipue comparet hoc artificium, ubi obstructionum maximus est metus; ut in capite, abdomine, & longis illis ductuum, qui ad genitalia pertingunt, anfractibus videmus.

Atque eo quidem magis necessaria est talis fabricae nostrae constructio; quod, etiamsi non interveniat morbus, ipsae interdum corporis actiones & consuetudine per has vias liberius, quam illas, humores circumferri postulant. Hinc iidem sanguinis canales in aliis atque aliis hominibus, ut usus exegerit, largiores aut angustiores fiunt, prout plus minusve a perpetuis fluidorum motionibus dilatentur. Ita vinolentis arteriae in capite, libidinosis in genitalibus plus turgent, quam in

in fobriis, & rebus venereis minus deditis.

Possem his & illud adjicere, quod vix fieri poteſt, quin ipſa partium animalium textura, licet vitae noſtrae convenientiſſima ſit, in caſibus tamen nonnullis aliqua ferat incommoda; haud aliter ſane, ac in univerſa mundi compage neceſſario in locis quibusdam fulmina, ventorum turbines, terrarum inundationes, peſtes, & conſimiles calamitates nonnunquam eveniunt. Ut his autem malis occurrit atque obſtitit, prout rerum fert natura, Supremus orbis Conditor; ita & illis, quae parvus noſter patitur mundus, idonea adjumenta oppoſuit.

In eo autem diu laborarunt Geometrae, ut machinam effingerent, quae in motu ſuo indeſinenter perſiſteret, quam *nobile perpetuum* appellant; ſed votis ſemper excidentes operam luſerunt. In iſtiusmodi enim operibus unoquoque temporis punćto aliquid de vi motus effećtrice perit, cedente nimirum, ſenſimque neceſſario ab ipſis partium fricationibus imminuta, virtute movente; unde perpetuo renovari opus eſt. Ob hanc igitur cauſam ſolius eſt Omnipotentis rerum Conditoris tale machinamentum perficere; qui corpus noſtrum fabricam ejusmodi eſſe voluit, potentias quasque ita diſponens, ut eſſet harum quaſi orbis, quo ſemper ac ſimul munus ſuum exequentes ſeſe mutuo reficerent.

Ex his manifeſtum eſt non per partes, ſed totam ſimul formari compagem animalem;

cum fieri nequeat, ut motionum circulus peragatur, quarum aliae ab aliis pendent, nisi adsint omnia illarum instrumenta. Nam, ut exempli causa dicam, qua ratione cor poterit se contrahere, ut sanguinem propellat, sine spirituum animalium adjumento, qui nec ipsi sine cerebro confici possunt? Par ratio est aliarum partium principalium. Quae igitur microscopiorum ope animalcula in semine masculino innatantia conspicimus, sunt revera homunculi, qui in uterum muliebrem recepti, tanquam in nido foventur & crescunt, justo tempore excludendi. Rectissime ergo dixit olim Hippocrates: *Nullum quidem corporis est principium, sed omnes partes æque principium & finis sunt* (*a*).

Hactenus dictis unicum illud adjiciam, ejus esse naturae machinam omnem animalem, ut partium eam constituentium quaedam sit quasi infinitas; ita ut ultra quam nos sensibus, etiam microscopiorum, ut vocant, ope adjutis, assequi possimus, in fila tenuissima abeant. Si secus esset, neque in corpus universum distribueretur alimentum, neque vitae officia peragi possent.

In summa igitur, motiones humorum ad normam peractae, simul cum apto partium solidarum statu, sanitatem constituunt; harum autem aberrationes sunt morbi, quae cum innumerae sint, & altera saepe alteram progignat,

(*a*) Ἀρχὴ μὲν οὐδεμία ἐστὶ τοῦ σώματος, ἀλλὰ πάντα ὁμοίως ἀρχὴ καὶ τελευτή. *Lib. De locis in homine.*

gnat, miraculum fere videtur, si corpus animale ad longaevitatem unquam perduci possit. Atque hinc profecto, quam late pateat medicinae usus, quantumque illa aliis omnibus artibus praecellat, perspicuum est.

Machinam autem hanc, quae unica motum perpetuum habet, pro varia viventium ratione ad longius aut brevius tempus duraturam finxit Geometra ter Optimus Maximus. Nam perpetuo in vita durare, quale nos gerimus, corpus omnino nequit; cujus rei causam haud difficile est explicare. Fibrae enim membranosae canalium, qui sanguinem vehunt, quas virtute elastica ad liquorem inclusum protudendum praeditas esse diximus, rigidae fiunt & duriores; unde usibus suis ineptae evadunt, & humorum secretiones in singulas partes sensim diminuuntur. Porro, quod ad vitam summe necessarium est, inutilem vaporem per angustissimos cutis meatus in senio haud satis perspirare, cadaverum eorum, qui aetate sunt confecti, incisiones demonstrant; quae interiores arteriarum partes ossea materia hic illic obductas, adeo ut resiliendi vim fere amiserint, interdum ostendunt. Quin & ora ductuum naturalium, ad cartilaginis duritiem confirmata, in hujusmodi casibus saepe reperiuntur.

Duo proferam, quae ad hanc rem pertinent, illustria exempla, quorum alterum suppeditant nostri *Annales*. Pauper quidam agricola, nomine *Thomas Parr*, in agro saluberrimo *Salopiensi* natus est, ubi ad annum usque

centesimum & trigesimum opere rustico se strenue exercuit; deinde oculis captus, *Londinum* tandem adductus est, ubi aliquamdiu commoratus, postquam centum & quinquaginta duos annos cum novem mensibus vixerat, anno MDCXXXV. decessit. Mortui corpus cultri sui anatomici honore dignatus est immortalis ille sanguinis circuitus detector, Gulielmus Harveius; qui caetera quidem omnia sana, cerebrum vero *firmissimum & ad tactum solidissimum* observavit (*a*). Ita liquorum canales in illa parte longa dies induraverat.

ALTERUM, quod dixi, exemplum in *Actis* nostris *Philosophicis* memoratur. Narratio est de sene quodam decrepito Rhaeto, metalli fossore, qui cum centum & novem annos cum tribus mensibus compleverat, anno MDCCXXIII. obiit, a doctissimo medico, Johanne Jacobo Scheuchzero *Tigurino*, huc transmissa. In secto ejus cadavere *lienis exterior membrana maculis nivei candoris, primo intuitu variolarum pustulas referentibus, obsessa reperiebatur; quae cartilagineae prorsus erant duritiei, & ultra superficiem reliquae membranae aliquantulum elevatae: sterni prominentiae cum ipsis costis continuae, & plane osseae erant: tendo ille, quo cordi inseruntur arteriae, vel osseus plane, vel saltem cartilagineus: valvulae semilunares, praeprimis arteriae aortae, plane cartilagineae: dura autem cere-*

(*a*) Vid. *Anatomiam Thomae Parri, ad finem Libri Johannis Betti, De ortu & natura sanguinis, adjunctam.*

cerebri meninx triplo fere ſolito craſſior, & coriacea deprehendebatur (*a*).

SED ad machinae hujus vitia, quae motus illius turbant & pervertunt, jam σὺν Θεῷ progrediendum eſt.

(*a*) *Philoſophical Transactions, Numb.* 376.





CAPUT I.

De febribus.

SECTIO I.

De febribus generatim.

Febris omnis, licet variae ſint ejus ſpecies, conjunctum habet ſanguinis & humorum calorem praeter naturam. Is vires corporis, actionesque vitales laedit. Idcirco morbum, quaſi infenſum hoſtem, inito quodam certamine, oppugnat Natura; quae ſi victrix evadat, per quascunque poteſt vias id, quod nocet, expellit. Hoc morbi ſolutionem vocant Medici. Quid autem per vocem *naturae* hic intelligi debeat, uti etiam nonnulla, quae ad febrium diſtinctionem pertinent, alias expoſui (*a*); ſimulque indicavi, quo ſenſu Medici, & in primis Sydenhamus, dixerint; *Morbum nihil eſſe aliud quam naturae conamen, materiae morbificae exterminationem in aegri ſalutem omni ope molientis* (*b*). Quaedam igitur de febris ſolutionibus in anteceſſum dicam.

SEC-

(*a*) Vid. *Lib. De variolis Cap.* II.

(*b*) *Obſervat. medicae circa morbor. acutor. hiſtoriam*, in principio.

SECTIO II.

De febris solutionibus.

Cum nulla febris ſine inſigni aliqua exinanitione, aut ſponte naturae, aut arte facta, ſanetur; proſpicere debet Medicus, quanam via materiae morbidae expulſionem Natura moliri videatur, & hanc omnibus modis adjuvare. Illa vero ſaepiſſime per plures ſimul corporis meatus peragitur, & altera alteri plus minus obſtat; ita fluxus alvi ſudores reprimit, & contra. Hinc attendere oportet, qualis humoris emiſſio plurimum profutura ſit, & hanc ita promovere, ut alia quaecunque quam minimum interrumpatur; non enim omnibus eadem convenit, tum propter diverſum laborantis temperamentum, tum ob varium morbi genus: quanquam & per omnes exitus expurgatio interdum ſit neceſſaria; ut in febribus, quae malignae dicuntur, uſu comperimus.

Omnium autem maxime optabilem morbi ſolutionem efficiunt ſudores: ſecundum illos alvi & urinae fluxus: peſſima eſt haemorrhagia, ſive ex naribus, ſive ex alia quavis parte proveniat; oſtendit enim ita vitiatum eſſe ſanguinem, ut nulla idonea humoris ſeparatio ex illo fieri poſſit.

In febribus denique nonnullis ſuppurationes in glandulis factae, modo ſub exitum morbi eveniant, & perfectae ſint, corpus in integrum

grum restituunt. In his igitur id agendum est, ut per cataplasmata aut emplastra, nonnunquam & cucurbitulas tumori accommodatas, materia morbi primum maturescat; deinde vero, nisi sponte proruperit, scalpello aut medicamento caustico emittatur.

Recte interim plerumque praecipitur, ut ne ullis tunc temporis exinanitionibus exhauriantur vires. At nihilominus ita res interdum fert, ut modica saltem sanguinis missione opus sit; nimirum si forte materia ultra modum turgeat, & nimius urgeat calor: hoc enim prudenter facto, abscessus ad maturitatem perducitur, ideo quod natura a turbulento rerum statu semper abhorret.

SECTIO III.

De febribus continuis.

Nulli morbo magis convenit utile illud praeceptum, *Principiis obsta*, quam febribus. Inter initia enim juvare plerumque facile est; at cum malum jam invaluit, difficilius aegrotanti succurritur. Praeceps enim occasio est (*a*); & frustra saepe ea medicina est, occupato jam morbi corpore fractisque viribus, quae in principio a periculo expedire hominem potuisset. Neque tamen fato suo permittendus est, qui auxi-

(*a*) Ὀκαιρὸς ὀξύς. *Hippocr. Aphor.* 1.

auxilium ſero petit; quandoquidem morbos, antiquiſſimis temporibus ad iram divinam relatos (*a*), ars noſtra, quae Dei ipſius donum eſt, etiam cum res jam deſperatae videntur, non raro depellat. Circumſpicere igitur oportet Medicum, neque officio ſuo unquam deeſſe.

Et primo quidem, quoniam praeſtantiſſimum in febribus omnibus incipientibus remedium eſt ſanguinis detractio; ſi culpa quavis illa praetermiſſa fuerit per aliquot dies, num adhuc ea fieri debeat, diſpiciendum erit.

Si intolerabilis igitur in quacunque parte corporis dolor urget, ſi ſpiritus aegre trahitur, vel ſi delirium acceſſit, ſanguis pro ratione virium mittendus erit; aut ſcalpello, ſi illae ſatis conſtent; aut per cucurbitulas, ſi fuerint imbecilliores; aut denique per hirudines, ſi infirmiſſimae videantur. Atque haec, ſi conſiſtente jam morbo fieri poſſunt, multo magis in principio locum habent. Et hirudines quidem, ut illud in tranſcurſu moneam, premente delirio, ſaepe inſigniter juvant. Nonnunquam etiam in furibundis pulmonis aliquas portiones, ex agno recens mactato calentes, capiti impoſitas furores compeſcuiſſe comperi, exſudante nimirum e capite inutili humore.

Quo manifeſtius autem percipiantur ea, quae de hoc morbo proponenda habeo, praecipua ejus genera ſummatim exponam; quae ad aegri gubernationem, victum, ſimiliaque perti-

(*a*) Vid. *Celſum in Praefat.*

pertinent, ex auctoribus, Celso in primis, & Lommio ejus aemulo, qui haec dedita opera tractarunt, haurienda relinquens.

SECTIO IV.

De febri cum exanthematibus conjuncta.

PROPRIAM animadversionem desiderant febres, quae exanthemata secum ferunt. Ad variolas autem & morbillos, quin & ad pestem, quae spectant; ea jam olim a nobis in libris singularibus sunt exposita. Aliarum praecipua est

Febris miliaris.

HAC nulla faciem magis variam ostendit. Pustulae nimirum asperae per totum corpus, citius aut tardius, prorumpunt; nunc rubrae, nunc albidae, interdum illae his commistae; nunc minores, nunc elatiores, male olentes: suspiria, & praecordiorum anxietates, frequentissime premunt: accedunt non raro delirium, nervorumque distensiones. In longum trahit morbus; quod si forte, non satis perfecta solutione, citius desinat, malo corporis habitu saepe plectitur aeger. Exanthemata rubra minus periculum afferunt, quam albida; illaque, quo vividiora perstant, eo sunt tutiora. Ex hisce liquet, ab humorum vitio magis quam aëris, adjuncta spirituum animalium

lium labe, febrem hanc oriri; quam non uno & eodem modo, ſed cura alia atque alia, depellere oportet.

Cujuscunque autem generis fuerint puſtulae, ſanguis in principio, modo vires ſinant, mittendus eſt: ſin corpus ſudoribus diffluat, aut detractione abſtinendum, aut ea in diem unum aut alterum, vel in tempus opportunius, differenda eſt. Longe vero melius ferunt ſanguinis immutionem exanthemata rubra, quam albida; cumque in utrisque veſicatoria ex uſu ſint, magis ſunt in his neceſſaria, & tum cervici, tum capiti, membrisque omnibus, temporis intervallis, imponi debent. Illud autem animadvertere oportet, quo minori copia miſſus fuerit ſanguis, eo tutius ut plurimum finiri morbum; deficientibus enim extremis diebus viribus, puſtulae retrocedunt, & aeger moritur.

Materiae expulſionem adjuvare oportet medicamentis, quae vim habent humores e ſanguine propellendi. Horum convenientiſſimum erit *pulvis bezoardicus*, vel *pulvis contrayervae compoſitus*, aut *confectio cardiaca;* adjuncto, ſi inflammatio urgeat, *nitro:* quod quidem in omnibus fere febribus malignis, cardiacis dictis remediis, ſaltem in principio, admiſcere utile erit. Interdum etiam convenit, inclinato jam morbo, balneo tepido lavari, quo puſtularum reliquiae foras exeant.

Sin autem veſiculae tantum exiguae, pellucidae, quae vix cerni poſſunt, & innumerae, conſiſtente morbo, aut ſub ejus finem, in

in cuticula se ostenderint; non nimis diu internis ejus generis remediis insistere oportet, nisi forte etiam valentiora aegri vires longa valetudine exhaustae requirant. Vim enim febrem solvendi non habent humidae istiusmodi summae cutis asperitudines, at difficilem & longam plerumque aegritudinem indicant: idcirco, nondum intermisso vesicatoriorum usu, per alias vias, maxime autem per intestina, expurgandus erit morbi fomes; quae *rhabarbaro*, vel *manna*, adjecto *sale Glauberi*, commode laxabuntur.

Illud in hoc morbo interdum usu venit, ut non uno solutionis genere, sed alio atque alio finiatur; est & ubi pluribus simul, quod & in aliis, ut dixi, quae malignae dicuntur, febribus saepissime contingit. Ita nonnunquam, ejecta eodem tempore per alias vias morbi materia, aphthae palatum atque os totum occupant, & ad uvam faucesque descendunt. Hae cum singultu plerumque incipiunt; & si albidae cum humore copioso prorumpant, multumque salivae exspuatur, non magnum periculum sed salutem potius ostendunt, morbumque solvunt; sin contra nigrae exoriantur, & aegre materia exeat, id plerumque pestiferum est, strangulatis nimirum faucibus vi pituitae obsessis. In his omnibus gargarizationes fieri debent *decocto hordei*, addito *syrupo mororum*, aut alio consimili; vel etiam *decocto pectorali* dicto. Neque enim reprimentia quocunque modo adhibenda sunt.

Mirabitur fortasse quis Sydenhamum, tum

tum ad ipſam hanc febrem, tum ad ulcuſcula iſta, *corticis Peruviani* uſum praecipere; quem ſibi ſemper bene ceſſiſſe dicit (*a*). Id autem non temere fecit ſagax ille medicus: haud raro enim intermittit iſta febris, non apparentibus aphthis; ſaepius vero, his decedentibus, deſinit. In utroque caſu inſigne hoc antidotum quam maxime prodeſt. Summus autem ille vir morborum vulgarium recurſus Hippocratis exemplo obſervare ſolitus, quos pro vario caeli more iisdem anni temporibus variare plerumque comperit, primus apud nos febrem hanc deſcripſit; quam anno MDCLXXXIV. poſtquam frigore graviſſimo longoque ſaevierat hiems, menſe Februario anni inſequentis ortam fuiſſe animadvertit. Hinc credere par eſt gelu nimio conſtrictas ſummi corporis fibras, indeque humores, imminuta perſpiratione, acriores factos illam genuiſſe.

SECTIO V.

Febris petechialis.

PETECHIAE, unde haec nomen habet febris, ſunt maculae latae, rubrae, pulicum morſibus ſimiles, non ultra cutim ſummam eminentes. Maximum autem vitae periculum oſtendunt, cum, ut interdum fit, lividae vel nigrae

(*a*) Vid. *Schedulam ejus monitoriam.*

nigrae evadunt; hae enim revera ſunt gangraenulae, ideoque quo plures numero comparent, eo gravior ſubeſt metus.

Errant plerumque in hoc caſu Medici, ſtatim in principio medicamentis, quae ſanguinem & humores calefaciunt, ſudores movendo. Tutius longe eſt, ut modo propoſui, *pulvere bezoardico*, vel potius *contrayervae compoſito*, adjecto *nitro*, ſerpentem gangraenam prohibere; aut *confectione cardiaca*, *aqua alexeteria ſimplici* ſoluta, adjecto *aceto vini*, naturam adjuvare: *ſpiritum* etiam *vitrioli dulcem* potulentis inſtillare; *vino Rhenano* vires reficere; denique *hordei decoctum*, adjecto *ſucco limoniorum*, potui dare, convenientiſſimum erit. Omnes autem iſtiusmodi liquores affatim bibendi ſunt. Ad ſudores etiam movendos *calcem antimonii*, adjuncto *pulvere bezoardico*, per intervalla exhibere interdum ex uſu erit; *calcem* vero non nimis lotam eſſe volo. Illud tamen opus eſt monere; quod non raro fit, praeſertim ſub morbi finem, ut oppreſſae aegri vires medicamenta calidiora, cordi utilia, deſiderent; qualia ſunt *radix ſerpentariae Virginianae*, *contrayervae*, *valerianae ſylveſtris*, *crocus*, & ſimilia. Horum autem infuſiones ex aqua ipſis pulveribus erunt longe commodiores, praeſertim ſi *aceti deſtillati* portio aliqua admiſceatur.

SECTIO VI.

Eryſipelas.

Non levem attentionem requirit illa febris, quae ſecum Eryſipelas conjunctum habet. In hac enim non tantum dolor, ſitis, & inquietudo vexant; ſed & puſtulae in variis corporis partibus in gangraenam interdum abeunt.

Sanguis igitur copia ſatis larga quam primum mittendus erit, deinde potionibus catharticis alvus iterum atque iterum movenda. Hae autem, quales febribus conveniunt, lenes eſſe debent; infuſiones nimirum *ſenae*, adjuncta *manna.* Neque ſane alius quivis morbus acutus facilius iteratam purgationem fert, praeſertim ubi cum tumore inflammatio caput obſidet; ſerpit enim in horas humor, & partes vicinas trahit.

Attamen periculoſum eſt fomentis calidis ad materiam peccantem diſcutiendam uti; multoque magis unguentis, vel linimentis frigidis, eam reprimere. Sin autem quacunque in parte cutis gangraena vitiata ſit, decocto *herbarum amararum*, adjecto *ſpiritu vini camphorato*, pars fovenda erit; deinde cataplasma ex *farina avenacea*, in *cereviſia*, quae *fortis* dicitur, cocta, dum calet, imponi, &, quoties opus ſit, renovari debet.

Et ut id quidem ſemel admoneam; non in

morbis tantum acutis, ſed chronicis etiam multis, in quibus puſtulae cum ſuppuratione oriuntur, tutius & ſalubrius eſt, niſi malum in cute tantummodo haereat, leniter propellere, aut ſaltem aliquamdiu ſincere ut erumpant (quantum ſcilicet moleſtiam hanc ferre poſſit aeger) quam repellere, aut per alias vias foras expurgare. Habent enim humores vitioſi ſuam quique indolem, cumque per modum criſis plerumque prorumpant, quantumvis minui poſſint; vix tamen cum bonis aegri rebus per alios meatus, quam quos Natura monſtrat, e corpore prorſus exeunt.

INTERNA remedia non alia, quam quae in *exanthematibus* modo propoſita fuere, hic uſui erunt.

FINEM de febribus malignis differendi faciam, poſtquam de duobus tribusve remediis praeter ea, quae ſupra memoravi, aliquid dixero. Obſervatu autem dignum eſt, illa omnia maxima ſudores movendi virtute pollere.

CAMPHORAM in primis laudant multi. Et quidem, ut de aliis auctoribus nihil dicam, extat apud Riverium, Medicum experientiſſimum, narratio una & altera de inſigni ab illa praeſtito juvamine (*a*). Notandum eſt autem non ſolam, ſed medicamentis refrigerantibus conjunctam (id quod in *febribus petechialibus* faciendum monui, ubi calida remedia exhibentur) profuiſſe; maximo enim calore illa praedita eſt. Ideoque commodiſſimum erit forma

(*a*) Vid. *Obſervation. Medic. Centur.* II. *Obſervat.* 18.

ma hujusmodi adſumi: Drachma ejus una, cum paulo *ſpiritus vinoſi* trita, *ſacchari puriſſimi* unciae dimidiae perfecte admiſceatur; tum *aceti calefacti* libra una ſenſim affundatur. Hoc modo remedium illud, quod alioquin ad nauſeam concitandam aptum eſt, ventriculo gratius fit, & morbo etiam accommodatius.

Eadem ratione etiam *ſpiritus Mindereri* in febribus putridis quibuscunque uſus eſt eximii (*a*).

Moschi denique vires, urgentibus praeſertim convulſionibus, non ſemel expertus ſum. Dedi autem, iteratis vicibus devorandum, bolum ex *hujus*, *confectionis cardiacae*, & *cinnabaris antimonii*, ſingulorum ſcrupulo ſemis, confectum.

SECTIO VII.

De febribus ſingularibus.

Quae cum partium aliquarum inflammatione conjunguntur febres, partibus illis congruentem curationem deſiderant. Exemplo erit

Pleuritis.

In hac enim detracto primum, quantum opus eſt, ſanguine; ad tuſſim levandam, *olei ex*

(*a*) *Pharmacop. Edinburg.*

ex ſeminibus lini recens expreſſi potiones; ad refrigerandum, *nitrum*; ad ſanguinem in canaliculis ſuis hærentem ſolvendum, *ſanguis hirci ſylveſtris*, *ſalia*que *volatilia*; denique ad foras extrahendum peccantem humorem, emplaſtrum veſicatorium lateri affecto impoſitum, inſigniter proſunt. Et externi quidem hujus remedii commodum, quod a ſagaciſſimo Mayernio primum edoctus fui (*a*), multis jam annis compertum habeo. Sub finem autem morbi, remittente jam inflammatione, alvum laxare oportet.

ILLUD autem non eſt praetermittendum; fieri nimirum interdum, ut in hoc morbo, & magis etiam in peripneumonia, inflammata primum, inde & pleurae adhærente, extima pulmonis membrana, eveniat obſceſſus purulentus, quem *empyema* vocant. Hoc in caſu, ſi foras ſe oſtenderit humor, imponendum eſt medicamentum cauſticum, quo emittatur. Ulcus autem per totam vitam apertum ſervare oportet. Vidi enim cum, eo ſanato, & materiae purulentae effluxu prohibito, brevi moreretur aeger.

SECTIO VIII.

De febribus intermittentibus.

FEBREM intermittentem non ſatis tuto *cortice*

(*a*) *De morbis internis Syntagma primum*, *Cap.* V. *De pleuritide.*

tice Peruviano discuti posse, nisi primum eliciatur vomitus, & alvi etiam dejectiones cieantur, haud ignotum est; at huic remedio lene aliquod catharticum adjungi novum fortasse videbitur. Minui enim, quinimo frustra esse, hujus pharmaci vires vulgo putant Medici nostri; nisi interea, dum id assumitur, venter sit adstrictus. Longa autem Me docuit experientia necesse plane esse, exiguam portionem *rhabarbari* remedio huic admiscere; ea scilicet ratione, ut alvus bis saltem quotidie dejiciat. Neque unquam virtutem illius hoc modo fractam, sed feliciter potius auctam fuisse, animadverti. Licet enim ea, quae valentius irritant, sanguinem & humores pertubando irrita reddant omnia: moderata tamen purgatione id consequimur, ut ingesta quaecunque, sive medicamenta sive cibos, facilius concoquat ventriculus; & ex his, quod tenue & corpori est utile, in venas emittat.

CONSILIUM cepi *corticem* hunc frebribus accommodatissimum sic exhibendi, postquam annis abhinc fere viginti febres intermittentes, quae tunc per populum solito saevius grassabantur, in malum corporis habitum, imo & hydropem, frequenter desinere percepi; cui malo occurri posse credebam istiusmodi curatione. Nec Me spes Mea fefellit. Quod ut statim comperi, quotiescunque humoribus crassioribus gravatum corpus offenderem, eandem tenui medendi viam. At cautio tamen erat, ne ultra modum purgare pergerem. Idcirco, cum jam drachma una aut altera *rhabarba-*

barbari aſſumpta fuerit, ab exinanitione deſiſtere ſoleo, & celebris hujus antidoti uſui per ſe inſiſtere. Et praeter memorata jam commoda illud etiam obſervavi; quod, depulſo hac medendi ratione morbo, iterati in eundem lapſus minor ſemper eſt metus.

SUPER inſigni autem hoc medicamento, illud porro monendum habeo, quod non aliis, quam intermittentibus febribus congruit. In continuis enim adeo non prodeſt, ut multum obſit; atque in hecticis illis, quae cum exulceratione partium aliquarum internarum ſunt conjunctae, perniciofum eſt; licet circuitus ſuos hae frequenter habeant, & intermittentis aut quotidianae, aut tertianae, ſpeciem praebeant. Unde fortaſſis conjicere licet, in bilem ſolummodo hoc remedium vires ſuas exercere; hunc enim humorem in intermittentibus maxime peccare Mihi minime dubium videtur.

EVENIT autem non raro, ut etiam in febre revera intermittente effectum non ſortiatur magnum hoc Dei donum; quod ob malum corporis temperamentum plerumque accidit. Diſpicere igitur oportet, qua in parte ſit vitium; quod in viſceribus, & glandulis abdominis, ut plurimum haerere deprehenditur. Purgationibus itaque, interdum & vomitionibus, opus eſt; quibus interponenda ſunt ea medicamenta, quae obſtructiones reſerant, & ventriculi concoctionem juvant; inter quae amara, quae ſimul aromatica ſunt, & e ferro parata, principem locum tenent. Et hanc

ſane

ſane ob cauſam, febres quartanae aliis quibuscunque intermittentibus, curatu ſunt difficiliores: in his enim inertes ſunt, & ultra modum viſcidi, ſanguis & humores omnes; ita ut duplici morbo occurrendum ſit, tum malo corporis temperamento, tum etiam febri. Idcirco, adjunctis *cortici Peruviano radice ſerpentariae Virginianae* & *chalybe*, res plerumque bene agitur. Quanquam nec illud hic obſervare alienum erit, Me pluries, *cortice* ipſo votis non reſpondente, pulvere ex *floribus chamaemeli*, *myrrha*, *ſale*que *abſinthii*, adjecto paulo *aluminis*, compoſito, febres intermittentes depuliſſe.

Plus autem periculi habet illud febris intermittentis genus, quam ἡμιτριταῖον, hoc eſt, *ſemitertianam*, Graeci appellarunt. Haec tertio quidem die revertitur, atque ex octo & quadraginta horis ſex & triginta fere per acceſſionem occupat; interdum vero plus vel minus, neque ex toto in remiſſione deſiſtit, ſed tantum fit levior. Hinc recte Galenus ex quotidiana continua & tertiana intermittente illam confuſam eſſe dixit (*a*).

Propriam igitur animadverſionem deſiderat hic morbus; qui quidem ex inflammatione partium internarum, quae adjunctam habet obſtructionem ab humoribus bilioſis, & lympha nimium tenaci, exoriri videtur. Mittendus ergo erit ſemel aut iterum, pro ratione virium, ſanguis. Alvus etiam per vices laxari debet, medicamentis vero leniſſimis, qualia

(*a*) *De different. febr. Lib.* II. *cap.* 7.

lia ſunt *ſal diureticus*, *manna*, *ſale cathartico Glauberi* addito, & conſimilia. Neque *corticis Peruviani* uſum feſtinare oportet; metus enim eſt, ne viſcerum meatibus magis adhuc ab illo oppilatis, augeatur inflammatio, aut febris hectica ſuccedat. Longe tutius erit potiones primum ex *ſucco limoniorum*, commiſto *ſale abſinthii*, adjecta etiam *aqua cinnamomi ſimplici*, frequenter hauriendas aegroto praebere.

SECTIO IX.

De febribus vulgaribus, ſive *publice graſſantibus.*

Febres vulgares ex vitio aëris nobis circumflui oriuntur. Id autem a caeli temperamentis, calore, frigore, ſiccitate, & humiditate, maxime fit; ubi nimirum horum quodvis aut exſuperat, aut intempeſtive alterum ab altero excipitur.

In *Graecia* at *Aſia* tota, ubi ſibi aequalia ut plurimum ſunt anni tempora, & venti a diverſis plagis ſtatis fere menſibus ſpirant, viris ſapientibus promptum erat tempeſtatum varietates, commodaque & incommoda, quae ſecum ferebant, obſervare. Atque haec obſervatio artem morbos praeſagiendi uſu diuturno fecit; in qua medicinae parens, Hippocrates, primus excelluit.

In noſtris autem regionibus tanta eſt caeli in-

inconſtantia, & tot cauſae ventos, incertis vicibus ſecum pugnantes, concitant, ut nulla de his certa ratio iniri poſſit. Idcirco Sydenhamus noſter, qui Hippocraticae doctrinae aemulus febres anniverſarias, harumque pro variis tempeſtatum generibus diverſas ſpecies deſcribere aggreſſus eſt, didicit tandem, „ Se „ nihil promoviſſe in cauſis morborum epide„ micorum expiſcandis manifeſtas aëris quali„ tates notando: quippe qui animadverterit „ annos, quod manifeſtam aëris temperiem ſi„ bi plane conſentientes, diſpari admodum „ morborum agmine infeſtari; & vice verſa: „ item varias eſſe annorum conſtitutiones, „ quae neque calori neque frigori, non ſicco „ humidove, ortum ſuum debent; ſed ab oc„ culta potius & inexplicabili quadam al„ teratione in ipſis terrae viſceribus pen„ dent (*a*)."

Res haec, Meo ſaltem judicio, ita ſe habet: Multum valere in morbis vulgaribus gignendis manifeſtas aëris qualitates extra dubium eſt; quibus & aliae accedunt cauſae, quae vim illarum multis modis nunc augendo, nunc minuendo, immutant. Hae ex terra in primis oriuntur, ubi nimirum, ut ſapienter dixit Lucretius,

Putrorem humida nacta eſt,
Intempeſtivis pluviisque & ſolibus icta (*b*).

Ut terreſtris autem ille putror plurimum naſcitur

(*a*) *De morbis epidem. cap.* II.
(*b*) *Lib.* VI. vſ. 1099.

tur ex corruptis varii generis herbis, interdum etiam ex animalium cadaveribus, atque mineralibus; ita aquae, ſtagna praeſertim & paludes, quae ſuas herbas, ſuaque animalia alunt, eodem modo peſtiferos ſaepe exhalant ſpiritus, circumfuſi aëris inquinamenta. In hunc cenſum denique veniunt, rarius tamen in noſtris plagis, maris fluminumque inundationes, terrae motus, montium eruptiones, & quaecunque aliae inſignes rerum naturalium mutationes, aethera, quem ſpiramus, corpuſculis vitae noſtrae minus idoneis replere poſſunt. Haec enim corpora noſtra afficiunt, & morbis opportuna reddunt.

SECTIO X.

De febribus lentis, ſive *hecticis.*

Tot habent cauſas, eaſque multum diverſas, febres lentae, quae *hecticae* vulgo dicuntur; ut non idem morbus, ſed alius atque alius eſſe videantur. Omnium autem pernicioſiſſimae ſunt, quae ex partis alicujus in corpore praecipuae, pulmonis in primis, exulceratione originem trahunt, materia nempe purulenta ſanguini commiſta, quae motum ejus inordinate turbat.

Id autem animadvertendum eſt, illos maxime his pulmonis exulcerationibus obnoxios eſſe, quos pueros aut juvenes ſtrumae vexaverant. Quo-

Quocirca memini olim experientiſſimum Medicum, Radclivium, dicere ſolitum,, phthiſes in noſtris & frigidioribus regionibus eſſe plerumque ſtrumoſas. Saepiſſime itaque videmus in tabidis, poſt mortem inciſis, pulmonem tuberculis ſeu glandulis induratis obſitum, quae ſuppurantia pus exſpuerant.

Varios hujus mobi gradus, eorumque invicem ſucceſſiones, accurate deſcripſerunt Medici; nonnullas tamen ex primis illius cauſis ſuas habere periodos haud ſatis animadverterunt. Hiſce autem circuitibus, quantum id fieri poſſit, occurrere quam maxime proderit. Ita non paucos certis temporibus, aut ſanguinis ſputo, aut pituitae tenuis in pectus fluxione, interdum & bilis flavae rejectione tentari videmus. His omnibus nobile illud antidotum, *cortex Peruvianus*, adjunctis illis, quae pulmoni conveniunt, opitulabitur; ante tempus nimirum datus, quo malum recurrere ſolet: quod & in aliis pariter haemorrhagiis obtinet. Hoc vero medicamentum, cum jam exulceratus eſt pulmo, plurimum nocet; uti mox dicetur.

In pulmonis autem ulceribus, *lactis* uſum inprimis commendant Medici, ut duplici commodo in medicinam pariter ac nutrimentum cedat. Cautione tamen hic opus eſt, quoniam nonnulli natura lac averſantur. Quin etiam in capitis doloribus, ac febribus acutis, factaque hinc nimia ſiti; item ſi praecordia tumeant, ſeu bilioſae ſint alvi dejectiones, aut multum ſanguinis cum iis fluxerit; pro veneno lac ſemper

per reputari debet (*a*). *Asininum* autem apud nos maxime eligitur; quod aliis licet minus nutriat, magis tamen calorem temperat, & deterget. Sed ubi illud non in promptu est, *serum lactis vaccini*, vel etiam *caprini*, praesertim si herbis suave olentibus pastae fuerint Caprae, in ejus locum commode substitui potest; ipsum vero *lac vaccinum*, quantumvis *decocto hordei*, ut moris est, diluatur, saepissime non convenit. Neque alienum erit *serum* illud, infusis herbis quibusdam, quae stomacho gratae sint, & flatus discutiant, morbo accommodatius parare. At infeliciter interdum evenit, ut, cum lactis usum maxime desiderat corpus, tanta sit intestinorum laevitas, ut illud ferre non possint. Cum in tali igitur loco res sit, illud hoc modo componendum est: *Flores rosarum rubrarum siccatarum*, *balaustia*, *cortex malorum granatorum*, *cinnamomum*, singulorum drachma una, coquuntur in *lactis vaccini* libra una. Cum ebulliere incipit, *frigida aqua* affunditur parva portione, ut restinguatur & subsidat; sinitur iterum ebullire, & eodem modo restinguitur; idque toties faciendum est, donec libra una absumpta, lactis simul & aquae quod restat, librae unius mensuram adaequet. Tum colandus est liquor, quem totum, commisto *saccharo*, partitis, uti commodum erit, haustibus, aegrotus ebibet quotidie. Hac via nutritur simul corpus, & venter comprimitur; nec quic-

(*a*) *Hippocr. Aphor. Sect.* v. 64.

quicquam obftat aliorum ciborum vel medicamentorum, ufui hujusmodi diaeta.

MOMENTI autem longe maximi eft, ut incipienti diro huic morbo occurratur; cumque ab inflammatione oriatur, miffio fanguinis in primis neceffaria eft, non femel tantum, fed vicibus iteratis. Is, fi craffus & niger, aut glutinofus profluxerit, vitiofus dicitur, & utiliter effundi putatur; contra vero, fi ruber fit & pelluceat, integer habetur, neque ultra detrahitur. At facilis eft hac in re in errorem lapfus. Non raro enim, cum fanguis maxime effervefcit, miffus e vena fummo cum rubore craffu, & glutinofus eft; in quo ftatu eo ufque emitti debet, dum minus ruber minusque glutinofus evaferit, quod fine periculo fiat. Confilium autem temerarium fortaffe videbitur, marcefcente jam corpore, & fractis viribus, hoc auxilii genus tentare. At praeftat certe anceps remedium experiri, quam nullum; & cum emolumento minuuntur vires, ubi fuccurritur in vitio, quod robur corporis affidue plus labefactabit. Idcirco fi, exulcerato pulmone, vehemens febris urgeat, detractio, quantam fuftinere poteft aeger, juvabit; divifa nimirum in ea temporis fpatia, quae ad corpus alendum neceffaria funt, ifta medicina. Novi fane, rebus nondum plane defperatis, bene ceffiffe hanc medendi rationem; fin fecus acciderit, eum Medicus occidiffe minime cenferi debet, qui, corruptis jam vifceribus, nequaquam fervari potuit.

FINEM his imponam, poftquam monuerim in

in casibus nonnullis utilissimum esse balsamicis, qualia sunt *thus*, *styrax*, *succinum benzoinum*, humores acres & salsos delenire ac temperare; quae in prunas injecta vaporare debent, ut fumus eorum per tubum aptum in asperam arteriam & pulmonem recipiatur (*a*). Scio vix in usu esse hanc medicinam, & tanquam inutilem a plerisque negligi. Quisquis autem secum reputaverit, quam longo itinere, per canales scilicet sanguinis, res hujusmodi ad pulmonem ferantur, & quam exigua illarum pars ad locum destinatum perveniat; is sane facile videbit, si qua in illis sit virtus, hac potissimum via impertiri posse.

Ob eandem quoque rationem novi fumum ex *balsamo Tolutano*, more *tabaci*, per tubum commodum in pulmones inspiratum usus fuisse eximii, praecipue in sanguinis sputo.

Exiguis autem his suppurationibus subjungendus videtur largior, qui hoc in viscere quandoque fit, abscessus, quae *vomica* nuncupatur. Is morbus, etsi gravis sit, & in tabem saepe desinat, haud tantum periculi affert, quam minores illae exulcerationes. Vidi enim, cum materiae purulentae usque adeo graveolentis & foetidae, ut adstantes cubiculum ferre non possent, libra una aut altera, admisto sanguine, tussi rejiceretur; & tamen lacteae diaetae & balsamicorum usu, interpositis pro re nata anodynis, in integram sanitatem aeger restitutus est. Haec

(*a*) Vid. *Christophori Benedicti Theatrum tabidorum*, *sub finem*. *Londini*, MDCLVI.

Haec de *phthisi* dicta sunto.

Duae autem sunt aliae *tabis* species, quae diversis modis hominem consumunt. In una corpus non alitur, & naturaliter semper aliquibus decedentibus, nullisque in locum eorum subeuntibus, summa macies oritur; quam *atrophiam* nominant. Haec liquoris, qui in nervis est, vitio saepissime debetur; & *cachexiam*, quae est altera species, conjunctam habet, aut gradatim infert. In utraque propter malum corporis habitum, alimenta corrumpuntur, & partes refectionem non accipiunt; ideoque vitae genus recte ordinatum, & medicamenta ex *chalybe*, quae stomachum confirment, laxata subinde alvo, apprime sunt necessaria.

In omni denique tabe exercitationibus, & fricationibus, pro virium ratione constanter uti oportet; caeli mutatio plerumque convenit; quin & interdum longa navigatio. Ex nostra regione, male affecto pulmone, aptissime *Ulyssiponem* aut amoenissimam *Neapolim* itur. Equo autem vehi, dum imbecillitas id non prohibet, vel saltem curru, lectica, aut alio modo corpus movere, nunquam non expedit.



CAPUT II.

De morbis capitis.

SECTIO I.

Apoplexia.

Congeneres ſunt plerique capitis morbi, & a repletione ut plurimum ortum trahunt, quorum praecipuus eſt Apoplexia. Haec a ſanguine nimis viſcido, per arterias capitis tardius fluente, & fere ſtagnante, interdum oritur; qui perpetuo vi cordis propulſus exiles ſuos canales dirumpit, & in cerebrum effuſus, nervorumque motibus corporis inſervientium tubulos comprimens, humoris ſui in eos illapſum prohibet. Saepius autem illam progignit, ſine inſigni canalium diruptione, liquor aquoſus & rubicundus ex ſanguine profuſus; aut etiam glandularum circumjacentium exſudans ſuccus, qui tum cerebri membranas obruit, tum ventriculos ejus opplet, & ſpirituum animalium iter intercludit. Illam *ſanguineam*, hanc *pituitoſam*, appellare licebit. Priorem autem *fortem* vocavit Hippocrates, atque inſanabilem eſſe dixit; alteram *levem*, curatu tamen difficilem eſſe monuit (*a*). Utrius-

(*a*) *Aphor. Sect.* II. *Aphor.* 42.

triusque generis casuum quam plurimae narrationes ex libro doctissimi Wepferi, medici *Scafhusani*, peti possunt (*a*). Rationes vero omnium, quae in hoc & consimilibus morbis contingunt, dilucide exposuit magnus ille rationalis medicinae auctor, Laurentius Bellini (*b*).

De causis externis, quales sunt ictus, lapsus ab alto, & hinc fractum calvariae os, nihil hic dicam; quoniam illae, nisi quatenus Chirurgi manum requirunt, iisdem remediis curantur.

Sanguinea autem detractiones sanguinis, tam e brachio, quam ex venis jugularibus, larga copia, saepiusque repetitas, pituitosa purgationes per alvum magis desiderat. Permagnum quoque auxilium est in venarum occipitalium incisione, quam proposuit vir cum arte anatomica tum doctrina medica insignis, Jo. Bapt. Morgagnius (*c*); quam & ipse quidem in maxime periclitantibus magnopere juvasse non semel expertus sum. Etenim cum venae istae intra cranium cum laterali utroque sinu communicent; illis incisis, pars sanguinis, quem in hos convecturae erant, avertitur, & reliqua copia nonnihil minuitur, motusque per eosdem facilius peragitur. Idcirco cucurbitulae sub ipso occipitio, & ad latera colli admotae,

(*a*) Vid. *ipsius observationes anatomicas ex cadaveribus eorum, quos sustulit apoplexia. Amstelaedami*, MDCCXXXI.
(*b*) *In libro De morbis capitis.*
(*c*) *Adversar. anatom.* VI. *animad.* 83. & 84.

tae, cute ſcalpello profundis ſatis vulnuſculis conciſa, quo ſanguis ubertim effluat, nunquam non ex uſu ſunt.

Neque alia ratione juvat, ſi quid juvare poterit, a nonnullis laudata, arteriarum in temporibus inciſio; per hanc enim copia ſanguinis in cranium derivandi minuitur. Et Galenus quidem tuto ſatis, & ſine magno incommodo, arteriam etiam in ipſo brachio inciſam ſe vidiſſe teſtatur (*a*). At tantilla ſane eſt portio, quae hac via demitur, ut magnum aliquod commodum inde ſperari nequeat. Satius itaque fuerit, ut in *cephalaea* praecipit Aretaeus, *geminas pone aures arterias ſecare* (*b*); ex his enim major, quam ex eis in temporibus, profluet ſanguinis in caput ruentis copia.

Vesicatoria etiam capiti, & membris omnibus, imponi debent. Cathartica vero, tam quae per os aſſumi, quam per alvum infundi ſolent (his enim ſemper opus eſt) acria, magnaque vi ſtimulandi ac pungendi inteſtina praedita, eſſe oportet; ſenſus enim fibrarum in nervis fere deperditur.

Lethargus & *Carus* ſunt leviores Apoplexiae ſpecies.

(*a*) *Method. Medend. Lib.* v. *cap.* 7.
(*b*) *De morb. diuturn. curat. Lib.* I. *cap.* 2.

SECTIO

SECTIO II.

Paralysis.

Desinit ut plurimum, nisi mors intercedat, apoplexia in nervorum resolutionem, quae morbi est solutio. Haec autem plerumque alterum tantum corporis latus occupat. Quod vero observavit idem ille Morgagnius, *in opposita semper cerebri parte se, sectis apoplecticorum cadaveribus, perspexisse morbi causam*; id ipse memini Me olim in nosocomio non semel comperisse.

Nullus jam sanguinis missionibus locus est, nec catharticis vehementioribus; calidis & modice moventibus, quale est *tinctura sacra*, alvum interdum laxare satis erit. Cumque morbus jam longus sit, pro vesicatoriis, in locis idoneis, praesertim sub occipitio, & supra scapulas, vel ferramentis cadentibus, vel medicamentis causticis, ulcera, quae *fonticulos* vocant, excitare oportet. Hippocrates inustiones minimum octo fieri praecepit, assignatis singulis suis loculis (*a*).

Remediis aromaticis, quae fibras roborent, adjuncto *chalybe*, res praecipue agenda est. Quinetiam prodest torpentis aut resoluti membri summam cutem exasperare. Id optime prae-

(*a*) *De morbis, Lib.* II. *sect.* 12.

praestat *unguentum viride*, cui adjectus fuerit *spiritus vitrioli fortis* ea proportione, ut septima vel octava spiritus pars sit; quod ubi corpus rubere coeperit, removendum est, ejusque loco *unguentum sambucinum* illinendum. Multum juvat in aetate non nimis provectis frigida lavatio, calidae vero immersiones omnibus paralyticis nocent. Et ipse quidem novi nonnullos, qui, cum vana Medicorum spe delusi ad thermas nostras *Bathonienses* profecti essent, ex aqua calida egressi, mox iterum apoplexia correpti sunt, ac perierunt.

Oblata igitur hac occasione, super hisce aquis quaedam Mihi comperta in medium proferam. Virtus illarum praecipua in minerali quodam calore, quo ventriculum & intestina fovent, Mihi consistere videtur; idcirco his maxime opitulantur, qui vino, aut id genus liquoribus, cum appetitum ad cibos, tum facultatem illos concoquendi perdiderunt, unde quam plurima provenire mala novimus. Alienissimae autem sunt omnibus, quibus partes internae, cerebrum, pulmo, jecur, aut renes, ultra modum incalescunt. Et ob eandem causam, tametsi hae vi sua jucunda stomacho laboranti opem praebeant: saepius tamen, si diu in illarum usu persistatur, huic ipsi visceri damnum afferunt; calore illo, qui primum profuit, immodica perseverantia, ad nimiam fibrarum resolutionem, in detrimentum cedente. Id quod non raro vidi iis praesertim contingere, qui morbis conflictabantur a vitio fluidi,

fluidi, quod nervos irrigat, originem trahentibus.

MORBUS hic nunquam acutus, ſaepe longus, in ſenibus fere inſanabilis eſt. Miſeram autem vitam plerumque trahit, qui illo afficitur: vis enim animi cum memoria deperditur; & luctuoſum ſpectaculum, non jam homo, ſed animal ſemimortuum, contremit & vacillat.

Chorea Sancti Viti.

MORBUM hunc, facie pariter ac nomine ridiculum, paralyticam affectionem eſſe, & frequenti lavatione frigida, medicamentisque ex *chalybe* paratis, diſpelli jam olim monui (*a*).

SECTIO III.

Epilepſia & Vertigo.

DE utroque hoc morbo legi velim ea, quae in alio libro tam ad recurſus, quam ad remedia, ſpectantia fuſius propoſui (*b*).

MONITUM autem unum & alterum ibi dictis hic adjungere libet. Prius eſt, ſaepiſſime ventriculi magis, quam capitis, morbum eſſe vertiginem; aut ſaltem utramque partem ſimul


(*a*) *De imperio ſolis ac lunae, edit. alter. pag.* 86.
(*b*) *Ibidem, pag.* 34. *& ſeqq.* 81. *& ſeqq.*

mul laborare, gravato nempe bilioſa & viſcida colluvie inteſtino. Ubi id contingit, fruſtra ſunt remedia quaecunque, niſi prius *vino ipecacoanhae*, aut alio quodam vomitiones proritante medicamento, onere ſuo levatum fuerit viſcus. Poſtea vero appetitum ſimul & ciborum concoctionem optime juvabit *elixir vitrioli Mynſichti*, ex aqua fontana, hora una vel altera ante & poſt prandium, aſſumptum.

ALTERUM, quod addi velim, hoc eſt, *corticem* ſcilicet *Peruvianum*, conjuncto remedio morbo accommodato, ſaepe multum prodeſſe, in primis ſi hoc modo aſſumatur: ℞. *corticis Peruvian.* ℥i. *rad. valerian. ſylv. pulv.* ʒii. *ſyr. e cort. aurant.* q. ſ. f. electarium. Hujus, praemiſſis debitis exinanitionibus, devoret aeger bolum pondo ʒj. mane & veſperi, tribus menſibus continuis; deinde repetat triduo, vel quatriduo, ante novam plenamque lunam.

Tetanus.

RARUS iſte affectus eſt, muſculorum ſcilicet univerſi corporis, praeter naturam facta, validiſſima convulſio. Iis igitur cedit remediis, quae in Epilepſia proficiunt.



CAPUT III.

De insania.

NULLUS morbus insania magis pertimescendus est. Quid enim miserius, quam hominem ratione & intelligentia privari; in alios more ferarum saevire; compedibus, vinculis, & plagis, ne vel sibi vel alteri noceat, coërceri: aut, mutata rerum facie, demisso animo moestum esse; vanis imaginibus assidue terreri; spectra sibi adstantia fingere; & peracta continuis anxietatibus hac vita, poenas aeternas (quod interdum fit) post mortem secuturas horrere? Quibus omnibus illud accedit miserandum, quod difficillime curationem accipiat haec calamitas. Caeterum quo dilucidius intelligantur ea, quae de hoc morbo experientia doctus exponenda habeo, pauca quaedam de illius natura praefari libet.

FREQUENTISSIMA hujus mali causa est nimia animi intentio, diuque una aliqua in re, etiam cum jucunda sit, defixa cogitatio. Haec enim, cum sola est, mentem perturbare potest, ut in literarum studiosis videmus; ubi vero animi motus accesserint, ut spes, metus, ira, & alii id genus affectus, gravior multo fit morbus: & pro causae natura, maxime vero prout ingenium ejus, qui laborat, ad has

aut illas affectiones proclivius erit, dementia vel cum tristitia, vel cum furore, hominem occupat. Attamen nihil ita mentem pervertit, ut amor & religio: religionem dico falsam & inanem. In amore insunt spes, timor, suspiciones, & interdum ab his ira ac odium. Religio ista vanis terroribus, & suppliciorum perferendorum imaginibus, animum implet ac distrahit. Hinc evenit, ut amantes magis cum furore, religiosi cum moerore, insaniant.

At commutantur tamen, & varie commiscentur, hae affectiones.

Maxime autem insanit homo, ubi contrariis motionibus mens simul agitatur; ut cum ira & metus eodem tempore occupant, aut gaudio & tristitia perturbatur animus; diverse enim trahitur isto modo affectus, & misere laceratus se dedit.

Scimus id omnes, ita comparatam esse fabricam nostram, ut, quaecunque rerum species, quae prodesse aut nocere nobis possint, menti se offerunt, subitas affectiones, iisque motiones in corpore consentaneas, necessario concitent. Ita laetitia, moeror, spes, metus, cupiditas, ira, etiam nobis invitis, sanguinem & humores agitando corpus commutant & impellunt. Eodem redit, verae an fictae sint istae imagines, modo mens in eas intenta & infixa, iisdem diu fuerit addicta; quin & fortius percellere & irritare animum imaginaria, quam vera mala, saepissime comperimus. Ita quam falso sibi instantem quis fingit, illa

quae

quae revera affligit, adeo intolerabilior est paupertas, ut non raro ad mortem sibi nefarie consciscendam meticulosos adducat. Usque adeo miseriis patet nostra omnis vita!

INSTRUMENTUM harum omnium motionum, tam mentis quam corporis, est fluidum illud subtilissimum nervis infusum, quod *spiritus animales* vulgo appellant. De hujus autem natura, nos jam olim conjecturam facimus (*a*), ostendimusque ipsum interdum mutationes suas subire; cujus quidem rei documentum insigne dat hic, de quo nunc agitur, morbus.

INSANIAE duo genera describunt auctores, quorum utrumque est constans error mentis sine magna febre; alterum cum furore & audacia, alterum cum tristitia & metu; quorum illud *maniam*, hoc *melancholiam* appellant. Haec autem gradu tantum, ut plurimum, differunt. Melancholia enim nunc citius, nunc tardius, in Maniam saepissime transit; &, remittente furore, gravior fere redit tristitia: hinc furibundi omnes sunt timidi & pusillanimes. Id quod in curationibus observasse permagni usus est. Ipsos autem spiritus animales diversas, & a natura sua alienas, proprietates in omni dementia, ut dixi, acquirere facile demonstratur. Attamen illud maxime mirandum est in hac aegritudine, quod non tantum ea laborantes aliis morbis immunes saepe conservat; sed & ubi quemquam occupat illis implicitum, ita quasi to-

(*a*) Vid. *Introduction to the Essays on poisons, edit.* 3.

totum hominem ſibi aſſumit & vindicat, ut eos non raro depellat ac profliget. Neque id in levibus ſolum valetudinibus contingit; ſed etiam in gravioribus, & quae magnum alias periculum afferre poſſet: ut dicere hic liceat,

Aliquisque malo fuit uſus illo.

Duo, quae hanc rem confirmant, inſignia exempla Me vidiſſe memini. Virginem curabam annos natam circiter viginti, mente ſatis alacrem, corpore nimis imbecillam; quae ex malo habitu diu protracto in hydropem abdominis inciderat, marceſcentibus interim membris. Cum, remediis quibuſcunque fruſtra tentatis, ſpes nulla ſalutis affulgeret; ſupervenit repente, neſcio qua de cauſa, inſania cum maximis anxietatibus & vaniſſimis animi terroribus; ſe enim in judicium vocandam eſſe ob crimen laeſae majeſtatis, & capite plectendam imaginabatur. Interea corpus vires acquirere, & ventris tumor ſubſidere cernebatur; ita ut brevi valentiorem medicinam, utrique morbo convenientem, ferre poſſe videretur. Idcirco vomitu, purgatione per alvum, & medicamentis, tum quae urinam cient, tum quae ſtomachum juvant, ita res agebatur, ut poſt aliquot menſes mens ſana ſano cum corpore rediret.

Alter, quem dixi, morbus, a priore quodam modo diverſus, virginem etiam afflixit; quae annum agens viceſimum & octavum ſputo

to

to sanguinis, ex pulmone cum tussi perpetuo fere prorumpentis, vexabatur. Itaque missus est e brachio copia satis larga sanguis, altero quoque die, ad quinque aut sex vices. Minuebatur hinc, non tamen cessabat malum; & transactis duobus mensibus, supervenit febris hectica, siti, calore, & nocturnis sudoribus comitata; cum summa macie, viscidaeque ac tenacis materiae frequenti exscreatione, quae ex faucium & pulmonis glandulis ferebatur, intermixtis hic illic puris flavi portiunculis. Instabat jam vera phthisis, & mors prae foribus adesse videbatur. Aegra igitur de animae salute solicita esse coepit. Praesto erant sacerdotes, qui cum viam ad caelum munire deberent, asperam contra & difficilem illam monstrabant, cum precibus, jejuniis, animique angoribus calcandam; quasi nimirum vitae futurae felicitas infelicitatibus & aerumnis praesentis vitae tota esset redimenda. Quid tandem fit? Misellam, sacris terroribus victam, brevi invasit religiosa dementia; nocte dieque oculis obversabantur daemonum species, flammae sulphureae, & poenarum apud inferos aeternarum horrendae imagines. Ab hoc autem tempore evanescere indies coeperunt, quae morbus antecedens secum attulerat, incommoda; decrescere calor febrilis, sputum sisti, minui sudores, & habitus totus ita in meliorem verti, ut, quo minus mens corpori regendo par erat, eo magis vires officiis vitae sufficere viderentur. At paucos post dies

dies prorsus melancholica evasit. Morbus igitur exinanitionibus, prout vires ferre poterant, & idoneis remediis ita oppugnabatur, ut sanitatis integrae spes aliqua ostenderetur. At, proh dolor! postquam tres menses fere sunt elapsi, febre hectica cum pulmonis exulceratione reversa, tabe confecta periit meliori fato, ut visa est, digna puella.

Totus ergo in vi imaginandi consistit hic morbus. Laetificae enim aut horrificae species menti repraesentantur, quas more naturae consueto motiones corporis, quae cum illis conveniunt & quasi cohaerent, necessitate quadam consequentur. Hinc bruta etiam animantia interdum insaniunt, quippe quae (quicquid contra insani quidam dicant philosophi) ratione aliqua naturae suae convenienti utuntur.

Permagnam sane esse hujus facultatis potentiam quotidie experimur. Quid enim mirabilius, quam hominem in canem aut lupum converti, firmis adhuc viribus mortuum & cum mortuis versari, caput vitreum aut fictile gerere, se existimare? Haec tamen, & sexcenta similia, interdum evenire cernimus. Illud autem magis adhuc mirum, & pene incredibile, quod gravidis saepe contingit. Notum est enim illas, cum forte malacia tentantur, non raro fructus aut cibi alicujus, quem frustra appetiverant, notis corpus foetus, quem in utero gestant, deformare, per omnem vitam aliquando duraturis. Mirifica quidem haec sunt;

sunt; at prodigii prorsus simile est, quod ex narratione viri in mentis humanae facultatibus investigandis perspicacissimi, Malebranchii, adjungam (*a*). Erat in nosocomio *Parisiensi* incurabilium dicto juvenis, ab infantia mentis inops, cujus brachia & crura iis in locis disrupta videbantur, quibus in illa regione morte damnatis membra ista ferreo vecte contundere mos est. Misellus iste per annos viginti vitam protraxit, concurrentibus ad eum visendum Philosophis & Medicis, qui manibus suis ossium, quae dehiscebant, cava & hiatus contrectabant. Non diu autem latuit infelicis hujus eventus causa; mox enim compertum fuit matrem, dum puerum illum in utero ferret, terribili spectaculo interfuisse, cum sons quidam eo, quod dixi, mortis genere plecteretur. Perterrefactam fuisse, facile est credere; quibus autem modis vis ipsius imaginandi damnum tale foetui impertire posset, scire difficile. Ingeniose, ut solet, conjecturas suas super hac re persequitur Malebranchius. Sensum quendam internum esse dicit imaginandi facultatem, quae omnis spirituum animalium ope peragitur; foetum vero corporis materni partem censeri debere, ita ut, quicquid patitur pars aliqua matris, idem occulta quadam communicatione in partem fœtus congruentem transeat. Perculsa itaque horrendo viso praegnans dolorem, fortassis & fibra-

(*a*) Vid. *Recherche de la verité. Tom.* 1. *Liv.* 11. *chap.* 7.

fibrarum distractionem, iisdem in membris pertulit, quae fracta spectavit in fonte; firmiora vero ipsius ossa resistere poterant illi injuriae, cum eadem in tenerrimo infante vix dum formata facile disrumpebantur, nunquam denuo conjungenda. Attamen sive hac, sive alia quacunque via, res acciderit, imaginandi virtutem mirifice corpus afficere luculenter demonstrat.

Haud immerito quoque id mirum videatur, quod immodicum gaudium nimis diu protractum, pariter cum anxietate & moerore, mentem pervertat. Hoc, ut videtur, eam ob causam fit, quod jucundae imagines, quae menti perpetim obversantur, ad alias res eam attendere non sinunt; unde cum mille modis a speciebus, quae necessario assidue occurrunt, interpelletur & avocetur, turbae oriuntur, quae animum transversum agunt & pessundant. His accedit solicitudo & metus, ne felicem hunc rerum statum improvisa aliqua fortunae adversae clades evertat. Audivi olim Haleum, in nosocomio mente captorum *Londinensi* medicum experientissimum, haud semel dicentem, anno MDCCXX civium nostrorum fortunis adeo infausto (quo societas ad commercium per mare *Australe* promovendum instituta artibus dolosis ad lucrum faciendum viam invenit) se multo plures curae suae commissos tractasse; quos ad immensas opes evexerat fortunae favor, quam quos iniqua sors ad miseriam & pauperiem redegerat. Usque adeo

adeo mentem corrumpit insatiabilis avaritia, & auri sacra fames.

Istud autem est adhuc mirabilius, quod insani, inprimis melancholici, magnopere interdum sibi in animum inducunt, ut ea faciant, quae maximum dolorem (quo nihil naturae nostrae magis inimicum est) corpori adferunt. Cibos fame fere enecti, perinde ac si venenum offerretur, adversantur; distentam etiam vesicam exonerare nolunt, summo cum cruciatu per integrum diem, vel diutius, urinam supprimentes. Istiusmodi in casibus mens a sensibus quodammodo avocari videtur, dum interim non potest non sentiri dolor; miser autem animum ad ea attendere, quae intus in corpore geruntur, obstinate renuit. Et verisimile est vanas quasdam imagines illum accepisse, quae dolorem, quo cruciatur, perferre cogant: quales sunt, ni id faciat, se graviora passurum; hunc vero jussu divino in poenam peccatorum sibi immitti, aut daemonis inevitabili potentia, aut veneficio quodam effici; & id genus innumerae. Nihil enim est tam incredibiliter ineptum, atque a ratione alienum, quin in laesam imaginationem cadere possit.

Verumtamen, ut ad curam tanti hujusce mali tandem deveniam, illud ante omnia Medicum considerare oportet, quas exinanitiones ferre possit aeger: siquidem omnibus fere modis demenda est materia, modo vires id sinant; sin illae sint imbecilles, cibis idoneis & medicamentis primum confirmandae erunt, usque dum pati medicinam tu-

to possint. Nam haud raro evenit, ut, nimium exhaustis humoribus, furori succedat insanabilis animi dejectio & melancholia; qua oppressus aeger in perpetuis anxietatibus & moestitia vitam transigit, heu! nimis ut plurimum longam. Diutissime enim magna ex parte vivunt insani. Modi autem praecipui, qui demendae hujus morbi materiae conveniunt, sunt sanguinis missio, vomitus, alvi purgationes, & urinae fluxus. De hisce igitur singulis aliquid proponam.

Sanguis commodissime detrahitur aut ex brachio, aut ex vena jugulari, interdum etiam per cucurbitulas occipitio inciso admotas; nimirum siquando capitis dolor urgeat, aut ultra exhauriri per venas sanguinem vires minime patiantur.

Vomitus optime excitatur *vino ipecacoanhae* in infirmioribus; in robustioribus vero *tinctura veratri*, aut *vino antimoniali.*

Alvi dejectiones moliri commodissimum est *helleboro nigro;* aut *infuso senae*, adjuncta *tinctura jalapii;* aut denique *aloë*, si forte mensium in foeminis, vel haemorrhoïdum in viris, suppressio sanguinis per naturales hasce vias profusionem desideret. Has vero omnes exinanitiones, tum quae per vomitum, tum quae per dejectiones fiunt, aegrum frequenter repetere oportet; ita ut per vices aliae aliis interponantur. Neque illud addere alienum est, valentiora plerumque medicamenta requirere hunc morbum, cum nervi haud facile hic irritentur.

Ma-

MAJORIS autem momenti eſt, quam vulgo exiſtimatur, per renes depletio, praeſertim cum furor conjunctum habet febrilem ardorem. Melancholicis enim parum prodeſt, quos ut plurimum nimis largum urinae profluvium ſolicitat. Diuretica autem hic aptiſſima ſunt *ſalia ex lixiviis herbarum crematarum* parata, & *ſal diureticus* dictus; quorum alterutrum per vices exhibere licebit, idque portione ſatis larga.

CUM illis, quae morbum minuunt, adnumeranda forſan videbuntur emplaſtra veſicatoria capiti admota: quae tamen nimia irritatione nocere potius, quam juvare, ſaepe deprehendi. Magis conveniet Veterum more, caput ad cutem tondere; deinde *aceto*, in quo *roſar. flores*, aut *hederae terreſtris folia* infuſa ſint, frequenter fovere & madefacere; item *ſetaceum*, quod barbara voce Chirurgi appellant, ſub occipite apponere. Illud autem hoc modo efficitur: Funiculus ex filis ſat multis ſericeis acus foramini inditur; dein, facta perforatione, ſubter cutem transverſus conjicitur, ſic ut ſpatium duorum fere digitorum comprehendat; tum per aliud, cuſpide acus factum, vulnuſculum educitur. Illinendus autem eſt unguento aliquo digeſtivo, & quotidie movendus, quo ex ulcere pus exeat. Nihilominus tamen in longo morbo veſicatoria interdum proficiunt.

INTEREA dum hiſce modis expelluntur noxii humores, iis etiam remediis pugnan-

dum est, quae corpus immutant. Diaeta tenuis esse debet, ex jusculis maxime *farinae avenaceae*, aut *hordei*; & cibis ex media materia. Alendum enim corpus est, ne vires deficiant, & detractionibus necessariis ferendis impares evadant.

Medicamenta plurima apud auctores, cum veteres tum recentiores, commendantur; quorum alia maniacis, alia melancholicis conveniunt: utraque autem eo collineant, ut bilem corrigant; quae acris primum, deinde viscida, & picis instar atra fit. Quin & sanguinis ipsius habitus in hoc morbo crassus est, & tenax, nigroque colore; unde incisa cadavera cerebrum siccum, & tantum non friabile, sanguinisque canales atro ac lento cruore distentos, ostendunt. Illud autem animadvertere ex usu erit, pleraque, quae ad humorum vitium emendandum apta sunt, medicamina vi aliqua exilissimos glandularum meatus aperiendi, & subtilissimos liquores e corpore propellendi pollere. Hujus generis sunt gummi graveolentia, in primis *asa foetida*, *myrrha*, *castoreum Russicum*, & *camphora*; quam vi etiam anodyna pollere, & certius tutiusque, quam ipsum *opium*, somnum arcessere, nonnulli auctores experti affirmant. Melancholicis etiam convenientissima sunt quaecunque e *ferro* parata. Plurimum denique juvat, in furoribus praesertim, aegrum balneo frigido frequenter immergere. *Capiti* enim, ut monet Celsus,

Celfus, *nihil aeque prodeſt, atque aqua frigida* (*a*).

Restat adhuc, ut quomodo continendi ſint inſani proponam, quo nihil ad ſanitatem plus confert. Et alia quidem ratione in maniacis, alia in melancholicis, opus eſt. Illorum reprimenda audacia; horum ſpes excitanda eſt, & erigendus animus. Neque tamen illos, qui violentius ſe gerunt, aſperioribus onerare coërcitionibus, & verberibus multare, neceſſe eſt, cum ſatis ſit vincire; meticuloſi enim ſunt, ut jam dixi, omnes, & cum per tempus aliquod ſuperatos ſe ſenſerint, manus facile dant in poſterum, neque vel ſibi aliis vim inferre audent.

Difficilior res eſt cum iis, qui aut cum nimia triſtitia, aut nimia hilaritate deſipiunt; quorum animis pro cujusque natura Medicum ſe accommodare neceſſe eſt. Aliorum igitur riſus intempeſtivus objurgatione & minis prohibendus eſt; aliorum triſtes cogitationes diſcutiendae, ad quod ſymphoniae & ludi, quibus olim delectabantur, multum ſaepe valent. Et muſica quidem quomodo corpus pariter ac animum afficiendo juvet, jam olim explicui (*b*).

Illud autem perpetuo ſervandum eſt, ut imaginibus, quae diu occuparunt, aliae contra-

(*a*) *Lib.* I. *cap.* 6.

(*b*) *Mechanical account of poiſons*, *Eſſay* III. Vid. etiam, quae huc facientia dixit *Aretaeus*, *De curat. acutor. Lib.* I.


trariae menti adferantur, quo novis cogitationibus paulatim se assuescat. Ut enim in corpore, morbo aut exercitiis fracto, imperanda est quies & laboris intermissio: sic animum a vanis, quas accepit, speciebus omnibus modis abduci oportet. Id autem consequemur, si ad ea, quae diversis motionibus exercent, convertamus. Idcirco in falsis timoribus, qui longum inhaeserunt, veris periculis terrefacere, & pavorem incutere, nonnunquam prodest. Hi autem veri terrores falsorum istorum natura dissimiles esse debent, ut mentem diverso modo exagitent. Mens enim quiescere nescit, curis vero & sollicitudine vacua esse potest, & mutatio idearum pro oblectamento & studiorum intermissione est habenda; pariter ac membrorum musculi, uno aliquo labore fatigati, ad alias actiones conversi refocillantur.


Corporis exercitationes nunquam negligendae sunt. Ambulare; equo vehi; pila, globis, ludisve similibus uti; natare; quin & terra marique peregrinari, multum juvat: hisce enim tum fabricae universae robur confirmatur, tum assidua rerum objectarum permutatione mens ad se rediens sapere discit.

Unicam tantum animadversionem hactenus dictis adjiciam. Anodyna medicamenta ad somnum arcessendum, rarissime in hoc morbo juvant. Nihilominus autem in casibus nonnullis; ut in magnis animi terroribus, aut ubi per longam solicitudinem, vel tristitiam, pervigilio

gilio fatigatus eſt aeger; illa experiri non alienum eſt. Neque tamen diu in his perſiſtendum; non raro enim, etiam cum ſomnum inducant, expergiſcitur laborans, terrificis imaginibus gravius quam antea tentatus.

FINEM dicendi faciam, poſtquam monuero, nullo in morbo majorem de iterato in aegritudinem lapſu eſſe metum: quo circa, quaecunque propoſuimus auxilia, ſive ad medicinam, ſive ad diaetam, & vivendi morem pertinent; ea omnia, etiam cum jam convaluerit aeger, ad ſatis longum tempus per intervalla in uſum revocari debent.





CAPUT IV.

De angina.

ANGINAE varias ſpecies diligenter expoſuerunt actores medici; at tres tamen, quae ſunt omnium acutiſſimae & maxime perniciofae, non ſatis pro morbi natura dilucide explanarunt. Harum primam *aquoſam*, alteram *tonſillarum gangraenam*, tertiam *faucium ſtrangulationem* appellare licet.

IN prima igitur oris, palati, & vicinarum partium glandulae diſtenduntur & tumefiunt, In altera tonſillas occupat inflammatio ſine perfecta ſuppuratione; illae tument, & indureſcunt; illico fit gangraena, quae, niſi citiſſime ſuccurratur, eſt lethalis. In tertia, nervis omnibus convulſione diſtentis, aeger ſubito concidit mortuus. Tertiam hanc ſpeciem ipſe ſemel vidi; & licet bis ſex horarum ſpatio detractus fuerat largiſſime ſanguis, nihil profuit tanta exinanitio. Inciſae autem poſt mortem fauces ne minimam quidem tumoris, vel inflammationis, in glandulis aut muſculis notam oſtendebant; ſanguine vero craſſiori turgidae arteriae, venaeque omnes, ubique prominebant. Morbum hunc, etſi rarus ſit, deſcripſit Hippocrates. *Ex anginis*, inquit, *gra-*

viſſi-

vissimae sunt, & celerrime interimunt, quae neque in faucibus, neque in cervice, quidquam conspicuum faciunt; plurimum vero doloris & orthopnoeae inducunt (*a*). Praeceps autem in omnibus hisce malis est periculum, cui non uno modo occurrere oportet.

Memini, elapsis jam aliquot annis, apud *Wallenses*, in locis praesertim mari vicinis, in febris popularis modum saevisse aquosam istam luem, multosque intra biduum aut triduum ea correptos periisse. Medico cuidam illic degenti rogatus consilium dedi, ut, misso quam primum copia satis larga sanguine, & laxata vel clystere, vel si id fieri posset, leni potione alvo, emplastra vesicatoria sub mento & ad latera colli admoveret; sin autem per haec parum proficeretur, ut in palato circa uvam, venasque sub lingua, plagis satis altis vulnera infligeret, quibus morbus erumperet. Interim febris causa ter die quaterve assumendum suasi pulverem, ex *pulvere contrayervae composito*, & *nitro purissimo*, pari portione confectum. Illa cura quam plurimis saluti fuit.

In tonsillarum gangraena, detracto primum sanguine & lotionibus ducta alvo, unicum remedium est, glandulas hasce tribus quatuorve in locis vulneribus satis profundis scalpello incidere, quae *melle rosaceo*, adjecta *mellis Aegyptia-*

(*a*) In *Prognostic.*

gyptiaci aliqua portione, ſunt curanda; interim tamen os faucesque *hordei* & *ficuum decocto* colluere oportet. Haec autem in principio morbi fieri convenit; poſt biduum enim aut triduum ad gulam ſerpit malum, & exitiale eſt. Vidi nonnullos hac medendi via ſalvos evaſiſſe; alios vero, in quibus ea neglecta aut ſero tentata fuerat, periiſſe: cum Medici interim adſtantes, quoniam calor febrilis imminutus videbatur, nihil periculi ſubeſſe, & rem in vado eſſe, exiſtimarent; qui animadvertiſſe certe debuerant, pulſum aegri vacillantem, ſummam inquietudinem, & ſudores frigidos ſe invicem excipientes, inſtantis fati praenuncios eſſe.

Morbus iſte pueros praecipue infeſtat, cujus deſcriptionem accuratiſſime, ut omnia, tradidit Aretaeus (*a*); quam commentario luculento illuſtravit doctiſſimus Severinus, παιδαγχόνην λοιμώδη vocans, atque hanc ipſam, quam propoſui, medicinam commendans (*b*): quin & eandem olim executus eſt Latinus Hippocrates, Celſus (*c*).

Strangulatio faucium, quam tertiam anginae pernicioſae ſpeciem dixi, ſi praevideri poſſit, depletionibus omnis generis praecaveri debet;

(*a*) *De cauſis & ſignis morborum acutorum*, *Lib.* I. *cap.* 9.
(*b*) *Diatriba De peſtilente ac praefocante pueris abſceſſu*, Operi *De recondita abſceſſuum natura* adjuncta. *Francofurti*, MDCXLIII.
(*c*) *Lib.* VI. *cap.* 10.

bet; ſanguinis ſcilicet detractionibus, purgationibus, emplaſtris veſicatoriis, fonticulis, medicamentisque urinam moventibus. Neque etiam inutilis eſt abſtinentia, moderatio nimirum in cibo & potu.





CAPUT V.

De morbis pectoris.
De asthmate.

DIFFICULTATEM spirandi plurimae, eaeque inter se multum diversae, causae efficiunt. Quidquid enim facit, ut circumfusus aër solito minus prompte in pulmonis intima penetret, morbum hunc concitat. Ad respirationem autem inprimis necessarium est, ut thorax dilatetur; quod septi transversi, musculorum intercostalium, & illorum, qui abdomini incumbunt, motionibus peragitur. Juxta illud, opus est aërem in asperam arteriam recipi; cum hujus igitur meatus tumore, vel humoribus viscidioribus, sunt interclusi, spiritus aegre trahitur. Deinde ipsius spirabilis elementi ratio hic habenda est; si enim gravius solito aut levius sit, visceris hujus vesiculas, in quas irruit, haud satis magna vi distendet. Sensus etiam ipsius pulmonis non raro hanc aegritudinem infert. Vidi nempe non nullos, qui cum sub crasso urbis aethere satis commode agerent, rus petentes ab aëre sereno, qui plerisque hoc incommodo laborantibus levamen efficit, in gravissimam dyspnoeam sunt delapsi. Respirationis denique impedimentis ad-

adnumerari debet sanguinis per pulmonem difficilis transitus. Id autem variis modis evenire posse manifestum est; tam scilicet ipsius cordis, quam sanguinis vitio. Cordis vis debilior sanguinem minus propellit; hic vero, si forte nimis crassus fuerit, aegrius movetur, & in canalibus suis quodammodo haerens aëris officium perturbat & moratur. Plures morbi hujusce causae enumerari possint; sed istae sunt praecipuae, quarum aliae aliis conjunctae ineluctabile interdum exitium procreant.

MULTIPLEX hoc malum multiplicem postulat medicinam; in omni autem ejus genere auxilium est, nisi aliquid prohibet, in sanguinis detractione. Neque id satis est: vomitus etiam, si pituita tenax pulmonem aut ventriculum gravat, apprime utilis est; & is quidem frequenter repetitus. Alvum laxam habere oportet, quae catharticis tamen vehementioribus minime solicitanda est; satis plerumque ad hanc rem erit singulis noctibus pilulas dare, ex paribus portionibus *pilulae Rufi* & *gummi ammoniaci* confectas. Aegro cibis & potionibus flatulentis quibusve omnino interdicere oportet. Exercitationibus fere ad lassitudinem; & fricationibus, praecipue inferiorum partium, & per se ipsum, & per alios, usque ad sudorem, fere utendum est.

IN ipsis accessionibus, quantum potest, spiritus angustiam levare oportet. Id faciunt, si humores viscidi sunt & tenaces, *oxymel scilliticum aquae cinnamomi simplici* commistum; *al-*

lium

lium, sive crudum, sive conditum. Sin autem nervorum liquor in culpa est, gummi omnia graveolentia, in primis *lac ammoniaci* dictum conveniunt. At meminisse convenit, anodyna remedia, quae in priore casu pestifera sunt, in hoc plurimum proficere, *salibus* nempe, aut *spiritibus volatilibus* dictis, conjuncta; inter hujusmodi vero compositiones non alia praestantior est illa, quae nomine *elixiris paregorici* prostat.

Sed enim cum nonnulli, vitio aliquo corporis aut humorum, levissimis quibusve de causis in hunc morbum incidant; quibus modis eum praecavere oporteat, dicendum est. Ratio igitur cum temperamenti aegrotantis, tum ipsius morbi naturae, hic haberi debet. Illud, si calidum sit, refrigerantia & acida, mitiora tamen, postulat; inter quae praestant *acetum* & *oxymelita* quaecunque. Sin corporis constitutio sit frigidior, calefacientia nonnulla usui erunt; qualia sunt, *radix enulae campanae*, *zedoariae*, *sagapenum*, *myrrha*, & consimilia. Vomitum in utroque subinde ciere convenit: alvumque lenibus catharticis, quae non nimis solicitent, quale est *sal Glauberi* dictum, subducere. Aqua pro potu commodissima est, adjecto vini paululo.

Quoniam autem in omni hoc morbo sanguis plus minus effervescit, huic excandescentiae nobili illo remedio *cortice Peruviano*, iis praesertim temporibus assumpto, quibus recurrere soleat difficultas respirandi, occurrere

rere optimum erit. Et novi quidem illum, commisto *cinnabari antimonii*, nonnunquam insigniter profuisse.


POSTREMO id minime praetermitti debet, quod fonticuli, quos vocant, supra scapulas inusti suspiriosis quibuscunque sint auxilio. Et hos quidem non solum humores emittendo, sed & distensionem nervorum nimiam minuendo, tam in hoc, quam in aliis quibusdam morbis prodesse, fas est credere.

CAUTE tamen in his omnibus agere oportet. A nimis frequentibus sanguinis detractionibus hydropis metus est. Senibus nocet nimia aquae potio. Exercitationes vehementiores spiritum augustum faciunt. Magna denique acidorum copia fibrillas nervorum constringendo anhelitum difficilem reddit. Ita modus etiam in ipsa medicina servandus est.

DE hoc autem, simulque de aliis pectoris morbis, consuli velim Laurentium Bellini *De morbis capitis, pectoris, &c.*



C A-



CAPUT VI.

De morbis cordis.

COR, motuum omnium animalium inſtrumentum primarium, vitaeque noſtrae quaſi principium & fons, cum muſculus ſit, vel potius plurimum muſculorum congeries; iisdem, quibus alii corporis muſculi, patet incommodis.

AFFECTIO autem, qua frequentiſſime laborat, eſt *palpitatio*, unde per exiguum temporis ſpatium motus ejus interrumpitur. Ex cauſis admodum variis haec ortum habet. Nonnunquam enim reſolutae fibrae haud ſatis valido impetu ſanguinem propellunt. Interdum polypus, in ventriculis aut auriculis haerens, vim ejus eludit. Alias evenit, ut ſpiſſior ſimul & copioſior ſanguis difficulter in canales ſuos feratur. Item aqua in pericardio abundante (quod raro tamen accidit) muſculi hujus motus impediri poteſt. Concreta quoque lapidea illum turbant. Eſt etiam, ubi tendines in ductuum orificiis, in ſenibus praeſertim, oſſeam duritiem acquiſiverint; quo, amiſſa vi elaſtica, motui protrudenti nimis reſiſtitur. Nec praeterire oportet, quod ſanguinis etiam inopia morbum hunc facere poſſit. Hinc enim fit, ut ſpiritus animales minus,

nus, quam par eſt, in cerebro ſecernantur; unde prohibetur cordis contractio, pulſusque fit intermiſſio.

Non eſt autem alienum hic adnotare, affectionem hanc plerumque eſſe convulſionem; qua, cum cor ſanguinem uno niſu non ſatis propellere poteſt, vim ſuam repetere debet: documento ſane inſigni, ſicut ante expoſui, motus etiam iſtos, qui non voluntarii dicuntur, ab animo noſtro regi & mutari (*a*).

Illud denique praeſagitionis loco adjungendum videtur; quod violenter infeſtans, & ſaepius recurrens, hoc malum in *ſyncopen* tandem, ſeu fatalem virium defectum (quam alteram cordis affectionem cenſent auctores) plerumque definit.

Tot variis caſibus medelam etiam variam accommodare oportet. Illud autem in univerſis tenendum eſt, niſi vires ſint admodum imbecillae, ſanguinem detrahi poſſe; quo, cum debilior ſit ad propellendum vis cordis, minuatur liquoris propellendi pondus. Et quidem non raro a plenitudine etiam oriri non tantum cordis palpitationem, ſed & ipſam ſyncopen, animadvertimus; ita ſoliti cujusvis fluxus ſuppreſſioni, ut ex naribus aut haemorrhoïdibus, frequenter ſuccedit praeceps iſte virium lapſus; unde ad praecavendum hoc malum utiliſſime certe erit ſanguinis miſſio. Vix autem aliae quaevis exinanitiones ferri poſſunt.

(*a*) Vid. *Introductionem.*

ſunt. Reſoluto fibrarum ea, quae in capite *De paralyſi* ſunt expoſita, deſiderat. Craſſior ſanguis, qui polypum generat, medicamentis attenuantibus, qualia ſunt ſpiritus volatiles dicti, & gummi graveolentia, emendatur. Veſicatoria autem, in primis ſi ſopor urgeat, deficiente animo, optime ſtimulant & languentem excitant.



CAPUT



CAPUT VII.

De morbis ventriculi & inteſtinorum.

In morbis ventriculi & inteſtinorum non minus ea, quae cavere, quam quae facere oportet, proponenda habeo. Et primo quidem, quanquam pituitam viſcidam, quae ſtomachum gravat, vomitu interdum ejicere maxime neceſſarium ſit; frequentibus tamen vomitionibus motum illum naturalem, quo alimenta deorſum pelluntur, invertere ciborum concoctionem plurimum perturbat & impedit.

Appetitum ad cibos acuunt herbarum amararum infuſiones, & ipſam ſaepe concoctionem adjuvant; at metus eſt, ne longus illarum uſus fibras muſculares nimis calefaciat. Quocirca acidis quibuſdam, praeſertim *elixire vitrioli Mynſichti*, illas ſimul adſtringere non raro convenientius eſt; ea tamen adhibita cautione, ut, dum adhuc tenax eſt, quae ventriculo inhaeret pituita, illis abſtineatur. Frequentiſſimum enim ſtomachi malum eſt, quo reſolvitur; idque certe fibrarum ejus conſtrictionem deſiderat.

SECTIO I.

Alvi fluxus.

Ventris fluxus non difficulter coërcetur. De illo loquor, qui ſine febre eſt; nam ubi haec adeſt, num morbum ſolvere poterit, deliberare oportet. Cum ſola autem cita alvus exercet, ſatis plerumque erit aſſumpto ſemel aut bis *vino ipecacoanhae*, ventrem *rhabarbaro* aliquoties purgare; deinde aromaticis, adjuncta *creta*, aut *bolo Gallica*, inteſtina roborare.

Dyſenteria.

Difficilior res eſt, ubi dyſenteria, aut torminibus, inteſtina excruciantur. Illa enim plerumque intus exulcerantur, & cruor manat; qui modo cum ſtercore aliquo ſemper liquido, modo cum quibuſdam quaſi mucoſis excernitur, ſimulque carnoſa quaedam deſcendunt; frequens quoque dejiciendi eſt cupiditas, dolorque in ano; exiguum interim emittitur, eoque tormentum intenditur; & cum ab inflammatione oriatur hoc malum, nunquam non adeſt febricula.

Semper igitur, ut ad curationem veniam, primum ſanguinem mittere expedit. Deinde vomitus utiliſſimus eſt; quem *vino ipecacoanhae*,

hae, non ſemel, ſed ter quaterve, interpoſito biduo vel triduo, elicere optimum erit.

INTER has exinanitiones, & etiam poſtea, adhibenda ſunt medicamenta, quae fluxum cohibeant, & ſimul membranulas exulceratas ſanent. Neque ullum remedium Mihi compertum eſt illo praeſtantius, quod ex *confectione cardiaca*, & *bolo Gallica*, adjuncto *extracto Thebaïco*, componitur; ita nimirum, ut illorum ſingulorum ſcrupulus unus, hujus granum unum, ter die adſumantur.

NEQUE inutiles ſunt infuſiones in alvum, maxime ex juſculis pinguibus, addita *theriaca Andromachi*; aut ſaltem *electario e ſcordio*; vel ex *decocto albo*, adjecto *amylo*; vel loco illius *julepo e creta*, adjunctis, ubi opus fuerit, *extracti Thebaïci* granis duobus aut tribus.

ILLUD denique animadverte ex uſu erit, malum interdum corporis habitum efficere, ut haec omnia parum proficiant. Illis in caſibus, non omiſſis caeteris, ea, quae humores emendant, in uſum vocare oportet; & quidem *rhabarbarum*, adjuncta *mercurii ſexies ſublimati* exigua portione, iteratis vicibus dare convenientiſſimum erit.

PRAETER haec incommoda, *vomica* etiam interdum, ſive ſuppuratio interna, in ventriculo naſcitur. Hoc quidem raro fit, non ſemel tamen accidiſſe vidi; cum magnam profecto ſanguinis ſimul & purulentae materiae copiam evomebat aeger. Terret ſane iſte caſus, at plerumque tamen non magnum periculum adfert;

fert; iisque adsumptis, quae membranas exulceratas conglutinent, in primis *balsamo Locatelli*, redit sanitas.

SECTIO II.

De ileo.

ACUTISSIMUS morbus est is, quem εἰλεὸν dixerunt *Graeci*. Celsus *tenuioris intestini morbum* vocavit (*a*). Est autem vehemens intestini inflammatio, quae, nisi cito succurratur, brevi in gangraenam desinit, & mors instat.

PROMPTISSIME igitur, & larga copia, sanguinem detrahere oportet, non semel, sed iterum, plerumque etiam tertio. Inde venter laxandus est. Id autem difficillime fit, quod acria nimis irritant, & vomitionibus rejiciuntur. Clysteribus itaque primum res agenda est, interpositis catharticis; quorum illi stimulantes, haec lenia esse debent, ita ut mutuam sibi invicem operam praestent. Anodyna etiam necessaria sunt, sed cum purgantibus mista. Commodissimum igitur erit dare *extracti cathartici* scrupulum unum, adjuncto *extracti Thebaïci* grano uno; & post horas aliquot cochlearia duo *infusi senae*, adjecta *tincturae senae* quarta parte, singulis vel al-

(a) *Lib.* IV. *cap.* 13.

alternis horis propinanda, usque dum dejectionum satis fuerit.

His si nihil proficiatur, *argentum vivum* bibendum praebere opportunum erit, quod quidem duplicem hic usum praestat; partim pondere suo inversum intestinorum motum restituendo, partimque lubricitate excrementa alvum opplentia emolliendo & deorsum propellendo. Idcirco copia satis magna id hauriendum est, librae minimum pondo; quod repetere etiam plerumque opus est. Neque diu sane tardare hoc experimentum oportet; quoniam metus est, ne, quod non raro fit, inflammationi superveniat gangraena, qua corruptis intestini tunicis, in abdomen effunditur ponderosum metallum.

Neque nihil denique juvant fomenta, in primis panni lanei calefacti, & *spiritu vini* madidi; aut etiam, ut praecepit Sydenhamus, *catulus vivens nudo ventri indesinenter accumbens.* (*a*). Longe autem plus adjuvat balneo tepido corpus totum immergere. Et si nondum discussus dolor sit, cucurbitulas circa umbilicum defigere convenit, cum levibus incisionibus.

Eadem via morbum illum atrocem, quem medici Galli *colicam Pictonum*; nostrates in insulis Americanis, ubi frequentissimus est, *the dry belly ache*, appellant, curare oportet. Est enim dolor cum febre, & inflammatione, molestissimaque alvi astrictione conjunctus.

(*a*) Vid. *Oper. p.* 41. *Lond.* MDCCV.

SECTIO III.

De lumbricis.

Non raro lumbrici occupant alvum. Et horum quidem tria ſunt genera, *teretes*, & *aſcarides*, qui pueros; *lati*que, omnium peſſimi, qui adultos maxime infeſtant. De ſingulis eorum plurimi ſcripſerunt auctores. *Lati* autem deſcriptionem, additis etiam iconibus, omnium accuratiſſime tradidit vir doctiſſimus, Daniel Clericus (*a*). Quum is igitur Medicorum quorundam de hoc animalculo, quod ſingulari natura praeditum videtur, errores redarguerit; quae ſequuntur, ex illo excerpere libuit. Et primo quidem, hunc non unicum eſſe vermem; ſed plurium vermiculorum catenam, ex illo genere, quod *cucurbitinos* vocant, continuata ſerie aliorum aliis adnexorum, manifeſte apparet. Hi autem, digiti latitudinem habentes, interdum ſinguli ac ſeparati in inteſtinis jacent, & per alvum excernuntur. Totus denique vermis conjunctus unum caput ſortitur, idque ſatis acutum, roſtro haud abſimile; quo inteſtinis infixo, valde pertinaciter illic haeret, ore pro nutrimento chylum ſugens.

Hisce

(*a*) *Hiſtoria naturalis & medica latorum lumbricorum*, *Genevae*, MDCCXV.

Hisce a Clerico obſervatis quaedam a Me uſu comperta adjungam; vidi enim, & ſanavi, non ſemel hunc morbum. Et id quidem mirum aeque & moleſtum eſt, quod utcunque medicamentorum vi vermiculorum iſtorum aliquot foras ſint ejecti; indies tamen renaſcuntur, reliquiſque in corpore ſe adjungunt, uſque dum aduncum illud caput exturbatum fuerit; & tum demum ſimul cum eo totum animal per anum exit, multorum ſaepe pedum longitudine. Neque mirum ſane eſt dolores inferre acutum illud roſtrum; & hominem, cum monſtroſo & voraciſſimo hoſpiti alimentum aſſidue ſuppeditare debeat, macilentum fieri & contabeſcere.

Omnibus igitur modis extirpanda eſt haec vermium perniciosa progenies. Idque, ſi *teretes* ſint, aut *aſcarides*, facili negotio peragitur. *Argentum vivum* quacunque forma his exitiale eſt; *rhabarbaro* igitur, adjuncta *mercurii dulcis ſexies ſublimati* exigua portione, alvum ſubinde purgare commodiſſimum erit. Diebus interjectis, *Aethiops mineralis* mane & veſperi aſſumptus relevet. Quin & ipſam aquam fontanam, ſi in aqua decoctum fuerit hoc metallum, potui dare ex uſu erit. Prodeſt etiam aquam marinam bibere. Oleum denique in alvum ſubter dediſſe juvat.

Propriam autem curationem deſiderat lumbricus latus. Ego jam a multis annis hujusmodi remedium efficaciſſimum eſſe uſu comperi. *Stannum raſum*, cum aequali por-

tione *coralli rubri*, in pulverem ſubtiliſſimum teritur; hujus drachma una, cum *conſerva ſummitatum abſinthii maritimi* in bolum redacta, bis die devoranda eſt.

Postremo, quibuſcunque medicamentis expugnati fuerint hi inteſtini hoſtes; iisdem identidem repetitis, ne reviviſcant, cavendum eſt.

Non alienum erit alium etiam vermem his, quos deſcripſimus, multum diſſimilem, quippe qui non in inteſtinis, ſed in membris, ſedem occupat, miraeque naturae eſt, hic loci memorare. Illum dico, quem Arabes *venam Medinenſem*, Graeci δρακόντιον, Latini *dracunculum*, nominarunt. Hunc primus deſcripſit Avicenna, adjecta curatione (*a*). Textum ejus Latine vertit Georgius Hieronymus Velſchius, & commentarii loco juſtum volumen, varia eruditione refertum, conſcripſit (*b*). Breviter autem ſummatimque praecipua, quae apud Avicennam occurrunt, exponam. Is igitur morbum hunc fieri dixit, *cum in quibusdam corporis membris puſtula exoritur, quae intumeſcens deinde veſicam contrahit; mox, ea perforata, prodit rubri quidpiam ad nigredinem vergens, neque ceſſat continuo protendi; interdum motum habet vermicularem ſub cute, ac ſi is animalis motus, & vere vermis eſſet.* Galenus autem hoc

(*a*) *Lib.* IV. *Canon. ſect.* III. *tract.* II. *cap.* 21. & 22.
(*b*) *Auguſtae Vindelicorum*, MDCLXXIV.

hoc malum *ulcus* appellat, *quod ad ſe nervum a propinqua parte delatum habet* (*a*).

Sed revera vermis eſt iſte morbus, in *Aethiopia*, *Africa*, & *India* frequens. Et autem inſectum aquaticum, quod acuto capite, & exili corpore, hominum membris, cruribus præſertim, inter lavandum ſe inſinuat; & exiguum primo, membranas muſculorum humidas depaſtum, majus fit & longius; mox rodendo cutim inflammationem cum tumore excitat, quo ſuppurante, caput exerit animalculum, duos ſaepe, aut tres, interdum & plures pedes longum.

Curandi viam tum internis medicamentis, tum ope externa, proponit Avicenna. Suadet autem, *ut aloë tribus diebus conſequentibus quotidie unius drachmae pondere devoretur. Sin autem vermis hanc curam eludat, jamque prodierit; tunc convenit ei praeparare aliquid, cui adligetur, & ſupra quod blande ac paulatim ita convolvatur, ut abſque diſruptione ad finem uſque exeat. Optimum eſt plumbi fruſtum, ſupra quod convolvitur, idque juſti ad trahendum ponderis fiat; tum extrahatur leniter, ne abrumpatur;* & quae ſequuntur. Mihi olim in noſocomio hujusmodi caſum intuleri licuit, in Nauta quodam ab *Africa* reverſo.

(*a*) *Definit. medic.*

C A.



CAPUT VIII.

De hydrope.

HYDROPIS tres ſpecies nominant Medici, cum antiqui, tum recentiores: *leucophlegmatiam ſive ἀνὰ σάρκα*, hoc eſt, *inter cutem*; *tympanitem*; & *aſcitem*. Communis omnium eſt humoris nimia abundantia, qui collectus tumorem facit; aut in toto corpore, ut in *leucophlegmatia*: aut in ventre, qui modo ita intenditur, ut creber intus ex ſpiritus motu ſonus fiat, ſicut in *tympanite*; ubi etiam humoris aliqua portio, ex vapore forſan condenſato genita, plerumque reperitur: modo ita repletur, ut motus aquae, moto corpore aut pulſato manu abdomine, facile ſentiri poſſit, ſicut in *aſcite*.

SEDES *leucophlegmatiae* eſt in membrana iſta, quam Anatomici recentiores *adipoſam*, vel potius *reticularem* ſeu *celluloſam*, vocant; quae membranas corporis omnes et muſculos interjacet.

TYMPANITES non eſt unius generis. Interdum vapor in cavo ventre concluſus abdomen prorſum pellit, quod pulſatum ſonitum edit. Vapor autem is halitus eſt viſceris alicujus corrupti vitio genitus & efflatus, ideoque emiſſus ſem-

ſemper foetidiſſimus eſt. Iſtiuſmodi caſus rari ſunt: vidi tamen in noſocomio Divi Thomae inſigne ejus exemplum. Senex erat, cui tanta cum duritie intumuit venter, ut perculſus tympani in modum reſonaret; nec faeces nec ſpiritus per alvum, propinatis licet valentiſſimis medicamentis catharticis, deorſum ferebantur. Ex inciſo poſt mortem abdomine prorupit cum ſonitu halitus, qui tam gravi odore nares afficiebat, ut Chirurgus ſe aura venenata perculſum diceret. Mox foetoris hujus fons apparuit, inteſtinum nempe colon inflammatum, gangraena vitiatum, & ventriculo pariter corrupto adnatum. Nonnunquam autem ſine putrefactione aura quaedam elaſtica in abdomine genita, neque exitum inveniens, vi ſua membranas circumveſtientes antrorſum pellit & tumefacit. Haec non in cavo ventre, ſed in ipſis inteſtinis concluditur; quae ita diſtendit, ut vim ſuam reſiliendi prorſus amittant, in immenſum fere aucta illorum capacitate (*a*).

TERTIAM hydropis ſpeciem *aſcitem* eſſe dixi, quae tribus modis progignitur. Nunc enim inter tendines muſculorum abdominis, qui tranſverſales dicuntur, & peritonaeum aqua effunditur, & illos ab hoc disjungens inflationem efficit (*b*); nunc in medium tunicarum

(*a*) Vid. *Mémoires de l'Academie Royale*. MDCCXIII. *pag.* 235. & *Philoſophical Transactions*, *Num.* 414.

(*b*) Vid. *Cheſelden's Anatomy*, *Book* III. *chap.* 4.

carum peritonaei (duplex enim eſt haec membrana) illapſus humor harum diſtenſione largum ſibi receptaculum format; ſaepiſſime vero colluvies aquoſa in amplo imi ventris ſpatio colligitur, & ſtagnat. Atque hanc ſane in mortuorum cadaveribus limpidiſſimam interdum vidi, funiculis multis pellucidis, qui ex tenuibus veſiculis quaſi concatenatis conſtabant, innatantibus; quae quidem diſruptorum canalium, quibus lympha circumfertur, erant tunicae, quorum valvulae ini partes eos disjunxerunt, & hydatides dictas formarunt.

Nullus autem hydrops gravior eſt illo, qui in foeminis ovorum conceptacula occupat. Haec enim primum indureſcunt; mox inflammantur, & corrumpuntur; liquore etiam ex innumeris, qui partes haſce perreptant, lymphe canaliculis erumpenti diſtenta, in magnam tandem molem excreſcunt. Hinc rariſſime cedit morbus remediis.

Et hiſce praecipue modis aqua in ventre includitur, quorum omnium exempla non ſemel vidi; illud autem erat rariſſimum, quod in noſocomio quondam ſeſe obtulit. Vidua quaedam duorum & quadraginta annorum, quae nunquam pepererat, per annum circiter de doloribus dorſi cum difficultate urinae conqueſta ſenſit ſibi intumeſcere abdomen, brevique manifeſta hydropis *aſcitis* ſigna deprehendebantur; quocirca per ventrem emittebatur aqua, non ſemel, ſed ter; humore vero poſt ſingulas paracenteſes cito iterum redundante, poſt duas vel tres hebdomadas ab ultima

ultima emiſſione mortua eſt. Inciſo cadavere, effluxit primum ex cavo, quod muſculorum tranſverſalium tendines a peritonaeo ſejuncti confecerant, magna aquae copia, admiſtis multis hydatidibus largis & nondum diſruptis. Dein, ſecto peritonaeo, craſſiuſculi & viſcidi humoris librae ſeptem aut octo ſunt eductae, quibus glandulae multae corruptae immiſcebantur. Mirabamur jam nulla ſe in conſpectum dare inteſtina, quae fruſtra quaeſivimus; donec craſſa membrana corii inſtar diſſecta, ventriculum & omnia inteſtina ſimul cum omento in anguſtum ſpatium coacta, & quaſi occultata, tandem reperimus. Membrana haec erat pars interior peritonaei, quod duplex eſſe jam diximus; cujus pars exterior, quum corium, ut notavi, prope referret, facile prima facie ita nobis impoſuit, ut totum eſſe peritonaeum putaremus. Tres igitur, quas memoravi, hydropis *aſcitis* ſpecies ſimul in hoc corpore, utili ſane accommodoque exemplo, oculis ſubjiciebantur.

Praeter has omnes aquoſas colluvies, alias etiam corporis ſedes inundat non raro morbidus humor. Cerebrum & teſticuli lympha nimia replentur. Nuſquam autem periculoſius, quam in pectore, affligit aqua; quod illis plerumque contingit, qui diuturna ſpiritus difficultate laborarunt; ea in primis, quae a polypis in ſanguinis canalibus haerentibus naſcitur, dum tenuis liquor e ſanguine expreſſus per pulmonum membranam tranſudat. Hunc non ſe-

mel

mel obſervavi ad librae unius aut duarum menſuram, nunc in altero tantum, nunc in utroque thoracis latere, interdum etiam in ipſo mediaſtino collectum. Etenim humor iſte indies auctus, tandem pulmonum impediendo motum ſpiritum intercludit, & aeger improviſo moritur. Nonnunquam etiam in illis, qui diuturna cordis palpitatione cum ſpirandi difficultate laborarunt, ipſum pericardium poſt mortem in immanem tumorem elatum, & magna aquae copia diſtentum, repertum fuit.

SED ad curationes horum morborum veniendum eſt. In *leucophlegmatia*, inciſio in tibiae parte interiore fieri debet, duobus ſuper talum digitis, ita ut vulnus ad celluloſam membranam nec ultra penetret, quo per dies aliquot frequens humor feratur; crus autem interea fovere oportet decocto herbarum emollientium & calidarum, adjecto *ſpiritu vinoſo*, cui addita ſit *camphora*. Hanc medicinam non tantum in hac morbi ſpecie, ſed & in ipſo *aſcite* multum profuiſſe, quin & interdum ſanaſſe, multoties expertus ſum; profluente per multos dies tanta liquoris copia, ut fidem ſuperet. Cavendum autem eſt, non in ea tantum inciſione, ſed & in omnibus, quae in quacunque corporis parte aquae educendae cauſa fiunt, ne nimis inde exhauriantur vires; quas aeque proſternit humor ita emiſſus, ac ſi ſanguinis ipſius tantundem efflueret. Aegrum igitur quovis modo ſuſtinere oportet, ne curatio mortem acceleret; id quod Mihi videre contigit, ſemel

qui-

quidem Mea ipsius non satis caute aegroti robur aestimantis, atque iterum Chirurgi temerarii culpa. At mirum tamen est, quantam aquosi laticis sic effusi jacturam cum levamine ferant interdum hydropici. Cujus rei singulare testimonium proferre libet.

FOEMINA generosa, Mihi cognata, annorum fere quinquaginta, corpore firmo satis & robusto, hydrope intercute simul & ascite laborabat, ita in immensum tandem ventre distento, ut decumbens onus tam grave ferre nequiret. Cum de vita fere desperaretur, unicam spem salutis eamque dubiam, in humoris e talo emissione superesse dixi. Illa autem strenue repugnabat, se itineris ex misera vita magnam partem jam emensam esse clamans, neque velle regredi. At precibus demum amicorum victa cessit: itaque ex vulnusculo in utroque crure eo modo, quem exposui, facto profluxit decem continuis diebus aqua, ad congii mensuram minimum quotidie. Interea fomentis calidis, & stomachi & virium causa, parti provisum est; hausitque bis die cyathum unum & alterum aquae, in qua celefacta infusa essent herbarum folia amararum; quales sunt *absinthium Romanum*, *centaurium minus*, cum *radice gentianae*, & *seminibus cardamomi minoris*, adjecto *vino chalybeato*. Singulis autem noctibus assumpsit potiunculam, Mihi in frequenti usu, ad ciendas hydropicorum urinas efficacem; quae habet *oxymellis scillitic.* ʒ i ss. *aq. cinnamom. simpl.* ℥ i. *sp. lavend. c. syr. e cort. aurant*

 sin-

ſingulorum 31. *M.* Convaluit ſenſim, & corpus ad priſtrinum ſtatum rediit. Cum autem vires id ferrent, idoneis medicamentis per alvum purgabatur. Et cathartica quidem paulo valentiora, eaque ſaepius repetita, deſiderat hic morbus; qualia ſunt in primis *elaterium*, *mercurius ſexies ſublimatus*, & *jalapii radix*. Haec igitur debitis intervallis interponebantur. Caetera autem, quae dixi, ad longum tempus in uſum aſſidue adhibebantur; praeſertim vero diureticus ille, quem deſcripſi, hauſtus per annum integrum nunquam intermittebatur. Ab his nulla unquam valetudine per quinque annos tentata, morbo acuto tandem correpta periit. Nullus autem dubito, quin totum illud aquarum diluvium, partim ex celluloſa membrana, partim ex ſacco a tendinibus muſculorum abdominis & peritonaeo, aut duplicis membranae peritonaei diſtenſione, formato profluxerit.

ORDO poſtulat, ut de *tympanite* jam dicam. Is igitur, quem ex putrefactione viſceris alicujus oriri ſignificavi, prorſus inſanabilis eſt. Qui autem ex aura in ipſis inteſtinis genita provenit, catharticorum non nimis irritantium aſſiduo uſu, interpoſitis medicamentis, quae flatus diſcutiunt, curandus eſt; iis interim, quae facillime concoquuntur, in cibum aſſumptis. At corporis exercitatio non negligi debet. Neque inutile erit per alvum interdum infundere copioſam aquam calidam, atque illam recipere; ſimulque, quod praecepit Celſus, ferramentis candentibus ventrem pluribus locis exul-

exulcerare, & ulcera servare diutius (*a*). Sin autem hoc crudele videatur, vesicatoria abdomini imponere, & per intervalla repetere, in rem erit.

Dirus semper morbus est hydrops *ascites*; sive extra peritonaeum ratione jam dicta, sive intra illud, sive denique in ventris cavo aqua abundat. Caeterum quas exinanitiones ferre possit aeger, in primis considerare hic oportet. Ubi enim fractae sunt vires, nocet vehemens per alvum purgatio; & quo plus humoris ex intestinis ejicitur, eo major ipsius copia brevi in ventrem refluit. Cum id fieri animadvertit Medicus, desistere debet, & per iter urinae superabundantem aquam foras propellere. Incertae autem virtutis sunt in hisce casibus medicamenta quaecunque, etiam illa, quae praestantissima censentur diuretica; quae in hoc enim respondent, in illo spem fallunt; aliud igitur atque aliud tentandum est. Ut plurimum vero ex *radice scillae* parata omnium sunt efficacissima. Horum praecipua sunt, quam ex *oxymelle* proposui, potio: aut ipsius *radicis* recentis exigua portio, grana nimirum quinque aut sex; quae cum *pulver. ari compos.* ℈ss. *rad. zingib. gran.* v*que* contundere, & cum *syrup. e cort. aurant.* in bolum cogere conveniet, singulis diebus mane devorandum: aut *acetum* denique *scilliticum*, quod stomacho minus ingratum erit, & ad propositum valentius, si hac via

(*a*) *Lib.* III. *cap.* 21.

via exhibeatur: *Succ. limon.* ʒvi. *ſal. abſinth.* ʒſs. miſcentur; adjiciuntur *aq. cinnamom. ſimpl.* ℥iſs. *ſyrup. e cortic. aurant.* ʒi. *aq. menth. piperit. ſpirituoſ.* ℥ſs. *acet. ſcillitici* ʒi. aut ʒi ſs. Hauſtus ille bis die bibendus erit. Non inutiliter *cinerum geniſtae* infuſionem propter vim diureticam praecipiunt Medici; & eſt quidem ſaepe commoda, modo potus conſueti loco, admiſto vini pauxillo bibatur.

INSIGNIS autem eſt ad hanc rem, & memoratu digniſſimus, nobilis foeminae Mihi notiſſimae caſus. Illa annos plus minus quinquaginta nata ſenſit in altero abdominis latere durum tumorem, qui ſine dubio erat ipſum ovarium in immenſam molem auctum; hinc diſruptis partem illam perreptantibus canaliculis, qui lympham vehunt, ſenſim fiebat hydrops *aſcites.* Fruſtra erant medicamenta quaecunque, ſive purgantia, ſive diuretica. Ter emiſſus eſt ferramento acuto ex ventre humor, qui brevi ſemper iterum in cavum influebat. Accidit tandem, ut eam inviſeret anicula quaedam ruſtica, quae abdomen conſpiciens non ſine ſummo cruciatu diſtentum facile perſuaſit, ut ſingulis diebus, mane & veſperi, cochleare plenum *ſeminum ſinapis* non contuſorum devoraret, decoctique *ſummitatum viridium geniſtae* ſemilibram inſuper biberet. Poſtquam triduum hoc modo amarum laticem perpotaſſet, maximum ſenſit levamen; quin & ſitis, quae moleſtiſſima fuerat, omnino ſedata eſt. Alvum interdum duobus aut tribus continuis diebus mo-

movebat id medicamentum, & urina quotidie ad libras minimum quinque aut ſex profluxit. Perſtitit in hiſce per annum, neque rediit morbus. Sapienter itaque Medicos monuit Hippocrates, ut *etiam a plebeïis ſciſcitarentur, ſi quid ad curationem utile eſſet* (*a*).

INUSITATUM fortaſſe videbitur, imo & periculoſum, remedia, quae ad ſomnum apta ſunt, in hoc morbo adhibere. At illa tamen interdum eum uſum praeſtant, ut etiam urinam moventibus accenſenda ſint. Ubi enim magnus dolor premit, profuſionem ejus haud raro incitant; non ob aliam, ut opinor, cauſam quam quod fibras ductuum renalium relaxent, quas cruciatus ſemper conſtringit. Hujuſce rei fidem faciet memorabilis, quam traditurus ſum, narratio.

VIR quidam robuſtus, ſobrius & temperantiſſimus, annorum circiter quadraginta, hydrope *aſcite* ſimul & *tympanite* laborabat. Originem morbo dederat colliſio, ab ictu violento ante ſex fere ſeptimanas, in dextro hypochondrio facta. Indies ventris tumor augebatur, cum dolore graviſſimo, ſiti intenſa, urina admodum pauca, eaque craſſa & rubra. Adhibita ſunt cum a Me ipſo tum ab alio Medico experientiſſimo, remedia quaecunque ad urinam movendam utilia; *ſapo Venetus*, *ſalia lixivia*, *balſamum Gileadenſe*, *nitrum*, & ſimilia; at incaſſum omnia.

(*a*) Μὴ ὀκνέειν παρὰ ἰδιωτέων ἱστορέειν, ἤν τι δοκέει ξυμφέρον. *Lib. De praecept*

nia. A catharticis valentioribus in pejus ruebat malum. Paracentesis imperata est, sed renitebantur amici. Cum dolor jam esset intolerabilis, nec ulla spes de vita affulgeret; ut εὐθανασίαν saltem consequeretur, de anodynis cogitare coepi. Haustulum igitur cubitum ituro dabam bibendum, qui habebat *aq. menth. piperitid.* ℥ i. *cinnam. simpl.* ℥ *ss. spirit.* ℨ ii. *tinct. Thebaïc. gutt.* xxxx. *lixiv. tartari* ℈ *ss. syr. ex alth.* ℨ i. *M.* Ab illo insperatum levamen sensit; somnus, qui diu defecerat, obrepsit; profluente per vices ea urinae copia, ut illa nocte librae minimum duae redderentur. Hinc animus mire confirmatus est. Cumque aeger, durante ἀναλγησίᾳ, tum per vesicam, tum per alvum, onus quod gravabat deponi; vi autem anodyni finita, continuo redire, experietur: jussus est eundem haustum octava quaque hora repetere, donec brevi bis die sumpsisse satis esset. Quum autem ab assiduo hujus usu minueretur appetitus, infusionis amarae chalybeatae cochlearia aliquot semel vel bis quotidie bibebat; nondum neglecto, si forte dolor ingrueret, divini pharmaci soporiferi usu. Haec ita profecerunt, ut devoratis demum bis die pilulis aliquot ex *pil. e styrac.* portione una, *corticis Peruviani* portionibus duabus, cum *terebint. Chia* confectis, perfecta restitueretur sanitas.

Operae pretium erit historiam quandam legere, quam narrat celeberrimus Willisius,

huic

huic noſtrae plane ſimilem (*a*). Sed & expendi merentur, quae ad hanc rem pertinentia protulit eruditiſſimus Sponius (*b*). Quem enim ille viginti venae ſectionibus ſanatum hydropem vidit, pariter ac iſte, quem retulimus, ex nimio partium internarum ventris calore & inflammatione ortum habuiſſe, ſuſpicari licet.

NON erit nunc a propoſito alienum ab aſſumptione eorum, quae juvare poſſunt, ad abſtinentiam tranſire; eam dico, qua quis ab omni potu per longum tempus ſe cohibet: hanc enim pro remedio etiam Medici commendant. At difficillima ſane iſta medicina, cum ſitis plerumque vehementer premit; quae niſi ſedetur, eam moleſtiàm affert, ut vita non tanti videatur, ut homo illam tali cruciatu redimere velit. Novi tamen duos, qui, graviſſimo hydrope *aſcite* laborantes, longa iſtiuſmodi patientia ſibi ex toto temperando ad ſalutem perducti ſunt. Illi autem bibendi cupiditatem os & fauces ſucco pomorum acidorum aut limoniorum eluendo, devorato ſubinde hujus aut illius aliquantillo, pertinaciter fallebant.

SIN autem neque per vulnus in talo, quemadmodum in *leucophlegmatia* propoſui, neque per omnia dicta auxilia ſiccetur venter, ſed humor nihilominus abundat; celeriori via ſuccurrere oportet, per ventrem ipſum emittendo. Haec

(*a*) Vid. *Williſ. Pharmacent. ration. Part* I. *ſect.* VII. *cap.* I.

(*b*) *Aphoriſm. Nov. Sect.* V. *aphor.* 81.

Haec enim ἐνχείρησις servat interdum, raro jugulat, & tensionem abdominis minuendo semper dolorem potenter mitigat; quin &, quod maximi usus est, medicinae locum facit.

Scio deterreri saepe Medicos ab hac medendi via, cujus rei causa praecipua haec est. Aqua, inquiunt, frustra emittitur, quae vitiatis partibus internis renascatur; quin &, si temporis intervallis emittatur, in eundem locum cito refluet; sin omnis simul exeat, moritur statim aeger. Et certissimum quidem est, corruptis jam visceribus rem esse desperatam, humorisque emissionem per intervalla factam nihil juvare, universi etiam effluxum plerumque perniciosum esse. Coepi igitur anno MDCCV. illius rei causam investigare, ut tanto incommodo occurrere possem. Et illa quidem, ut opinor, haec est. Longa abdominis a concluso humore distensione septum transversum nimis sursum pellitur, musculi ventris extenduntur, sanguis per canales superiores, quam per inferiores, expeditius fluit, aqua denique compressione sua novam quandam partium vicinarum dispositionem efficit; unde liquore omni simul semelque effuso, septi transversi motus, ut pro natura solet, deorsum illico fertur, sanguis in canales inferiores impetu insolito ruit, & sublata compressionis vi, fibrae eam quam prius acquisiverant extensionem, & calorem quem dederat inclusus humor, derepente amittunt; hinc oritur animi defectio, quae saepe gravius recurrens, orto sudore frigido, mox oc-

ci-

cidit. Hoc igitur incommodum commodius praecaveri non posse videbatur, quam abdomen a superioribus ad inferiora manibus fortiter comprimendo, dum aqua proflueret; & postquam omnis effluxerat, fasciis illud satis vehementer astringendo.

Placuit in nosocomio hoc primum tentare. Et cum mulier quaedam huic curationi satis idonea se mox offerret, simul ac ab inflicto vulnere prorumpere coepit aqua, ipse sedula cura manibus Meis supra umbilicum ab utroque latere positis, ventrem deorsum compuli, mandans Chirurgo, ut infra hanc partem simul isti rei operam daret; id autem interea animadverti, si vel per temporis momentum manus amoverem, aegram actutum animo deficere. Postquam autem omnis humor effluxerat, fasciis laneis arcte constringebatur abdomen, panno laneo spiritu vinoso madefacto primum superimposito. Feliciter, & ex animi sententia, magno nostro gaudio successit experimentum. Urinam copiose reddidit mulier, cupiditas edendi rediit, & redintegratis paulatim viribus, morbum recidivum nunquam passa convaluit. Tanti interest rerum causas cognovisse.

Ab eo tempore istam medendi viam tenuerunt Medici, non nostri tantum, sed & exteri; interdum etiam, ut in novis experimentis non raro fieri solet, nimis audacter. Quibus enim jecur male affectum est, quorum stomachus est corruptus, quive malo corporis habitu laborant; iis vix quidquam spei in hac medicina relin-

quitur. Cautiones igitur nonnullae hic ſemper neceſſariae ſunt; quarum praecipuas peritiſſimi Chirurgi, G. Cheſelden (*a*), & S. Sharh (*b*), clare propoſuerunt.

Fatendum eſt autem, quantacunque prudentia officium ſuum exſequatur Medicus, ſaepe tamen hydropem reverti. Verum illud non obſtat, quo minus hoc inventum magni aeſtimari debeat; cujus ope plurimis vitam, eamque facile tolerandam, quin & nonnunquam jucundam, ad multos annos prorogatam fuiſſe novi. Quod quidem cum multis exemplis conſtet, unum ſolummodo omnium loco adduxiſſe ſatis erit.

Illustris quaedam vidua, anno aetatis ſuae quinquageſimo primo, in hydropem *aſcitem* delapſa eſt. Emiſſus eſt ex ventre humor, qui cum reflueret ſemper, ſingulis menſibus per annum unum educebatur ad menſuram librarum quadraginta quatuor. Anno inſequente, ſingulis etiam menſibus aqua emiſſa eſt ea quantitate, ut per quamque hebdomadam colligi libras duodecim compertum eſſet. Anno tertio, minui coepit humoris quantitas, ita ut menſe unoquoque librae tantum viginti quatuor effluerent. Quarto autem & quinto, ſextique ſeptem menſibus, aqua tricies educta, non ultra ſedecim per ſingulas vices profluxerunt. Et poſt noviſſimam emiſſionem languere coepit

(*a*) *Anatomy of the human body*, *Book* III. *chap.* 10.
(*b*) *A treatiſe on the operations of ſurgery*, *chap.* 13.

pit, ac tabeſcere; difficultate etiam ſpiritus, ut in hydrope pectoris obſervamus, aſſidue fere premebatur, & animo frequenter deficiebat; cum antehac per totum morbi decurſum, quoties intervalla eſſent emittendi humoris, alacris & vivida congreſſibus amicorum, exercitationibus, quin & choreis ſeſe recrearet. Coepit illam tandem vitae & curae taedium, placidaque tandem morte occubuit. Mirandum ſane eſt eo temporis ſpatio tantam humoris copiam ex corpore humano ſuppeditari potuiſſe, libras nimirum mille nongentas & viginti; quas in ipſis ovorum conceptaculis, quae recentiores Medici *ovaria* appellant, primum collectas fuiſſe opinor. At ipſa denique moriens teſtamento ſuo mandavit, ut ad futuram rei memoriam ſumma eorum, quae memoravimus, Anglico ſermone monumento ſuo inſcriberetur. Verba ipſiſſima adjungere libet.

Here lies Dame MARY PAGE,
Relict of Sir GREGORY PAGE *Baronet.*
She departed this life March IV, MDCCXXVIII,
In the LVI *year of her age.*
In LXVII *months ſhe was tapped* LXVI *times,*
Had taken away CCXL. *gallons of water,*
Without ever repining at her caſe,
Or ever fearing the operation.

Monumentum autem illud in campo, dicto *Bunhil Feilds*, extra urbem viſitur.

AEQUE memorabilem, at exitu feliciorem, ca-

casum praebet illa, quam traditurus sum, narratio. Virgo septendecim annorum sensit sibi intumescere ventrem, parvaque copia urinam reddi; a quibuscunque remediis pejus habuit, & post annum haud aliter ac gravidae distendebatur abdomen. Eo tempore nupsit, spe proposita, Maritum fore pro Medico. At longe secus res evenit; per annos tres increvit sensim hydrops, ita ut tandem ventris disruptio formidaretur. Cum dolor jam intolerabilis premeret, a Me petiit, ut aquam manu Chirurgi, quem in nosocomio eventu secundo hanc medicinam fecisse audiverat, quo saltem levaretur cruciatus, educi curarem. Ego, ne occidisse, quam servare non potui, viderer, in corpore macie jam paene confecto, id sine maximo vitae periculo tentari non posse edixi. Misera tamen instare, & precibus rogare, ne se desererem, assiduis tormentis & lenta morte consumendam. Cessi precibus victus, & illa, quam dixi, via emissae sunt simul & semel humoris limpidi, ac nullo modo foetidi, librae sexaginta. Ex eo tempore indies auctae sunt vires, morboque nunquam postea revertente, elapsit decem mensibus filium robustum peperit; plurium etiam exinde foecunda parens.

Illud denique subjungam, medicinae hujus necessitatem inde liquere, quod longe tutius sit, aptis servatis cautionibus, aquam emittere; quam dum illa, rupto sponte sua ventre, prorumpat expectare. Hoc enim interdum

ac-

accidit, nec ſine ſummo vitae diſcrimine. Semel tamen vidi mulierem, cui id contigerat, ſalvam evadere. Illa, abdomine in immenſum aqua repleto, Me accerſivit; morbum inſanabilem eſſe denunciavi, neque enim ſupereſſe vires. At Me fefellit opinio. Nam poſt paucos dies, audito illam adhuc vivere, reviſi, & rei novitate perculſus ſum, conſpiciens vaſa duo humore plena, alterum duodecim fere libras, alterum ſex, continentia; quarum illae rupto aqualiculo prope umbilicum uno die, hae diſruptione juxta eundem locum poſtridie facta, exierant: ita in biduum medicinam ſuam diviſit natura. Cum aegram jam languidam, & tantum non moribundam deprehenderem, non alia auxilia, quam quae cordi utilia eſſent, propoſui; juſſis etiam adſtantibus *ſpiritu vinoſo* abdomen fovere, ſimulque praedicens fore ut propediem moreretur. At mulieri, ne mortuae quidem, vix credendum eſt. Iterum falſus ſum; & poſt menſes aliquot incolumen morboque iſto (in quem, quantum ſcire potui, nunquam denuo incidit) immunem aſpexi; vulnera etiam ſine ulla praeter eam, quam dixi, medicatione ſponte coïerant.

Finis longae hujus charthae erit narratiuncula, ex qua manifeſtum fiet, naturam quandoque modo etiam ab hoc, quem proxime deſcripſi, longe alio hujusmodi onere ſe levare. Mercatorem quendam *aſcite* gravatum, una cum alio Medico experientiſſimo, curabam. Tentatis incaſſum uſitatis remediis, ad paracen-


centesin, tanquamad sacram anchoram, confugimus. Emissae itaque sunt humoris limpidi & tenuis librae circiter viginti. Post aliquot hebdomadas de novo intumuit venter. Convenimus ideo mane Chirurgum abdomen denuo exinaniturі. Subridens autem aeger nulla se jam amplius egere curatione dixit; & nudato corpore, abdomen molle laxumque ostendit. Mirantibus & rogantibus, numquid ea nocte per quascunque vias effusum fuisset, respondit, neque per alvum, neque per renes, neque per sudorem sibi plus solito profluxisse. Per glandulas itaque, & exiles meatus, in peritonaeo, & membranis vicinis, absorptus fuit totus ille humor. Ipse autem postea Medici cujusdam empirici curae nimis imprudenter se commisit; & ad praecavendum morbum valentissimis catharticis usus, brevi post, exhaustis viribus, consumptus est. Vix ulla tamen humoris copia in aperto cadavere deprehensa.

JAMDUDUM noverant Anatomici humorem ex ventre in partes circumjacentes absorberi. Si enim aquae tepidae libra per syringem, facto exiguo vulnere, in vivi canis abdomen immittatur; illo post paucas horas inciso, ne guttula quidem ejusdem ibi reperietur. Ita *corpus universum tam foras, quam intro, perspirabile est:* id quod olim docuit Hippocrates (*a*) Sed legenda omnino sunt, quae ad hanc rem perti-

(*a*) Ἔκπνοον καὶ εἴσπνοον ἐστὶ ὅλον τὸ σῶμα *Epidem.* VI.

tinentia ſcripſit Medicus doctiſſimus, Abrahamus Kaav; qui per omnes corporis membranas, tam in ſano, quam in morboſo ſtatu, recipi & tranſudare humores oſtendit (*a*).

(*a*) In libro, cui titulus, *Perſpiratio dicta Hippocrati per univerſum corpus anatomice illuſtrata. Lugduni-Batavorum*, MDCCXXXVIII.



C A-



CAPUT IX.

De jecinoris morbis.

PLURIMIS morbis ideo patet jecur, quod bilis multis modis vitium facit, ex qua fere oriuntur hujus visceris mala. Omnium autem frequentissimum est *icterus*; in cujus naturam, quoniam ea, quae super illo tradiderunt auctores, Mihi minus satisfaciunt, paulo accuratius inquirere lubet.

SECTIO I.

Icterus.

BILIS est sapo quidam naturalis, hoc est; mistura ex oleo, aqua, & sale tam volatili quam fixo composita, ad varios fabricae animalis usus in hepate e sanguine separata. Nil mirum igitur, cum sanguis ipse modis quam plurimis corrumpi possit, humorem hinc interdum officiis suis ineptum reddi. Peccat autem non raro lentore, nonnunqum etiam nimia raritate. Illud ubi est, obstruuntur glandulae huic secernendae aptae, & exigua copia in canaliculos suos derivatus liquor in iis haeret; in-

inde jecur durum evadit, naſcunturque ſub ejus tunica congeries albidae, ſaponem craſſiorem referentes. At non tantum ab impedito bilis tranſitu propter viſciditatem, ſed etiam a raritate ejus provenit hic morbus. Sal enim volatilis, quem partim bilem componere diximus, nimis abundat; unde tenuis nimirum & calidus humor inteſtina plus ſatis irritat. In priore caſu adſtrictior eſt alvus, faecesque craſſae, argillae vel luto ſimiles, aegre dejiciuntur; in poſteriore diarrhoea, cum febre & liquidis flaviſque dejectionibus, aſſidue ſolicitat. Illi morbo obnoxios reddit vita deſidioſa, ſine debitis corporis exercitationibus acta; ſalis enim defectu pars bilis oleoſa concreſcit: hoc plurimum ii laborant, quibus facultates ſuae inutiles ſunt; & qui genio indulgentes vino meraciori corporis humores accendunt.

Sed & alia eſt icteri ſpecies, his quas deſcripſimus cauſam habens prorſus diſſimilem, quae a nervorum convulſionibus originem trahit; nempe cum humor ille ſubtilis & elaſticus, quem vehunt, acritudine & vi nimia praepollens, bilis canales ultra modum conſtringendo per hepar illam tranſire non ſinit; unde in ſanguine exuperans in quascunque corporis partes diffunditur. Tale quid cruciatibus colicis, quin & ictibus viperarum, ſupervenire jam olim oſtendimus (*a*).

Neque adjicere alienum erit, conſtrictionem

(*a*) *Mechanical account of poiſons*, *Eſſay* I, *edit* IV.

nem non huic ſimilem, ſed ab ipſa glandularum in abdomine induratione factam, interdum evenire, jecinore & veſica ejus bile diſtentis, cum tamen nulla hujus portio in inteſtina delabi poſſit. Vidi olim in noſocomio inſigne hujus rei exemplum. Vir quidam operarius annorum quadraginta & duorum, cum ante quinque menſes ab acuta febre convaluerat, ſenſit in hypochondrio ſiniſtro inflammationem; qua repreſſa, in icterum pertinacem incidit, alvo faecibus albis adſtricta, brevique periit. In aperto abdomine fluitabant ſanguinis, ad ſenſum ſaltem, ſinceri librae quatuor. Mirantibus unde is effluxerat, ſe viſui obtulerunt membranulae quaedam, quaſi dirupti ſacculi fragmenta, putrido hic loci & corrupto omento. Pancreas autem non ſcirrho tantum, ſed & cancro, occupatum fuit; ex illo enim inciſo in Chirurgi faciem lymphae guttulae aliquot acres adeo & corrodentes prorumpebant, ut cutem non ſecus, ac oleum vitrioli, laederent. Lien etiam ſcirrhoſus erat. Veſica fellis maxima, & bile repleta; non flava, ſed viſcidiore, & obſcure vireſcente. Hepar nuſquam induratum; & ubicunque infligeretur vulnus, ſimilem humorem profudit. Univerſas denique corporis partes, membranas, adipem, glandulas, imo ipſam coſtarum ſubſtantiam, colore flavo ſuffuſas obſervavimus; fibris muſcularibus ſolum exceptis, quae nusquam erant infectae. Ex veſica autem digitis compreſſa nihil bilis in inteſtinum effluxit; ita enim, quaſi injecto vinculo,

culo, contractus erat, qua ductus hepaticus cum cystico in unum coït, hujus meatus, ut stylum non caperet. Hanc narratiunculam ideo memoravi, ut manifestum fieret, ex causis quam variis, iisque etiam interdum mortiferis, oriatur hic morbus.

Multiplex adeo malum multiplicem curationem desiderat. Ubi alvus cum faecibus coloris cinerei vel albidi est adstrictior, medicamenta *saponacea* cum per se, tum *rhabarbaro* conjuncta, necessaria sunt. Cum fusior est, non tam comprimere, quam moderari illam oportet; in primis ope *rhabarbari*, admisto remedio anodyno. Nusquam autem magis conveniunt somno & dolori sedando apta, quam illis in casibus, quos a constrictione canaliculorum, qui bilem ferunt, nervorum convulsionibus orta, provenire diximus. In omnibus autem icteri generibus, si inflammatio adsit, sanguis detrahendus est; quinetiam vomitus plerumque eliciendus.

Ista, quam dixi, inflammatio saepe in suppurationem vertitur, & fit vomica; ex qua si fertur pus purum & album, salutis spes est, quia malum est in tunica. Sin autem totum jecur ab ea consumitur, lenta febre & anxietate summa diu luctatus moritur aeger. Frequentissimus est, ut a viatoribus accepi, in *India Orientali* dirus hic morbus, & emisso per medicamentum causticum humore, non raro sanatur. Ulcus autem, ut in fonticulis mos est, diu apertum servare oportet. Me-

morat hunc effectum doctissimus Bontius, & curandi modum illi, quem proposuimus, non absimilem diserte satis explicat (*a*). Quin & eandem Medicis nonnullis olim in usu fuisse, observat Celsus (*b*).

Ex iis denique, quae bilem ipsam emendant, nihil utilius est illa potione, quae habet *succi limoniorum* drachmas sex, *salis absinthii* drachmam semis, *aquae cinnamomi simplicis* unicam unam, *sacchari albissimi* scrupulum unum; quae etiam, ubi alvus nimis soluta est, auxilio erit, modo somniferis vis ejus irritans rite coërceatur. Propter vires etiam consimiles *elixir vitrioli Mynsichti*, ex *aqua Bathoniensi* aut *Spadana* assumptum, multum commodi adfert.

SECTIO II.

Diabetes.

NIMIAM urinae saporis, odoris, & coloris mellei, profusionem, *diabeten* dictam, non renum esse, ut vulgus Medicorum existimat, sed jecinoris morbum, indiciis certissimis jam dudum demonstravi (*c*) Nolo cramben bis coctam

(*a*) Vid. *Histor. nat. & medic. Ind. Orient. Lib.* II. *cap.* 8.

(*b*) *Lib.* IV. *cap.* 8.

(*c*) *Mechanical account of poisons, Essay* I. *edit.* 4.


ctam apponere; & ea, quae ſatis, ut opinor, prolixe propoſui, repetere. Unicum tantum illis, quae de cura ibi dicta ſunt, remedium adjungam, hoc eſt *ſerum aluminatum* quod ex *lactis paululum cocti* libris quatuor, & *aluminis* drachmis tribus conficitur. Si hujus enim quarta librae pars ter minimum die bibatur, ad profluvium illud ſiſtendum plurimum valet.


Si quis autem quaerat, unde tanta humoris copia in hoc morbo laborantibus ſuppeditari poſſit: Facili ſane experimento comperimus, corpora quaedam interdum imbibere, & ad ſe trahere, ex aëre humidum; quo cum moles, tum pondus, eorum augeatur. Ita *ſal tartari* udo aëri expoſitus in tantum creſcit, ut libra una rite calcinata ad libras decem exſurgat. Quidni igitur dicamus, ex ſphaera vaporum nos ambiente nonnullos eorum corpus ad illos recipiendos aptum intrare, qui humori aqueo in renes derivando conjuncti copiam ejus accumulent? Quapropter, cum frigidus ac humidus aër hoc malo affectis minime conveniat, calidum certe & ſiccum, ſi liceat, eos petere oportet.

Rationem autem hic reddere lubet, qui factum fuerit, ut apud antiquos tam raro occurreret hic morbus, ut illum bis tantum ſe vidiſſe referat Galenus (*a*). Id igitur ex more vivendi, quo utebantur, noſtro multum diſſimili proveniſſe autumo. Illos enim hoc ma-

(*a*) *De locis affectis*, *Lib.* VI.

malum maxime corripere dixi, qui inertes ac desidiosi vitam agunt; & luxuria assidue diffluentes, postquam vino meraciori sanguinem & humores accenderint, frigidis potionibus intempestive sitim restinguere solent. Veteres autem, licet plus satis vinosi, prudentiores tamen hac in re sibi cavebant; & inflati venas mero paulatim ad temperantiam redibant, sensim corpus refrigerantes, calidisque aut saltem egelidis liquoribus sitim compescentes.





CAPUT IX.

De morbis renum & vesicae.

PRIUSQUAM ad morborum renum & vesicae medicinam accedam, nonnulla de morbis istis praefari commodum erit; horum enim naturam non dilucide satis videntur explicuisse auctores, cum tamen hanc novisse non parum ad eorum medelam conferat.

OBSERVASSE olim Me memini (sicut alias dixi (*a*)) in cadaveris sectione pueri quinquennis, quem ad mortem cruciaverant graves nephritidis dolores, varios gradus, quibus calculus in lapideam duritiem concreverat. Oppleti erant cum renes tum ureteres materia calculosa, quam cernere erat varias hic illic concretionis formas induisse. Primum mali fundamentum erat aquosus & limpidus humor, quae paulatim lactescens in tenues & ramosas crystallos abiit, quibus in unum coëuntibus accessit tandem lapidis forma & durities.

TARTARUM quoddam hostili coagulatione in renibus genitum calculi esse materiam, non sine ratione, ut opinor, dixit in experimentis chemicis versatissimus Helmontius (*b*). Quam qui-

(*a*) *De imperio solis & lunae, pag.* 55.
(*b*) Vid. *Supplementorum Paradoxum numero criticum.*

quidem opinionem confirmare videtur analysis ejus facta per ignem, cum tartari ex vino Rhenano resolutione comparata. Hujus rei experimentum fecit vir ingeniosissimus, Stephanus Hales (*a*). Et in tartaro quidem Rhenano comperit tertiam totius massae portionem esse aërem elasticum, calculum vero parte plus quam dimidia ex aëre ejusmodi constare; quam aëris proportionem in nullis aliis corporibus potuit deprehendere.

Annon igitur conjicere licet, causam hujus morbi proximam esse sales tartareos ex sanguine in canaliculos renales delatos? Salium enim istorum ea est natura, ut subtilissimae illius materiae, quam praeter alias dotes cohaesionis corporum causam esse monstravit illustris Newtonus, magnam quantitatem inclusam teneant (*b*). Est igitur calculus materia ex terra, maximamque partem ex aëre, in renum tubulis concreta; quae aut in iis haeret, aut in vesicam delabitur. Haec ideo paulo latius exposui, ut, quibus modis medicinam hic facere oporteat, ostenderem.

Et primum quidem, ut venienti morbo occurratur, ne in crystallos abeant sales isti, *lixivialia* dicta *salia* optime prohibitura videntur. Crystallorum autem in calculum concretioni oleosa corpora maxime obstabunt. Et hoc

(*a*) *Statical Essays. Vol.* 1. *pag.* 184 & 193.

(*b*) Vid. *The life of Mr. Boyle, prefixed to his works*, *pag.* 70.

hoc ſane praeceptum tam in victu, quam in medicamentis, locum ſemper habere debet.

Cum autem eo res devenit, ut expellenda ſit per ureteres moles concreta, ſumma hic prudentia opus eſt. Peccatur ſaepiſſime in uſu medicamentorum, quae magna urinam movendi vi pollent; quibus ſcilicet arenulas ſimul propelli poſſe, ſpe plerumque vana, Medici exiſtimant. Tutius enim plerisque in caſibus ea res laxantibus & lubricantibus peragitur; praeſertim ſi, cum vehemens ſit dolor, miſſo primum ſanguine, remedia anodyna interponantur. Nunquam enim, dum in magno cruciatu aeger eſt, foras pellitur calculus; qui, ceſſante cruciamento, cum fluxu urinae ſponte ſua fere & inſperato interdum exit. Illud inde fit, quod dolor partium fibrillas coarctat; quae, ubi abeſt moleſtus ſenſus, officio ſuo rite funguntur. Idcirco non ſine magno levamine, & interdum commodo etiam majore, *opii* grana tria quatuorve in *decocti communis* unciis quinque aut ſex ſoluta, per clyſterem in alvum infundi poſſunt. Eſt autem, cum, ſedato jam angore, diureticis etiam valentioribus pugnare liceat; ea tamen circumſpectione, ut poſtquam effectum ſortita fuerint, iis non diutius inſiſtatur.

Alvus interim ſemper laxior eſſe debet: itaque ſi adſtrictior ſit, infuſa lotione ex *decocto communi*, adjecta *terebinthina* emollire convenit; interdum & *infuſo ſenae*, commiſta *manna*, purgare: neque enim nimis ſollicitanda eſt.

LUBRICANTIA, quae dixi, medicamenta praecipua sunt, *oleum amygdalarum dulcium*, *syrupus ex althaea*, *emulsiones ex amygdalis*, & consimilia; quibus adjungendus erit balnei tepidi usus. Inter diuretica autem valentiora *terebinthina* & *sapo* praestant.

ET his quidem in ipso morbi accessu proficitur. Extra illum autem saluti conducunt corporis exercitatio; in primis equitatio assidua, sed citra fatigationem: cibus ex media materia, quique facile concoquitur: pro potu, aut vinum tenue aqua dilutum, aut cerevisia non lupulata, recens & minime acris; quae, si tempore fermentationis infusa sint *hederae terrestris folia*, eo jucundior erit & salubrior. Mulsum etiam convenit; nullum enim diureticum melle praestantius est. Hujus cochleare ex cyatho uno aut altero infusionis *radicum althaeae* renes, si assiduus ejus usus fuerit, optime purgabit. Vina eligenda sunt, in quibus minimum acoris inest. Aquae levissimae, purissimae, & ex fluminibus cursu exercitis haustae, potui sunt idonea. *Damnantur* enim, ut ait Plinius, *in primis fontes*, quorum aquae *decoctae crassis obducunt vasa crustis* (*a*).

MAGNOPERE autem cavendum est ab assiduo illorum medicaminum usu, quae magna vi urinam cient; praesertim ubi id agitur, ut nullae fiant in renibus arenularum concretiones: illa enim, quantumvis de iis magna promit.

(*a*) *Nat Hist. Lib.* XXXI. *cap.* 3.

mittant rerum ignari, acrimonia ſua & calore partes labefactant & laedunt. Neque temperare Mihi poſſum, quin dicam in opprobrium nuper Medicis nonnullis ceſſiſſe, quod inſano pretio redimendi anile remedium magnatibus auctores fuerunt; quo ipſos etiam in veſica calculos in ramenta comminui, & hinc foras per urinam pelli poſſe, vana ſpe deluſi ſpondebant. Erat medicamentum hoc ex *ſapone calcibus*que *teſtaceorum* non unius generis confectum, quod nemo non videt virtute ſumme cauſtica pollere. Monſtrabatur interea coram populo in rei teſtimonium calculoſa maſſa una & altera, ex veſica illorum, qui illud aſſumpſerant, exſecta, inaequali ſuperficie & foraminibus hic illic quaſi eroſa; quas cavernulas notas eſſe & indicia medicaminis, vim ſuam exerere jam incipentis, credi voluerunt. At ſciviſſe debuerant, non raro calculos in veſiſica naſci ita conformatos, ut ſpeciem lapidis hic illic exeſi prae ſe ferant; id quod ipſe non ſemel vidi. Tanta eſt in lapidibus cujuscunque generis formandis varietas. Et legi quidem velim ſuper omni hac re librum ab Anatomico & Medico inſigni circa id tempus editum, utilibus documentis plenum; in quo tum noxae, tum fallacia, hujus medicaminis diſerte exponuntur (*a*).

NIL mirum ſane eſt, legislatores noſtros, cum

(*a*) *Parſons's Deſcription of the human urinary bladder*, &c.

cum tanta de nova hac, ut dicebatur, medicina praedicarentur, quovis fere praemio illius componendi modum comparare voluisse, ut reipublicae causa in lucem ederetur. Et erat quidem id ipsis laudi, quod hortatoribus culpae verti debet; quos nosse oportebat, res tam acri virtute praeditas, ut calculos comminuant, non posse, illaesa vesica, in hanc partem illabi. In summa, valet aliquid ad arenulas foras per urinam pellendas ista confectio, at calculos duritiei lapideae nunquam confringere poterit; quin & longus ejus usus magno periculo non vacabit, propter rationes jam expositas. Neque multo tutius erit, licet forma commodius, *lixivium saponarium* ejus loco in potu datum, eandem scilicet ob causam.

Verumtamen cum in re tanti momenti nihil dissimulare, nihil celare oporteat; utilitatis publicae causa, quaedam a doctissimo Roberto Whytt, medico *Edinburgensi*, experimentis comperta memorare juvat (*a*). Ille enim, cum incommodis, tum interdum etiam noxis, celebris hujus antidoti perpensis, omisso *sapone*, vires quas haberet *aqua calcis*, non calce viva, sed rite calcinatis ostreorum aliarumve concharum testis parata, ita ut librae septem vel octo aquae testarum calcinatarum librae uni affunderentur, experiri voluit. Res ipsi ex voto cecidit; & multo quidem potius calcu-

(*a*) *Medical Essays, Edinburgh. Vol.* v. *Essay* 69.

culum solvere hunc liquorem, quam vulgarem aquam calcis, fragmentorum calculorum immersionibus in utraque factis, facile didicit. Modum deinde illam exhibendi ostendit; quatuorque libras adultos, pueros pro ratione aetatis minus, quotidie bibere jubet. Non uno autem exemplo felicem medicinae hujus effectum comprobavit.

OPERAE pretium certe erit ipsam ejus dissertationem perlegere. Ego interim eo libentius haec adduxi, quod nuper, ut ex ipsius ore accepi, Medicus quidam *Londinensis*, Mihi amicissimus, hac ipsa medendi via mercatorem graviter laborantem morbo eripuit; plurima enim frustula, nunc crustularum, nunc exiguorum nucleorum instar, simul cum urina foras ejiciebantur. Minime autem sperandum, sicut antea dixi, ut lapides ad silicem fere duritie accedentes quovis medicamento comminuantur.

GRATULOR itaque civibus nostris de scientia & dexteritate Chirurgorum nostrorum, qui novam viam tutius & expeditius calculos ex vesica exscindendi adinvenerunt (*a*). Jam enim non pueri tantum & juvenes, sed & aetate provectiores, sine magno periculo hanc ἐγχείρησιν ferre possunt; nec cum major sit calculus, quam ut cervix vesicae, nisi rupta sit, extrahi sinat, illum findere necesse est: id quod reperisse dicitur Medicus *Graecus*, Ammonius, ob id λιθοτόμος cognominatus (*b*).

(*a*) Vid. *Cheselden's Anatomy*, *edit.* V. *cap.* VI.
(*b*) *Celsus*, *Lib.* VII. *cap.* 26.

C A-



CAPUT X.

De morbis oculorum.

MORBOS oculorum tanta cum diligentia tractarunt ſcriptores, ut ſupervacuum fere habeam de illis quidquam dicere. Ex veteribus in primis Celſus (*a*), ex recentioribus Vopiſcus Fortunatus Plempius (*b*), accuratiſſime eos enumerarunt & diſtinxerunt. Et ille quidem Graecos auctores tam Medicos quam Chirurgos habuit, quorum opera ad nos non pervenerunt, ex quibus maximo uſus judicio medicamenta quam plurima aptiſſima ſelegit; hic vero nova inſuper inventa uſibus Medicis accommodavit. His tamen adjungi velim librum a duobus ſummis Geometris, junctis operis, conſcriptum; in quo ea, quae ad viſum pertinent, plane & dilucide exponuntur (*c*). Lectu etiam digniſſima ſunt, quae de hac materia diſſeruit Medicus *Edinburgenſis*, jam alias a Me laudatus, Porterfieldius (*d*). MI-

(*a*) *Lib.* VI. *cap.* 6.
(*b*) *Ophthalmogr. Lovanii*, MDCLIX.
(*c*) *A compleat Syſtem of opticks*, *by Robert Smith*; LL. D. *with an Eſſay upon diſtinct and indiſtinct viſion*, *by James Jurin*, M. D. *Cambridge*, MDCCXXXVIII.
(*d*) Vid. *Medical Eſſays*, *publiſhed at Edinburgh*; *Vol.* III. *pag.* 160. & *Vol.* IV. *pag.* 124.

Mihi igitur ſat erit de ingentibus quibusdam vitiis, quorum natura vulgo non ſatis perſpecta fuit, quaedam monuiſſe.

SECTIO I.

De gutta ſerena.

Affectus graviſſimus ſimul & difficilliſmus is eſt, quem ἀμαύρωσιν Graeci, ſequioris aevi Medici Latini barbara voce *guttam ſerenam* appellant. Hic ex variis cauſis naſcitur, quarum communiſſima eſt arteriarum, quae tunicam *retiformem* dictam perreptant, a ſanguine viſcidiore per gradus facta obſtructio. Ab ea enim evenit, ut lucis radii, qui rerum imagines in oculi fundo depingunt, in dilatatos hoſce ſanguinis canaliculos ſine effectu incidant; unde viſus pro ratione damni aut imminuitur, aut penitus perit. Hunc etiam morbum interdum facit nervorum, ex quibus contexta eſt haec oculi tunica, reſolutio; quippe quae tollit quadantenus eorum ſenſum, unde lucis corpuſculis non ea vi impellantur, ut ad cerebrum res objectas transferre poſſint. Ipſius denique nervi optici, ſive ab humore glutinoſo effuſo, ſive duro tumore ibi nato, compreſſionem, antequam is a *thalamis* ſuis dictis exiret in oculos, hujusmodi caecitatem afferre obſervavi. Id autem ſpiri-

rituum animalium ad cerebrum meatum intercludendo efficitur.

Tot casibus etiam in uno morbo patent oculi, qui ad usum simul & dulcedinem vitae plurimum conferunt. Quibus igitur modis hos tueri oporteat, jam dispiciendum est.

In primis autem mala haec internoscere, & quaenam in singulis signa spem aut metum ostendant, scire expedit.

Canaliculorum igitur sanguine viscido oppletorum indicium est gradatim superveniens pupillae dilatatio. Haec enim naturae sponte fit, ut incommodum, quod multis lucidis radiis in arteriolas, loco nervosarum fibrillarum, impingentibus visus patitur, solito majore horum numero pensetur. Hinc nervorum resolutio, quae derepente saepe fit, istam dilatationem vix ita patefacit. Effusus vero in ipsum nervum humor, aut sensim agnatus ibi tumor, ampliorem pupillam propter dictam rationem comitem habet.

Vix ulla igitur medicina hos periculo subtrahit, quibus naturalem suam angustiam tuetur pupilla. Idem quoque de iis dicendum est, quibus visum ademit morbus; qualis est intra cranium genitus humor, aut tumor, ipse insanabilis. Qui enim levamen recipere poterit aut subita nervorum debilitas, aut humor, tumorve, propter locum, quem tenet, indissolubilis? Sola igitur, quam primo loco posui, caecitas hujusmodi medicabilis est. Nisi in illa, quam fecit tunicae retiformis reso-

lu-

lutio, ſpes aliqua ſalutis per ea forſan effulgeat, quae nervorum reſolutioni conveniunt; quorum praecipua ſunt aromatica, e *ferro* parata medicamina, & *gummi foetida*.

Quibus autem modis curationem aggredi oporteat, jam proxime dicendum eſt.

Et viis quidem quibuscunque tollendam eſſe iſtam canalium oppletionem, & emendandum ſanguinis lentorem, manifeſtum eſt. Sanguinem igitur primo, tum e brachio, tum e vena jugulari, detrahere oportet, & vicibus quidem pro morbi ratione iteratis. Neque inutiles ſunt cucurbitulae ſub ipſo occipitio, factis profundis inciſuris, collocatae; ut hac via ex cerebri ſinibus, qui *laterales* dicuntur, cruor emittatur. Cathartica etiam dare, ex iis praecipue, quae craſſos humores expurgant, neceſſarium eſt. Cum autem nihil ad incidendos, & foras pellendos, tenaces & viſcidos humores hydrargyro valentius reperiatur, *mercurium ſexies ſublimatum* aliis purgantibus adjungere; vel potius, hoc per ſe aſſumpto, poſt paucas horas lene aliquod catharticum propinare, commodiſſimum erit.

Et haec quidem, incipiente jam & recenti malo, ſaepe ſatis ad votum cedunt; inveteraſcens autem morbus potentius auxilium deſiderat, copioſam nimirum medicamenti hujus ope, parva copia & brevibus intervallis per os ſumpti, factam ſalivae irritationem. Singulare enim & eximium pondus, quo pollet metallicus hic liquor; uti & natura ejus,

qua in minutiſſima corpuſcula facile ſeparabilis eſt; faciunt, ut intimos quosque corporis receſſus ſubeat ac penetret, haerentesque in his ſordes abſtergat, &, quacunque datur porta, foras ejiciat.

Hoc Ego uſus experimento, dum juvenis adhuc medicinam facerem, pauperibus primum in noſocomio, deinde & aliis, viſum vitaeque ſolamen reddidi; laudantibus Medicis, qui ad id uſque tempus malum hoc, cum invaluerat, immedicabile eſſe putarant. Conſilium autem rei hujus periculum faciendi ideo cepi, quod ex optices ſcientia didiceram, corpuſcula quaedam in humore oculi, *aqueo* dicto, natantia, morbi hujus cauſam eſſe (quae vulgus erat opinio) non poſſe; utpote quae ob nimiam viciniam imaginem ſui in oculi fundo delineare nequeant. Alia igitur cauſa quaerenda fuit; quam an veram repererim necne, penes rerum mathematicarum peritos judicium eſto. Mihi profecto, quantum ad medicinam recte faciendam conferat vera matheſis, hoc invento illuſtre documentum dari videtur.

SECTIO II.

De ſuffuſione ſive *cataracta.*

NON parvum vitae taedium affert viſus defectus, Graecis γλαύκωμα, Latinis veteribus *ſuf-*

ſuffuſio, recentioribus *cataracta* dictus. Is eſt quaedam humoris cryſtallini obſcuritas, qui ex pellucido in glaucum colorem plerumque mutatur; unde lucis radiis tranſitus ad fundum oculi prohibetur.

EXISTIMARANT omnis aevi Medici caecitatem hanc originem trahere a membrana quadam, praeter naturam hic concreſcente, quae veli inſtar humori cryſtallino obtenderetur; viſumque reſtitui, hac membranula acu depreſſa. At noſtro demum ſaeculo patuit error iſte. Diſſectis enim poſt mortem tam oculis illorum, qui hoc vitio affecti nunquam dictam curationem experti fuerant; quam aliorum, quibus illa ἐγχείρησις bene ceſſerat: nulla apparente membranula, compertum eſt, ariditatem, duritiem, & opacitatem pellucidi iſtius & globoſi humoris morbum hunc genuiſſe (*a*).

RETICENDUM autem non eſt, deprenſam fuiſſe aliquando, ſed rariſſime, manu Chirurgi veram membranulam (*b*). Hoc nuper docuit peritiſſimi apud nos Anatomici & Medici, Thomae Lawrence, ſolertia; qui tegumentum quoddam membranaceum pupillae obductum ex infantis corpore, cera etiam liquidiſſima repletis arteriolis id perreptantibus, Mihi oſtendit

(*a*) Vid. *Antoine Maitre-Jean, Traité des maladies de l'oeil. A Troyes*, MDCCVII.

(*b*) Vid. *Hiſtoire & memoires de l'Academie Royale des ſciences. A Paris*, MDCCVIII.

dit. Hinc itaque didici, etiamsi certissimum sit ipsum crystallinum humorem in longe plurimis hujusmodi casibus acu Chirurgi loco suo dimoveri; posse tamen interdum fieri, ut membranula quaedam deprimatur, quae infortunio aliquo ariditatem forte contraxerat.

Sola igitur Chirurgi expertissimi manus hic opus est. Suffusionis autem quaedam maturitas expectanda est, rerumque circumstantium habenda ratio; ex quibus, an satis opportunus curationi sit oculis, dignosci queat.

SECTIO III.

De albugine oculi.

Haud leve malum quoque est oculi albugo, a qua plus minusve laeditur visus, prout majorem minoremve tunicae corneae portionem eo loci, quo pellucida est, vitium hoc occupaverit. Interdum enim in extima tantum hujus membranae facie sedem figit; interdum parti interiori, nunc altius, nunc minus profunde inhaeret.

Oritur autem ut plurimum ex inflammationibus, effuso inter tunicae hujus membranas humore; & maxime quidem in variolis, suppurantibus hic loci morbi pustulis.

Duobus ipse modis istud lucis impedimentum amovendum curavi, altero in exteriori, al-

altero in interiori malo ufus. In priori cafu pulverem hujusmodi adhibui. *Vitrum commune* mortario impofitum in pollinem tenuiffimum terebatur, qui *facchari canti albi* pari portione commiftus, multo labore fuper marmor laevigabatur. Pulvifculi hujus aliquantulum, in oculum ope calami indies immiffum, vi fua incidendi paulatim maculam abftergit & abradit. Alter, quem dixi, modus labeculam hanc tellendi is eft, ut folers & cautus Chirurgus illam fcalpello gradatim & quotidie excidat; ex lamellis enim fibi fuperincumbentibus conficitur haec tunica, craffa & firma fatis, quae particulas aliquot abfcindi patiatur. Pulveris iftius ocularii ufu multos fanatos vidi; corneae vero refectionem femel tantum, aut bis felici cum eventu expertus fum. Sed fatius eft anceps remedium experiri, quam nullum.

Ordorum vires.

De reliquis fenfibus vix quidquam magni momenti occurit, quod proponam; paucis quibufdam, quae ad *olfactum* pertinent, exceptis. Cum quotidie enim magnam odorum vim tam ad laedendum, quam juvandum, corpus noftrum experiamur; de hifce quaedam breviter faltem dicere non erit inutile.

Et primum quidem vis horum nociva in morbis, qui contagione ferpunt, inferendis fatis manifefto fe prodit. Humorem enim fubtiliffimum, ex impuro & jam corrupto cor-


pore prodeuntem, ſpiritu attractum ſanum habitum inficere, minime dubitari poteſt. Quin & ſaepiſſime hinc caput doloribus tentari, & ſtomacho, vitiata ſaliva, nauſeam concitari nemo non ſentit. Contra autem vires noſtras plurimis in caſibus maxime reficere res odoriferas notiſſimum eſt. Idque fit, aut excitatis, quum oppreſſi erant, ſpiritibus animalibus; aut recreatis per res ejuſmodi, quae tenuem fumum naturae gratum & amicum emittunt, naribus admotas. Sunt enim quaſi ſpirituum animalium pabulum hujus generis corpuſcula.

Omnium autem, quae hactenus innotuere, corporum odoriferorum valentiſſima ſunt *ſpiritus* & *ſales volatiles* dicti, vi ignis ex animalium partibus eliciti; hiſce proximae animales illae glandulae, quae *caſtoreum*, *moſchus*, & *zibethum*, appellantur. At illud fortaſſis jure mirum videatur, quod non omnia omnibus aeque conveniunt hujuſmodi corpora. Multos enim mirifice reficiunt *moſchus* & *zibethum*: cum alios videmus, quos peſſundat fere, & aegritudine cum animi deliquio turbat, horum fragrantia; quos tamen recreat *viroſum caſtoreum*, & *aſa foetida*. Id diſcimen, ut opinor, facit diſſimilis inter eos fluidi liquoris, qui nervos irrigat, habitudo; Natura ipſa, quaenam ſingulis aut profutura eſſent, aut nocitura, monſtrante. Neque ullus dubito, quin ſenſum harum rerum efficaciae nervorum humor menti impertiat. Ita nimirum ſapienter ſimul & benigne fabricam noſtram inſtruxit Supre-

mus

mus rerum Conditor; ut, quae ſalutaria ſunt ad vitam, aut ad ſobolem propagandam neceſſaria, ſint ſimul jucunda, & cum ſenſuum voluptatibus conjuncta. In hiſce tamen omnibus modum ſemper ſervare oportet, ne voluptatis illecebrae in noxam & detrimentum tum animi tum corporis cedant.





CAPUT XI.

De podagra.

PODAGRA illorum hominum, qui plus ſatis genio indulſerunt, plerumque morbus eſt; in quo Natura ex onuſto corpore id, quod ſibi inimicum eſt & noxium, in articulos protrudere nititur. Eſt itaque pro morbi liberatione potius, quam pro ipſo morbo, habenda haec affectio; unde magnopere cavere ac providere oportet, ut effectum ſortiatur iſte conatus. Minime igitur mitigandus eſt quibusvis medicamentis externis dolor. Si hoc enim tentetur, in partes vitales puncto temporis tranſit humor morbidus, & de vita maxime periclitatur aeger; documento ſane inſigni ad ſubtiliſſimum quemdam & actuoſiſſimum liquorem, qualis eſt nervorum ſuccus, turbidum hunc in corpore motum pertinere. Sin forte ignea colluvies iſta intempeſtive retrocedat, totis viribus contendendum eſt, ut in partem, quam prius occupaverat, revertatur. Id efficiunt ſanguinis miſſio; cathartica calidiora, quae non vehementer ventrem moveant; medicamenta cordi utilia; maxime vero veſicatoria membris impoſita, habita ſemper loci affecti ratione. Nihil enim optabilius eſt, quam ut partibus externis, quas jam tenuit, per dies bene multos ſalutare id malum inſidat; quia dif-

difficulter ejicitur ex corporis interioribus novus hoſpes, ac ſemel admiſſus male partam poſſeſſionem ingratiis tuetur: ut recte fortaſſe dici poſſit, ſolam podagram podagrae mederi.

Sedes hujus morbi ſunt ipſa articulorum vincula; & tendines muſculorum, qui motibus eorum inſerviunt; cum membranis, quae oſſa circumveſtiunt. In has partes delapſus ſuccus vitioſus acrimonia ſua graviter pungit & vellicat; hinc oritur inflammatio, & tranſudantibus ex minimis arteriarum & nervorum ramuſculis liquoribus tenuiſſimis, fit tumor dolorem afferens. Dolore enim pro inſtrumento utitur Natura; qui, quo acrior eſt, eo breviori tempore & tutius munere ſuo fungitur. Nonnunquam enim, quaſi officium detrectans, lente id agit; & pro vario corporis habitu, perinde ac ſi medicinam ſuam divideret, in plures dies cruciatum protrahit. Subſidente autem tumore, effuſi humoris pars, quae per cutis meatus exire non potuit (ex exigua ſane ejus portio hac via exhalatur) in venas & lymphae canales abſorbetur: dum id, quod craſſiſſimum eſt, membranis adhaeret; & ſingulis doloris circuitibus cumulatus, interdum in duritiem quaſi cretaceam concreſcit, ſenſimque articulos opplet & contundit.

Quod ad remedia ſpectat, alia eſſe debent in ipſa acceſſione, alia extra illam. Quietem corpori impetrat ipſa ad motum impotentia. Victus, ſi febris adſit, erit qualis in acutis; ſin minus, ex media materia concedi poteſt.

Stomacho enim, ut dixi, ac viribus profpicere oportet. Et animadvertendum eft (quod in alio morbo vix contingere vidi) ubi hanc partem corripuit morbus, quafi torpore quodam & frigoris fenfu mirum in modum affici ventriculum: ita ut vinum fit pro aqua; & liquores calidiffimos, quales funt *fpiritus*, quos vocant, ex vino eliciti, is expetat & facile ferat. Rei igitur hujus ratio eft habenda, & potui danda non folum vina meraciora fatis magna copia; fed & fpiritus vinofi, *radicis ferpentariae*, *zingiberis*, vel etiam *allii nucleorum*, maceratione efficaciores facti. Quin &, his parum valentibus, ipfos *ferpentariae*, *zingiberis*, & *piperis longi* pulveres, *confectione cardiaca* dicta commiftos, devorare commodum erit.

DISQUIRUNT Medici, annon, urgente in articulo intolerabili cruciatu, venam fecare liceat. Meminiffe autem oportet, dolorem hunc ad partem tumefaciendam fumme neceffarium effe, ideoque patienter perferendum. At nihilominus tamen, cum certum fit feparationibus ex fanguine, quae falutis caufa fponte naturae fiunt, nimium obftare calorem; fi febris fit vehemens, & praefertim fi adfit delirium aut fpiritus difficultas, fanguinis detractio non folum dolorem aliquantum leniet; fed & exitum humoris feliciter promovebit (*a*). Et illam fane etiam repetere opus erit, ubi capitis fopore affecti notae deprehenduntur. Saepiffime enim

(*b*) Vid. *Librum De variolis*, *cap.* III.

enim animadverti Medicos ab ista exinanitione nimis metuere, ne scilicet humoris propulsioni in articulos officeret. In summa, sanguinis missio id plerumque efficit, ut morbus locum, quem jam tenet, deserat & relinquat; quod quidem quanto cum commodo multis in casibus fiat, manifestum est. Anodynorum autem usus, nisi forte vomitionis aut alvi dejectiones solicitent, concedi non debet. Neque, ut id semel moneam, bene ferunt cathartica podagrici; nisi, finito jam paroxysmo, ad expellendas, quae tumorem faciunt, morbi reliquias.

Plus difficultatis & momenti habet quaestio de vitae regimine, quo quis tormentum hoc avertat, & eo se prorsus immunem praestet. Et primo quidem illud perpendere oportet; num tuto satis, & cum bonis aegri rebus, id fieri possit. Quibus enim aetate jam provectioribus per multos annos reverti consuevit morbus; his, si non omnino invadat, pro articulis praecordia infestantur, crurumque insuper robore destituti vitam saepe in reliquum miseram transigunt: id quod illis non semel contigisse vidi, qui lacte & oleribus contenti cibis aliis omnibus se abstinuerunt.

Siquis igitur hujusmodi quidquam tentare ac periclitari velit; is juvenis esse debet, & qui nondum morbum hunc, nisi forte bis vel ter, perpessus sit. Illi vino & cerevisiis omnibus praefracte interdicendum est. Aqua pura sitim sedet. Lacte, & ex illo paratis eduliis, oleribusque vescatur; semel autem de die teneris

car-

carnibus, quales ſunt pullorum, gallinarum, & cuniculorum, interdum & piſcibus fluviatilibus, famem compeſcere licebit. Corpus exercitationibus aſſiduis, ſed non vehementibus, movendum erit. Nonnullos novi hoc vivendi more ſecuritatem totius vitae conſecutos eſſe; & ne vel minimum quidem podagra vexatos ad viridem ſenectutem, eamque etiam jucundam, perductos. Tantum prodeſt ſecundum naturam, id eſt, temperanter aetatem agere. Et hoc vitae genus illi praecipue experiri debent, ad quos vitio parentum, non ſuo, jure quaſi hereditario deſcenſurus expectatur hic morbus; ne ſemina ejus, ſanguini & nervorum liquori inhaerentia, fructum injucundum tempori ferant.

Concludet hoc caput unicum illud monitum, quod licet veriſſime modo dixerim, *pro morbi liberatione potius, quam pro morbo, habendam eſſe hanc affectionem:* interdum tamen, praeſertim in ſenectute, graviſſimum eſt malum; cum, fractis jam viribus, debilitatisque membris, corporis motiones perduntur, & magna vitae jucunditas perit. At vero, ut aliae quaecunque aerumnae, ita & haec patientia levior fit. Et in mediis cruciatibus illud forſan, quod Sydenhamo fuit, ſolatio eſſe poterit; *ita vixiſſe, atque ita tandem mortem obiiſſe, magnos reges, dynaſtas, exercituum claſſiumque ducos, philoſophos, aliosque his ſimiles haud paucos* (*a*).

(*a*) *Tract. De podagra.*

C A.



CAPUT XII.

De doloribus articulorum.

PODAGRAE affines sunt illi dolores, qui cum inflammatione & tumore articulos invadunt. His, sanguinis missionibus, vesicatoriis partibus affectis admotis, & nisi febris urgeat, purgationibus mederi oportet. Si nulla, vel levis tantum, febris adsit, *gummi guajacum* cum *cinnabari antimonii* conjunctum, ita ut utriusque pares sint portiones, cum ad ventrem laxandum, tum, ad humorum acrimoniam retundendam, utilissimum erit; eo modo datum, ut bis die saltem alvus dejiciat.

HORUM omnium saevissimus est dolor, quem Graeci ἰσχιάδα appellant, quod coxas prehendit; eoque difficilior est, quod fere post longos morbos, vi pestifera huc se inclinante, hanc partem corripit. Malum hoc, ubi inveteraverit, femur cum crure debilitat, & aeger claudicat; interdum etiam femoris caput extra coxam elabitur, & femur ipsum protinus contabescit.

NON multum hic juvant cucurbitulae, aut vesicatoria parti imposita; altius enim membranis os circumcingentibus infixus haeret molestus humor, quam ut his extrahi possit. Efficacius est *epithema volatile* dictum, aut emplastrum

ſtrum ex *pice Burgundica*, addita *euphorbii* octava circiter parte, cum *terebinthina Veneta*, quantum ſatis erit, compoſitum.

Nihil autem tantum levamen adfert, in pertinaci praeſertim morbo, ac *ſetaceum* (*a*), ſub locum affectum, ut materia inutilis evocetur, immiſſum. Sin autem vulnus ejusmodi minus neceſſarium videatur, aut nimis acerbum; *fonticulum* ſaltem in femoris dolentis parte interna ſupra genu medicamento cauſtico inurere maxime ex uſu erit; ita tamen, ut ulcus id non ſanetur, ſed diu trahatur, donec id vitium, cui per hoc opitulamur, conquieſcat. Celſus (*b*), Hippocratis exemplum ſecutus (*c*), candentibus ferramentis, tribus aut quatuor locis ſuper coxam, cutem exulcerare praecepit. Quaquidem medicina nulla foret efficacior; utcunque enim terreret ignis aſpectus, breviori cum dolore, quam infert medicamentum cauſticum, peragi poſſet.

Fricatione quoque utendum eſt, & eodem die ſaepius, quo facilius ea, quae coëundo nocuerunt, digerantur; ipſiſque praecipue coxis, ſi fieri poſſit, adhibenda eſt. Aqua autem calida partem affectam fovere plerumque nocet; fibris enim illa relaxatis, augetur dolor.

Sed ad interna auxilia tanſeundum eſt. Horum

(*a*) Vid. ſupra, *Cap. De inſania*, *p.* 51.
(*b*) *Lib.* IV. *cap.* 22.
(*c*) *Aphor.* VI. 60.

rum praecipuum, detracto primum ſanguine, eſt purgatio per alvum. Catharticorum potentiſſimum eſt, aut *mercurius dulcis ſexies ſublimatus*, aut *electarium e ſcammonio;* quod pro viribus ſaepe repetere convenit. Diebus autem, quibus non exinanitur corpus, per ea, quae ſimul urinam cient, & alvum movent, morbi vis minuenda eſt. Ex his *tincturam guajacinam volatilem*, vel *balſamum guajacinum*, omnibus praepono.



CAPUT XIII.

De morbis cutis.

NIHIL jam dicam de *exanthematibus*, quae per febres prorumpunt; uti nec de *pustulis* & *maculis*, quae in foedo corporis habitu cutem inficiunt. Haec omnia, suis quaeque locis, sunt exposita (*a*). Morborum autem omnium, qui summum corpus occupant, foedissimus est *lepra*. Ea duplicis est generis; alterum *Graecorum*, alterum *Arabum* nominant. De utroque, tum quae ad naturam, tum quae ad curam mali spectant, quantum ad rem satis est, alio in libro disserui (*b*).

De scabie.

HUIC vitio foeditate proximum, at origine plane diversum, dicitur *scabies*. Est autem aspritudo cutis rubicundior, unde pustulæ oriuntur, ex quibus exit sanies; fitque ex his continuata exulceratio pruriens, quae cito contagione serpit. Animatus revera dici potest hic morbus, utpote qui animalculis ortum suum debeat. Etenim insecta quaedam adeo exigua, ut

(*a*) *Cap. De febribus*, & *De scorbuto.*
(*b*) Vid. *Medica sacra*, *Cap.* II.

ut aciem oculorum, nisi microscopio adjuvetur, omnino fugiant, in cuticulae sulcis latentibus, & fere invisibilibus, tanquam in nidis, ova sua deponunt; tum calore loci foetus brevi excluduntur, qui justam magnitudinem nacti, ipsamque cutem rostris aculeatis penetrantes, fibrillas vellicant roduntque. Morsus iste pruritum intolerabilem facit, unde scalpendi est necessitas; hinc scalptura pars lacerata humorem tenuem effundit, qui ipse in crustulas duriores mox concrescit. Animalcula autem subter cutem assidue repentia de loco in locum, morbum propagant, dum ovis contagium longius effertur.

MANIFESTUM hinc fit, cur linteis, vestibus, chirothecis, similibusque, quibus usi fuerint contaminati, hoc malum in corpora sana transferatur. Ovula enim rebus hujusmodi ex molli materia confectis adhaerentia cuti affricantur, & exclusa sordidam prolem edunt.

ID vero majoris est momenti, quod causae cognitio morbi medicinam monstrat. Nihil enim hic proficiunt purgantia, aut quae ad sanguinem emendandum dantur medicamenta. Externis adjumentis res agenda est; delenda scilicet impura progenies, quod facili negotio perficitur. Tepido igitur in balneo corpore primum lavato, inungendae sunt quotidie sub tempus lectum petendi partes affectae, aut *unguento e sulphure*, aut quod odore minus ingratum, *e mercurio praecipitato* conficitur; nisi quis malit linimentum componere longe gratissimum,

simum, parique efficacia, ex *floribus aurantiorum*, vel *rosarum rubrarum*, adjecto *mercurio corrosivo rubro*, cum *axungia* contusis.

HAEC, quae dixi, omnia in *Actis Regalis* nostrae *Societatis* habentur (*a*). Edidit enim anno MDCLXXXVII Medicus ingeniosus, Johannes Cosimus Bonomo, *Epistolam* Italico sermone scriptam ad celeberrimum Franciscum Redi, Florentinum, *De vermibus corporis humani*; in qua totam hanc rem, adjunctis etiam animalculorum cum ovulis suis figuris, dilucide exponit. Hujus Ego, cum decem circiter post id tempus annis per *Italiam* iter facerem, exemplar nactus epitomen lingua nostra composui, quam in patriam redux *Actis* memoratis inserendam curavi.

(*a*) Vid. *Philosophical Transactions*, *Numb.* 283.



C A-



CAPUT XIV.

De strumis.

DIFFICILIS morbus est is, quem Latini *strumas*, Graeci χοιράδας appellant, glandularum scilicet duri tumores Eae fatigare Medicos solent, quoniam & febres interdum movent, nec unquam facile maturescunt; & sive ferro sive medicamentis curentur, plerumque juxta cicatrices resurgunt, & longo spatio detinent. In cervice maxime nascuntur, item in alis, inguinibusque; praesertim in pueris. Interdum vero in pectus, & in mammas foeminarum, perveniunt. Denique in pulmonem haud raro confluit humor, eoque vitiato, supervenit phthisis. Et profecto, si verum dicere liceat, in nostris saltem aliisque borealibus regionibus a strumis ut plurimum oritur illa pernicies. Eo autem terribilius est hoc malum, quod a parentibus in prolem saepe transit; & hereditate, quam cepit, haud facile se privari sinit.

PERTINACI itaque & periculoso huic morbo omnibus modis occurendum est; sanguinis missionibus, purgationibus, & eis, quae ad viscidos, salsos, atque acres humores emendandos sunt apta. Catharticorum optimum est *mercurius dulcis sexies sublimatus*, quem in pue-

rorum uſum cum *rhabarbaro* conjungere convenit; adultioribus vero per ſe dari poteſt, potione leni purgante poſt aliquot horas exhibita. Huic viribus proxima eſt *radix jalapii.* Aquae etiam noſtrae purgantes, quoniam glandulas ſimul emundant, ventremque ſolvunt, accommodae ſunt. Neque denique inutilis eſt tam in hoc morbo, quam aliis, qui a viſcidis humoribus naſcuntur, pilula ſingulis noctibus aſſumpta, quae ex *mercurii ſexies ſublimati*, & *ſulphuris antimonii praecipitati*, ſingulorum grano uno, & *aloës Socotorinae* granis tribus vel quatuor, adjecto *ſyrupo balſamico*, conficitur.

QUAE autem pravitatem hanc ſanguinis & humorum corrigunt, pleraque ſunt ex eo genere medicamentorum, quae urinam movent; qualia ſunt, *ſpongia ad nigredinem uſta*, *ſal diureticus*, & *tartarum vitriolatum*; quae eo ſunt commodiora, quod alvum ſimul aliquo modo laxant Neque inutilis eſt *aqua calcis minus compoſita.* Ego ſane pulverem ex *ſpongiae uſtae* ſcrupulo uno, *nitri puriſſimi*, *coralinae*, & *ſacchari albi*, ſingulorum ſcrupulo ſemis, bis die ſumptum, cum dictae *aquae* cyathis tribus quatuorve, ex uſu eſſe ſaepiſſime comperi. Sin autem corpus macilentum ſit, aquae iſti par *lactis* menſura commiſceri poterit. Propter vim etiam diureticam aliquid ad ſanitatem conferunt *millepedae*; vivarum potiſſimum ſuccus, cum *nucis Moſchatae* aliquantulo contuſarum, commiſto *vino tenui*, expreſſus, *melle*que aut *ſaccharo* gratior factus

DIAETA

Diaeta neglectui esse non debet. Carnibus ex media materia, & piscibus fluviatilibus, conchis maxime, vescatur infirmus. Salsamentis & condimentis omnibus abstineat. Aquam bibat fluvialem, etiam coctam; putealem, aut stagnantem nunquam; minime omnium nivosam. Loca enim montana, *Alpes* praecipue, incolentibus gutturis glandulas natura tumefieri videmus. *Fonticulis* etiam peccantem materiam exhaurire prodest. Caelum quoque mutare saepe in salutem cedit, in primis si morbi in pulmonem ruituri sit metus; ita tamen ut regionem nec calidam nimis, nec frigidam, nec tempestatum variationibus insalubrem, petat aeger.

Illud denique in hoc morbo quantumvis pertinaci notabile est, quod nonnunquam per aetatis & habitus corporis mutationes, in juvenibus praesertim, ita sponte sua desinit, ut integra sanitas restituatur. Ea res, ut opinor, *tactum sanantem regium*, quem vocant, in morem primum induxit. Cum enim istam mali hujusce naturam deprehenderent homines astuti, facile existimarunt rem gratam se Regibus facturos, si illis persuaderent, ut ritu solenni, adjunctis sacerdotum precibus, virtutis suae hac ederent experimentum; quo scilicet populi reverentiam sibi conciliare, & jure divino, si diis placet, datum sibi imperium evincere possent. Nil mirum igitur si fides dictis haberetur, & putarent interdum ipsi Reges caelitus sibi concessam istiusmodi potentiam; cum

Nihil eſt, quod credere de ſe
Non poſſit, cum laudatur, dis aequa poteſtas (*a*).

Mundus quoque vult decipi; & res interdum ex voto cadebat, cui vis imaginandi, quae permagna eſt in morbis ſanandis, haud parum tribuit. Hinc Reges noſtri (niſi forſan cum princeps aliquis ſapientior ſceptrum teneret) in credulum vulgus beneficium hoc jam diu humaniter contulerunt. Reges autem *Galliae* ante noſtros ſe donum iſtud eximium divinitus habuiſſe jactant.

(*a*) *Juvenal. Sat.* IV. *vſ.* 70.



C A-



CAPUT XV.

De scorbuto.

SCORBUTI nomen apud auctores Medicos morbum designat adeo multiplicem, & facie diversum; ut non idem, sed alius atque alius esse videatur. Nullo non tempore in septentrionalibus regionibus popularis fuit, eo saevior, quo illae oceano propius adjacent: idcirco *Danos*, *Norvegos*, & maris *Baltici* accolas maxime infestat; neque eo immunes sunt *Germani*, *Belgae*, nostrique homines (*a*).

INCIPIT autem hoc malum a foedis in ore cruribusque ulceribus; unde Plinio *stomacace* & *sceletyrbe* dicitur (*b*), qui sceleribus aquarum imputat, & auxilio repertam fuisse *herbam Britannicam* (quae nobis *hydrolapathum nigrum* appellatur) memoriae prodidit. Sed & ipsi Hippocrati jam olim innotuit, a quo σπλῆν μέγας, *lien magnus*, vocatur; & pariter a frigidis, crudis, turbidisque aquis epotis oriri dicitur (*c*).

ME-

(*a*) Vid. *Eugalenum De scorbuto*; sed in primis *Sennertum*, *Lib.* III. *Part.* V.
(*b*) *Nat. Hist. Lib.* XXV. *sect.* VI.
(*c*) Vid. *De internis affection. Sect.* XXXIV. & *De aëribus, locis, & aquis*, *Sect.* X.

MEMINI Me vidisse in nosocomio hujusmodi casum in viro rustico mediae aetatis, qui in insula *Toliapis* Ptolemaeo dicta, nunc *Sheppey*, vitam egerat. Is locus tam caelo turbido & humido, quam aquis insalubribus, infamis est. Et quidem conjectari licet, Romanos milites, postquam, duce Claudio Caesare, in *Britanniam* transmissi erant, atque hanc insulam cum locis vicinis occupaverant, morbo hoc correptos, monstrantibus incolis, *herbam Britannicam*, quam auxilio repertam fuisse dicit Plinius, comperisse, & a regione id nomen dedisse. Scimus enim Imperatorem illum a Gessoriaco, quod in *Gallia* oppidum est, nunc *Boulogne* dictum, ex adverso Cantii nostri, hanc in terram milites exposuisse (*a*). Huic parem historiam narrat Strabo de Romano exercitu apud Album Pagum, quem, duce Aelio Gallo, Augustus Caesar in *Arabiam* misit. Dicit enim illum oris & crurum vitiis, morbis nimirum regionis istius indigenis, qui *stomacace* & *sceletyrbe* vocantur, suntque resolutio quaedam ab aquis & herbis proveniens, tactum fuisse (*b*). Minime autem dubito, quin aër insalubris marinus, cibus pravus, cum aquis noxiis, caelum illud hisce vitiis obnoxium reddiderint; ex Ptolemaeï enim

(*a*) Vid. *Sueton. vit. Claudii Caes. cap.* XVII.

(*b*) Στομακάκκη τε καὶ σκελοτύρβη πειραζομένης τῆς στρατιᾶς ἐπιχωρίοις πάθεσι, τῶν μὲν περὶ τὸ στόμα, τῶν δὲ περὶ τὰ σκέλη παραλυσίν τινα δηλούντων, ἔκ τε τῶν ὑδρείων, καὶ τῶν βοτανῶν, *Geograph. Lib.* XVI. *pag.* 781. *ed. Paris.* 1620.

enim *Geographia* liquet Album Pagum ad sinum Arabicum situm fuisse. Sed haec obiter. Rusticus ille, quem dixi, malo corporis habitu cum febre intermittente abnormi laborabat; accedebant crurum ulcera mala, in utraque nimirum tibia. Ab assumptis medicamentis, quae scorbuto conveniunt, amaris scilicet & urinam moventibus, convalescere videbatur: ulcerum enim alterum ope Chirurgi jam impletum erat; alterum vero, dum sanescebat, ex improviso tenuit gangraena, & concisa carne, ne latius serperet malum, aeger subito mortuus est. Dissecto abdomine, mox oculos rapuit ingens lienis moles forma naturali, sola magnitudine aucta; neque color mutatus erat, nec mollitiem tumor aut scirrhus vitiarat. Pendebat autem libras quinque cum quarta librae parte, cum hepar quatuor tantum libras totidemque uncias pondere aequaret. Substantia denique, quae visceris hujus natura est, laxis fibris suffusum nigrum cruorem visui obtulit.

Ab ulceribus istis supra memoratis os ipseque spiritus male olet; gingivae vitiantur, sublividae & nonnunquam subatrae redduntur, ac digito vel leviter pressae atrum cruorem emittunt; eaedemque sic laxae sunt, ut a dentibus discedant, quos facile omnes interdum eximere liceat. Interea maculae lividae, tanquam vestigia suggillationum, variis corporis locis efflorescunt; in brachiis scilicet, in coxis, in cruribus, saepeque per universi corporis cutem, adeo ut haec quasi ictero foedata videa-

tur. Tormina quoque ventrem discruciant. Et ne levia quidem praetermittam, ab intestinorum doloribus nomen suum, tum Latinum tum Anglicum, traxisse videtur iste affectus, a voce nimirum Saxonica *schorbock* vel *schorbuck*, quae illa lingua ventris lacerationes denotat.

Praeter insalubres aquas cibos etiam in partem nocumenti trahunt auctores, salsamenta nimirum & legumina; quae, cum sint difficilis concoctionis, crassum minusque commodum nutrimentum corpori suppeditant. At causam tamen magis universalem adhuc non videntur satis attigisse. Illa autem aër est usibus vitae minus idoneus, qui in pulmones receptus plurimum noxae adfert. Id in longis navigationibus maxime manifestum est, in quibus nautas saevissime corripit haec lues. Cujus rei illustre exemplum praebuit *Historia* nuper edita itineris marini, magni nostri ducis Ansoni, qui totum terrarum orbem circumnavigavit; in quo tertia fere pars nautarum hac calamitate consumpta periit, maloque adeo evecto, ut etiam in fractis ossibus calli, qui diu induruerant, quasi compage jam recenter rupta, mirandum dictu! dissolverentur (*a*). Est profecto in hisce casibus summa humorum omnium corruptio, & quaedam putrefactio; sanguinis mistura eo usque vitiata, ut quacunque parte emissus nihil pur-

(*a*) Vid. *Anson's Voyage round the world*, *London*, MDCCXLVIII.

purpurei coloris habeat, sed atram & coenosam colluviem referat. Quibus autem modis ita corrumpant & putrefaciant humores dictae jam causae, non difficulter cognoscet, qui proprietates legesque motus in fabrica animali perspectas habuerit. De illis enim ut pluribus hic agam, eo minus necessarium videtur, quod in libello nuperrime edito eas fusius exposui; ubi commoditates & usum *machinae Suttonianae* ad extrahendum e navibus aëra inquinatum, allatis etiam documentis, ostendi (*a*).

Quod ad curam attinet, facilius multo est morbo huic venienti occurrere, quam illum depellere; cum enim corpori semel insederit, difficillime medicinam sentit. Optimum autem medicamentum est aër salubris opportune inspiratus, cum apta diaeta. Cum primum igitur quis aegrotare coeperit, si forte sit in mari, quam citissime fieri poterit, mutandum est caelum, & pro marino terrenus aër hauriendus; sin in terra sit, rus amoenius petere, & aëre aperto ac sereno frui debet. Uterque vero aut carnibus recentibus vescatur, & ex materia tenerrima: aut potissimum herbis, tam iis, quae sale volatili gaudent, quales sunt *cochlearia*, *nasturtium*, *becabunga*, & his consimiles; quam illis, quae succum frigidiorem praebent, cujusmodi sunt, *acetosa*, *endivia*, *lactuca*, *portulaca*, & id genus aliae. Et has quidem

(*a*) *An Historical account of a new method for extracting the the foul air out of ships, London,* MDCCXLIX.

dem omnes utriusque generis alias aliis miſcere, & temperare inter ſe, ſaepe erit utile. Maxime autem juvabit fructus ſubacidos, *mala citrea*, *aurea*, *punica*que frequenter, comedendo ſtomachum pariter, ac corporis humores, refrigerare & aſtringere.

At operae pretium erit ipſam *Narrationem* itineris modo dicti pervolvere; quae multa ſane Medicis ſcitu utilia, omnibus lectu jucunda, variosque caſus ac rerum diſcrimina justo ordine, ſtyloque eleganti deſcripta complectitur. Neque laboris fortaſſis illum poenitebit, ſi quis velit ea pervolvere, quae, cum *machinae Suttonianae* utilitates exponerem, ipſe de hoc morbo conſcripſi. Leget ibi hiſtoriam maxime memorabilem de *Nauta* quodam *Batavo*; qui cum in nave ad *Groenlandiam* appulſa hoc malo jam fere comſumptus eſſet, herba tamen *cochlearia* pecudum more paſtus, reſtituta ſanitate, in patriam firmis viribus rediit.

His, quae fuſius fortaſſe diximus, illud denique adjungere non inutile erit: quod ſanguinem, ſi ex quavis parte profluat, id quod non raro fit, *elixir vitrioli Mynſichti*, *aqua fontana frigida* commiſtum, ac ſubinde hauſtum; vel interdum etiam *tinctura ſtyptica*, eodem modo aſſumpta, commodiſſime ſupprimet.

C A-



CAPUT XVI.

De malo hypochondriaco.

Non unam aliquam ſedem habet malum, quod *hypochondriacum* dicitur, ſed totius corporis eſt morbus. Maxime autem vitiantur imi ventris viſcera, ventriculus nimirum cum inteſtinis, hepar, lienis, pancreas, & meſenterium; quorum ſingula pro natura ſua & uſibus vitae, quibus accommodata ſunt, afficiuntur. Ventriculum crebri ructus & inflationes, cruditatis ſigna, infeſtant. Bilis craſſior & tenax in canaliculis ſuis haerens hos opplet, & jecur tumefacit. Cum affectus eſt lienis; cujus officium id eſſe videtur, ut per arterias ſuas ſanguinem fluidiſſimum, partim in cellulas proprias, partim in venam ſplenicam, ad hepatis uſus immittat; liquor is craſſior factus vitium facit, unde in vena iſta fere ſtagnat, & molle viſcus tumore diſtenditur. Pancreas ubi male habet, glandulae ejus, quae ſalivam deferunt, aliquo modo induratae humorem ſuum parcius profundunt; hinc bilis, quae in inteſtino illi admiſcetur, non ſatis diluitur; & chylus nimis viſcidus per canales *lacteos* dictos difficulter fertur, atque in viis ſuis quodammodo haeret. Omentum, pinguetudinis officina, ſi quando ab hoc morbo aliquid

quid mali patitur, oleum illud tenue & ſubtile, quod in ſacculis hic colligitur ad hepar usque deferendum, & ſanguini illuc a liene adducto affundendum, copia ſolito minori elabitur; quo fit, ut ſanguis in vena portarum neque pro more ſolutus, neque lympha attenuata ſatis refertus evadat. Meſenterii denique vitium, quod affert iſte affectus, id facit, ut glandulis membranae hujus obſtructis, lymphae in ductus chyliferos inſtillandae penuria chylus nimis ſpiſſus, & nutritioni minus idoneus, ſanguini aſſidue ſuppeditetur. Iſthaec omnia morbi hujusce naturam patefaciunt; in quo ſcilicet ſanguis & humores craſſeſcunt, & motionibus ſuis vitaeque uſibus inhabiles redduntur.

Causae autem multiplicis hujus mali in promptu ſunt, quarum praecipuas, ut verbo dicam, corporis quietem, animique motiones, merito quis ſtatuat: illa enim efficit, ut tardius moveantur humores; ab his nunc conſiſtit fere ſanguis, nunc vehementius incitatur; in utroque vero caſu incommodum capit ſanitas.

Hactenus expoſita ad curationem ducunt, in qua tum expurgare, tum emendare humores convenit. Neque tamen violentiora cathartica hic opus ſunt; mitioribus res tutius agitur, illis praeſertim, quae incidant humores, alvumque ſimul & urinam moveant. Hujus generis ſunt *pilulae ecphracticae*, *aloëtica ſaponaceis* conjuncta, *rhabarbarum*, *ſal Glauberi*, & his conſimilia.

Humorum vitium, lentor nimirum & craſſitu-

ſitudo, medicamentis ex *chalybe*, amaris & aromaticis adjunctis, tincturae praeſertim modo commodiſſime tollitur. Aquae vero, quae per venas hujus metalli fluxerunt, medicamentorum omnium chalybeïorum ſunt efficaciſſimae.

Omnia denique corporis exercitationum genera neceſſaria ſunt: ſphaeris ligneis vel pila ludere; brachia, compreſſis utraque manu ponderibus plumbeis, frequenter agitare, eſt utiliſſimum; nihil autem aſſidua equitatione ſalubrius.

Dictis finem imponet narratiuncula, quae riſum ſimul moveat, & inconſtantis hujus morbi indolem patefaciat. Vir quidam Academicus ex nimia ignavia hac aegritudine tam graviter laborabat, ut tandem decumberet: ingraveſcente indies morbo, mortem ſibi inſtantem denunciat; jubet igitur, ut moris eſt, campanam funebrem in templo aedibus ſuis vicino pulſari, quaſi neniam ſuam ante ſupremam vitae horam audire volens. Fuerat autem ipſe juvenis exercitii cauſa modulate campanas pulſare ſolitus. Quid jam ſequitur? Campanarum pulſator illi male rem agere videtur; ſtatim itaque iratus e lecto ſurgit, manibus ſuis modum rectius pulſandi monſtraturus; quod cum fecerat, totus ſudoribus diffluens ad lectum iterum ſe confert, mox expiraturus. Vitam autem reddidit iſte labor, & convaluit. Ita, quod obſervavit olim Hippocrates (*a*), *contraria contrariorum ſunt medicamina.*

(*a*) Τὰ ἐναντία τῶν ἐναντίων ἐστὶν ἰήματα, *De flatibus*, §. III.

C A-



CAPUT XVII.

De animi affectibus.

Affectus animi, quos *passiones* vulgo appellant, vehementes nimirum & immoderati, pro morbis haberi debent; nam corpori etiam varias aegritudines efferunt. Id autem quibus modis eveniat, nisi cognita animi natura, legeque perspecta, qua is cum corpore in unum coëat animal, intelligi nequit; quam scientiam in hac vita nunquam, ut opinor, assequemur. Vitae enim ac naturae nostrae ratio ita comparata est, ut facultates animi viresque corporis mira quadam promptitudine exeramus; modum vero ipsumque actionum omnium principium prorsus ignoremus, cujus cognitio ad bene beateque vivendum, minime necessaria esse videtur.

Effecta tamen motionum animi in machinam nostram deprehendere facile possumus; nec mutationes, quas in sanguine & humoribus secum ferunt, dignoscere est admodum difficile. Quaedam enim sanguinei laticis motum reprimunt, aliae incitant, nonnullae alternatim sistunt & propellunt. Sic moeror & metus cohibent; iracundia, indignatio, & intemperata libido stimulant; conjunctae hujusmodi perturbationes motus tardioris, aut cele-

le-

lerioris, viciſſitudines ſubitaneas, ſe feſtinanter excipientes, procreant. Neque illud obſervare alienum eſt, quod immodici affectus, ubi diu inſederint, pro natura ſua in longos ſaepe morbos vertuntur. Ita ſolicitudo, deſperatio, moeror, melancholiam faciunt; iracundia longo tempore perſeverans in furorem & inſaniam deſinit. Attamen pro varietate temperamentorum cum animi, tum corporis, plus minusve nos movent affectus. Quin & in eodem homine non omni tempore pariter perturbant. Uſque adeo incomprehenſibilis eſt fabricae noſtrae conſtructio.

Caeterum id longe adhuc mirabilius eſt, quod inter auctores Medicos a ſolo ſagaciſſimo Aretaeo animadverſum reperio (*a*). Etenim non modo, ut is notat, animi affectus morbos faciunt; ſed & viciſſim ipſi morbi efficiunt πάθη, eaque interdum, quae naturae illorum contraria videantur. Exemplo apud ipſum eſt *hydrops, qui licet morbus ſit perniciosiſſimus, aegrotantibus tamen tolerantiam & patientiam affert; non ex alacritate, ac bona ſpe, velut iis accidit, qui bonis rebus utuntur, ſed ex ipſa morbi natura. Cujus rei cauſa*, inquit, *exponi non poteſt, ſed mirari tantum id licet.*

Verum iſta omnia ſpirituum animalium miniſterio peraguntur; hi enim cor, motus ſanguinis inſtrumentum, minori aut majori vi con-

(*a*) *De cauſis & ſignis diuturnorum morborum, Lib.* II, *cap.* I.

contrahunt. Idcirco pulſus arteriarum has permutationes etiam in ipſo illarum ortu commonſtant.

Priusquam autem ad medicinam harum animi aegritudinum deveniam, monere convenit, non fruſtra, ſed optimo Supremi rerum Conditoris conſilio, inſitas nobis eſſe naturales iſtas animi commotiones; quo ſcilicet ad mala fugienda, & bona arripienda, cum impetu quodam feramur. Minime igitur noxia ſunt πάθη, niſi ubi immoderata rectae rationis imperio non reguntur, & limites aptos transcendunt.

Tumidos autem hos animi fluctus componere Philoſophiae munus eſt. Verum, proh dolor! ad irritum hic plerunque cadunt Stoïcorum praecepta; quippe qui & ipſi ſaepenumero magna loquuntur, non vivunt:

Naturam expellas furca licet, uſque recurret.

Tentandum eſt tamen, & quo difficilior ſit pugna, eo glorioſior erit victoria. Sed haec Philoſophorum diſputationibus relinquenda eſſe forſan quis dicet, cum noſtrum ſit corporis medicinam promittere. At liceat Mihi in re tanti momenti pauca quaedam virtutis incitamenta, quae ex ſcholis eorum didici, hiſce Medicis noſtris immiſcere.

In primis itaque ipſa Natura trahimur omnes ad voluptates; quarum aliae corporis, aliae ſunt animi. Ad illas autem maxima pars ho-

hominum proclivior eſt; harum illecebris pauci, *quos aequus amavit Jupiter*, capi volunt. Rei autem iſtius haec ratio eſſe videtur, quod vix unquam iſtis recti animi conſcientia frui licuit, & gaudium illud percipere, quod ex libidinum ſuarum moderatione viro bono enaſcitur; cupiditatum vero lenociniis dediti, virtutis blandimenta nondum experti ſunt, unde ignoti nulla cupido. Paulatim igitur aſſuescere oportet, nec oleum camino unquam eſt addendum, ſi quis tantam hanc exoptat felicitatem.

Pertinet ad hanc rem id, quod eſt apud Ciceronem, a Catone dictum; acceptum vero ab Archyta Tarentino, magno in primis & praeclaro viro: *Nullam capitaliorem peſtem, quam corporis voluptatem, eſſe hominibus a natura datam; cujus voluptatis avidae libidines temere & effrenate ad potiundum incitarentur* (*a*). Et ea ſane, quae ſummus ille vir huc facientia perſequitur, prudens quispiam magna animi jucunditate perlegere poterit. Rectiſſime igitur apud Silium Italicum exclamat virtus:

Quippe nec ira Deûm tantum, nec tala, nec hoſtes;
Quantum ſola noces animis illapſa voluptas (*b*).

Verum enim vero, ſicut moderatio cupiditatum mentem confirmat, ita temperantia in victu corpus turbidis his motibus minus obno-

(*a*) *Cato Major, Cap.* XII.
(*b*) *Punicorum, Lib.* XV. *vſ.* 94.

noxium reddit. Neque id tantum in iis, qui-bus excandeſcit ſanguis; ſed etiam in illis, qui reprimunt, locum habet; quandoquidem tranquillum rerum ſtatum conſervat.

Et hac quidem via venientibus his malis occurritur, aut ſaltem leviora fiunt. Ubi autem jam corpus occuparint, ſingula ſibi convenientia poſtulant remedia. In iis commotionibus, quae vitalium humorum curſum coërcent, ſtimuli requiruntur; frena vero, ſi efferveſcant. Stimulant commodiſſime *gummi graveolentia*, *caſtoreum*, *ſales* & *ſpiritus volatiles ex animalibus vi ignis eliciti*, & ſimilia. Impetum autem & furorem ſanguinis refrenant, ſanguinis miſſio, alvus paulo fuſior, *nitrum*, & quaecunque refrigerantia. Optimum autem eſt conſuetudine & conſiliis uti fortium & ſapientium virorum; permultum enim in vita omni valent exempla, quibus rationi obtemperare ſenſim diſcimus, affectusque regere, qui, niſi parent, imperant.

Qui autem prorſus ἀπαθεῖς nos eſſe volunt, omnesque animi affectus quaſi nocuos ſupprimere; ii certe rerum Conditoris ter Optimi Maximi ſapientiam & bonitatem impugnant, qui in optimos uſus fabricae noſtrae illos inſeruit & quaſi intexuit; idque non ut ſingulis tantum ſalutares, ſicut jam dixi, ſed etiam ad ſocietates conjunctionesque hominum ſervandas prorſus neceſſarios.



CAPUT XIIX.

De morbis mulierum.

SUPER mulierum morbis multa dicere eo minus necessarium esse videtur, quod in his describendis & sanandis tantum operae posuerint plurimi auctores. Pauca tamen, ne neglectui habitus videatur sexus amabilis, breviter attingam; illis, qui virgines infestant, primum tribuens locum, quibus coelebs sua vita multa affert incommoda. Ex his autem frequentissimum est,

---

SECTIO I.

Menstruorum suppressio.

MENSTRUORUM fluxum plerumque impedit sanguinis lentor, quo fit, ut is canaliculos ad hunc effluxum Natura comparatos, & sphincteribus suis instructos, vi sua aperire non possit. Neque enim, ut vulgaris fert opinio, arterias uteri singulis mensibus dirumpit sanguis; sed per ductus sibi proprios, Naturae legibus turgescens, foras exit. Ab ista humoris vitalis crassitudine evenit, ut vultus color

vividus in viridem mutatus amittatur & pereat.

Huic malo illa remedia conveniunt, quae ſanguinis circuitum promovendi, viſcidoſque humores incidendi & attenuandi, vi pollent: qualia ſunt amara omnia, aromaticis conjuncta; ut etiam multa eorum, quae *ferrum* ſuppeditat. Haec autem antecedere debet ſanguinis detractio; & cathartica, adjuncto *mercurio ſexies ſublimato.* Praeſtantiſſima eſt etiam *tinctura ſacra.*

Ex omnibus autem, quae menſes movent maxime, ſingularem virtutem habere deprehendi *helleborum nigrum*; ita ut illum vix unquam ſpem fefelliſſe meminerim. Idcirco *tincturae melampodii* cochleare minimum ex aquae tepefactae hauſtulo bis die aſſumi jubeo. Et illud quidem notabile obſervavi; quod quotiescunque aut propter malam partium conformationem, aut alia quacunque de cauſa, ſine effectu datum eſſet hoc medicamentum, ſanguis per alias vias propulſus fuerit: unde clariſſime conſtat, quanta vi ſanguinem propellendi polleat iſta medicina.

SECTIO II.

Immodicus menſium fluxus.

Sed & non raro nimis magna copia fluunt men-

menſes. Ubi hoc accidit, cohibendum eſt profluvium. Id autem, miſſo primum ſanguine, efficiunt, cum ea, quae ſanguinem cogunt & inſpiſſant; tum, quae fervorem ejus minuunt. Ex illis praecipua ſunt, quae *vitriolum* aut *alumen* participant; in primis *tinctura roſarum*; aut *pulvis* ex *aluminis rupei* portionibus tribus, & *ſanguinis draconis* parte una, ſimul liquatis, confectus. Calorem vero ſanguinis; & fluxum hinc provenientem, quibuscunque aliis remediis potentius lenit *cortex Peruvianus*.

SECTIO III.

Fluores albi mulierum.

Foedus morbus eſt tetra iſta colluvies, quae colore albo ex foeminarum naturalibus interdum profluit. Hunc autem humorem modo profundunt canales uterini; modo ex glandulis, quibus conſita vagina eſt, erumpit. In illo caſu, fluentibus menſibus, ſupprimitur profluvium; in hoc, etiam cum in menſtruis eſt mulier, perſtat adhuc, & vel uterum gerentem excruciat.

In utraque mali ſpecie corporis habitus praecipue habenda eſt ratio; ab illius enim vitio tam hic, quam iſte morbus originem trahit;

hit; ubi autem in ipsa vagina sedem fixit externa etiam opus sunt.

VOMITUM igitur plerumque primo ciere oportet, *vino* praesertim *ipecacoanhae.* Purgantia brevibus intervallis data conveniunt, in primis *rhabarbarum:* quod vel per se, adjectis quibusdam aromaticis, additoque interdum, ubi res postulat, *mercurii sexies sublimati* aliquanto; vel, quod nomine *tincturae rhabarbari vinosae* prostat, frequenter assumi poterit. Quinetiam laxiores corporis fibrillae adstringentia desiderant, ea in primis, quibus *ferrum* inest.

QUOD ad externa autem, quae in vaginae vitio necessaria fore dixi, ea minime adhibere oportet, quae nimia vi peccantem humorem reprimunt ac repellunt; illa tantum sunt ex usu, quae membranae hujus ulcuscula detergent simul & sanant. Ipse eventu saepe felicissimo foeminam laborantem, aut *aquam aluminosam Bateanam*, aut *aquam vitriolicam camphoratam* (adjecto alterutri *mellis Aegyptiaci* aliquantulo) per syringem hujusmodi usibus aptam, parva quantitate, at repetitis vicibus, infundere jussi. Neque nihil ad sanationem confert vaginam subinde suffumigare; superinjecto nimirum prunis pulvere ex *thure*, *mastiche*, *succino*, & *cinnabari antimonii* ita commistis, ut singulorum aequalis sit portio.

SE-

SECTIO IV.

De morbo hysterico.

NULLUS morbus aeque foeminas vexat, atque *affectio hysterica.* Haec puellarum, nuptarum, viduarumque communis est; & si non magnum periculum, terrorem tamen non levem saepissime affert; interdum etiam ita exanimat, ut tanquam comitialis morbus prosternat.

UBI incidit in eam mulier, si satis virium est, sanguis missus adjuvat; si parum est, cucurbitulae tamen defigendae sunt inguinibus aut coxis. Sin autem diutius jacet, extinctum ex lucerna linamentum, aut aliud quiddam foetidi odoris, naribus admovere oportet, quo excitetur. Aquae frigidae perfusio idem efficit. Inter haec coxas & poplites perfricare convenit.

DEINDE, ubi ad se rediit aegra, ne casus idem revertatur, providendum est. Menstrua, si solito minus fluxerint, proritanda sunt. *Gummi graveolentia* multum prosunt, item parata ex *ferro* medicamenta. Corporis etiam exercitationes conveniunt. At facienda plerumque est animi commotionibus medicina.

SAPIENTISSIME denique Hippocrates pro Medico Maritum esse voluit. Ille enim, postquam *castoreum*, aliaque plurima juvantia, pro-

posuerat; *Optimum esse, ut mulier in utero gestet, & virgo cum viro simul habitet*, decernit (*a*).

SECTIO V.

De partu difficili.

HUMANITAS nos admonet, ut mulieribus difficulter parientibus, si quid auxilii praeter manus operam praestari possit, succurratur. Quanquam enim humani generis propagationi ita consuluerit provida Natura, ut, licet magno cum dolore, sine multo certe periculo ex utero exeat foetus; fit tamen interdum, ut gravi cum labore in lucem protrahatur infans. Id multas ob causas evenit, quibus obviam ire norunt obstetrices. At unico in casu quid faciendum sit, saepe nesciunt; is est, cum irritis conatibus, colicorum torminum aemulis, diu parturit foemina. Hoc ubi fit, *opii* granum unum aut alterum assumere convenit; cujus ope dolores isti, qui partum impediunt magis quam promovent, conquiescunt, & sublevata rem suam strenue agit Natura. Est etiam illud hic alicujus momenti, quod medicamenti anodyni vis, ut alias omnes partes constrictas, ita etiam uterinas laxat aperitque.

(*a*) Ἄριστον δὲ ἐν γαστρὶ ἔχειν τὴν δὲ παρθένον πείθειν ξυνοικέειν ἀνδρί. *De morbis mulierum*, *Lib.* II. *sect.* 19.



CAPUT XIX.

De morbis venereis.

LUES venerea, magnum illud ſcortatorum flagellum, opprobrium foret Medicorum, ni feliciter illi remedium inventum fuiſſet *argentum vivum.*

MORBI naturam, hiſtoriam, & progreſſus ita diſerte expoſuit doctiſſimus Aſtruccius (*a*), ut nihil amplius ad ejus cognitionen requiri poſſit. Modum autem, quo vires ſuas in corpore exerit ponderoſus hic liquor, ipſe olim ſatis, ut opinor, adjunctis etiam cautionibus aliquot neceſſariis, dilucide explicui (*b*). Illud igitur ſolum reſtat, ut ſuper incommodo uno & altero, quae morbo huic, partim ex ipſius natura, partim ex mala curatione ſuperveniunt, monita quaedam ſuggeram.

ET primo quidem infeſtus caſus eſt jugis iſta, quae gonorrhoeam interdum excipit, humoris muccoſi deſtillatio, Pertinax id profluvium tam ex veſiculis ſeminalibus, quam ex glandulis, *proſtatis* dictis, provenit, corroſis vi morbi canaliculorum oribus; illosque maxime fatigat, qui ad expellendum virus conceptum for-

(*a*) *De morbis venereis. Lutetiae Pariſiorum*, MDCCXL.
(*b*) *Eſſays on poiſons*, MDCCXLVII. *Eſſay* IV.

fortioribus catharticis nimis diu corporis debilitarunt.

Balsamicis partes laxatas confirmare nituntur Medici, at fruſtra plerumque ſunt. Mihi multis jam annis in uſu fuit hujuſmodi tinctura: *Rhabarbari* drachmae tres, *gummi guaïaci* ſesquidrachma, *laccae* drachma una, *cantharidum contuſarum* drachmae duae, *coccinellae* ſemidrachma, in ſpiritus vini rectificati ſesquilibra infunduntur, & fit colatura. Hanc efficaciſſimam eſſe ſemper expertus ſum, & Medicis Chirurgisque quamplurimis commendavi. Guttae autem triginta, ad quinquaginta usque (quantum ſcilicet ſine urinae difficultatis metu ferri poterit) mane, & hora decubitus, ex aquae tepefactae hauſtulo aſſumuntur.

Non raro autem, morbo per longum ſalivae fluxum depulſo, febris hectica corpus debilitatum occupat. Ubi id accidit, decoctum ex *lignis guaïaci* & *ſaſſafras*, *radicibus*que *Chinae* & *ſarſaparillae*, adjuncto *glycyrrhizae*, *ſeminum*que *coriandri* aliquantulo, copioſe bibendum eſt, lacte commiſto. In decocti autem hujus uſu, usquequo refectae fuerint vires, perſiſtere oportet.

Denique non alienum erit monuiſſe, tempus proritandae ſalivae, quo noxii humores expellantur, maxime opportunum id eſſe, cum aut puſtulae per corpus, aut ulcuſcula in ore praeſertim & faucibus, jam aliquandiu proruperint; neque tamen oſſa, quibus proxime inſtat caries, corrumpi coeperint. Metus enim

eſt,

eſt, ne lamellae, oſſeae, putredini jam obnoxiae, ponderoſa globulorum metallicorum vi diffringantur. Idcirco uſu medicamenti parciori hanc curam longius protrahere, quam feſtinare, ſatius eſt.





CAPUT XX.

De morbis, qui aliis superveniunt, aut in alios mutantur.

PLURIMUM confert cum ad medendi rationem, tum ad Medici honorem, quinam morbi aliis ultro superveniant, aut in alios mutentur, cognoscere. Horum igitur praecipuos quosdam breviter commemorabo.

DISPUTANT autem inter se auctores, quarumnam causarum vi istiusmodi mutationes eveniant. Eae autem causae pro morborum natura sunt diversae. Nonnunquam enim partium affectarum consortio, & quadam cognatione cum aliis, ex laesa in sanam illabitur malum. Saepius partium vicinia damnum latius trahit. Saepissime vero ipse morbus est ejus conditionis, ut vel per modum solutionis, vel corporis corruptionem, in alium desinat. Exempla nonnulla ex multis, quae in promptu sunt, producam.

CAPITIS & ventriculi consensus facit, ut hoc pituita gravato, illud vertigine laboret; & contra, ut, repleto aut laeso cerebro, ventriculus aegritudine corripiatur. Pari cognatione jecinoris & intestinorum fit, ut, colicis doloribus haec torquentibus, icterus in il-

lo

lo mox oriatur; cum ex adverſo icterus interdum bilem flavam in alvum effundit, & tormina excitat. Uteri quoque cum multis partibus eſt conſortium, adeo ut Hippocrates *hunc eſſe omnium in mulieribus morborum cauſam* (*a*) dixerit. Hae autem partes praeſertim ſunt caput, pulmo, & ſtomachus; συμπαθείας vero inſtrumenta ſunt ſpiritus animales, qui animi maxime affectionibus commoti, vel a vulva male affecta corpus afficiunt, vel noxas corporis cum illa communicant.

PARTIUM autem vicinia, quam alteram cauſam morborum ſucceſſionis propoſui, in inflammationibus praecipue locum habet, humore in partem adjacentem tranſlato. Ita pleuritis in peripneumoniam tranſit; difficultati urinae, quam στραγγουρίαν Graeci vocant, ileus ſupervenit; renum malae affectiones lumbos in conjunctionem trahunt, lumborumque dolores cum renibus communicantur.

MORBORUM denique, qui aliis ſuperveniunt, aut in alios mutantur, tertiam cauſam naturae ipſorum tribui; quae, cum ſit multiplex, multis etiam modis effectum ſortitur. Arthritis interdum in dolorem colicum tranſit, dolorque colicus in arthritidem. Varices doloribus articulorum ſupervenientes liberationem morbi promittunt. Apoplexiae ſuccedit paralyſis; & nervorum, nunc in toto corpore, nunc in aliqua tantum parte, reſolutio morbum

(*a*) *De morbis mulierum, Lib.* II.

bum solvit. Sin autem a membris jam resolutis ad caput revertatur malum, mors plerumque pro Medico est. Difficultas spirandi, quae diu molesta fuit, hydropem in pectore pariter ac abdomine progignit. Hydrops inter cutem ne in ascitem desinat, magnopere timendum est. Melancholiae etiam, quae longo tempore duravit, non raro supervenit morbus comitialis, salutisque spem omnem adimit.

Multa, quae huc faciunt, collegit Hippocrates, & ex illis divinam artem bonum aut malum eventum praesagiendi sapienter monstravit. Ut finem igitur faciam, non ab re erit monere, etsi causae, quas dixi, singulae virtutem suam haud raro exerant; ut multae tamen simul, junctis viribus, morborum cum successiones tum mutationes efficiant, plerumque evenire.



CON

CONCLUSIO.

De vitae regimine.

A PROPOSITO, ut opinor, nequaquam alienum erit, si illis, quae aegris facienda proposui, nonnulla etiam, quae sanis per omnes aetates conveniunt, conclusionis loco breviter adjungam. Etsi hunc sane laborem sapientissimi Celsi praecepta supervacuum fere reddidisse videantur (*a*): quae, discriminis, quod caelum diversum, diversaque hodie ac olim vitae consuetudo facit, habita ratione, quisquis servaverit; is profecto, ut verbis ipsius utar, *in secunda valetudine adversae praesidia non consumet.*

ITA enim comparatum est corpus nostrum, ut mutationes aliquas & aberrationes sine magna injuria facile ferre possit; quod ni ita esset, detrimentum perpetuo fere levibus de causis fabrica nostra caperet. Id commodum praestant mirae istae interiorum partium communicationes, quibus uni male affectae altera confestim opem fert. Ita repleto ultra modum corpore, per has aut illas vias sponte Naturae, fiunt interdum exinanitiones. Et ob hanc causam morbi ab inanitione, quam a repletione, orti periculosiores esse solent; quoniam

(*a*) *Lib.* I. *cap.* I, 2, & 3.

niam demere, quam addere, materiam expeditius possumus. Idcirco etiam, quamvis temperantia omnibus sit utilis; Medici tamen antiqui auctores fuerunt, ut qui bene valeret, & suae spontis esset, genio nonnunquam indulgens tam cibum, quam potum, solito abundantius assumeret. Tutior autem est in potione, quam in esca, intemperantia. Caeterum qui expletus est, facilius concoquet, si, quidquid assumpsit, potione aquae frigidae includat; cui etiam, praesertim si condimenta cum cibis devorata fuerint, *succum limoniorum*, vel *elixir vitrioli Mynsichti*, adjungere proderit. Tum paulisper invigilet, deinde dormiat. Si quibus vero de causis futura est inedia, labor omnis vitari debet. Neque ex satietate fames, neque ex fame satietas idonea est. At neque ex nimio labore subitum otium, neque ex otio nimio labor subitus, sine gravi erit noxa. Sensim igitur quaecunque mutationes faciendae sunt.

VARIUM etiam habere oportet vitae genus; modo ruri esse, modo in urbe, navigare, venari, quiescere interdum, sed frequentius se exercere; siquidem ignavia corpus hebetat, labor firmat. At modus in his omnibus servandus est, neque multum fatigari convenit: frangit enim vires, & corpus solvit, crebra & vehemens exercitatio; moderata vero semper cibum antecedere debet. Ex omnibus autem exercitationis generibus commodissima est equitatio; aut, si imbecillitas id non

sinit,

ſinit, vectio in curru, vel ſaltem in lectica: deinde arma, pila, curſus, ambulatio. Verum id incommodi fert ſenectus, ut corpori exercendo vires vix ſufficiant, cum tamen ſanitas id maxime requirit. Frictiones igitur in hac aetate ſuis manibus, ſi id fieri poteſt; ſin minus, opera ſervorum neceſſariae ſunt; quae verriculis ex ſetis confectis optime peragantur.

DULCE curarum levamen, & virium reſtitutio, ſomnus eſt; qui, quod in vigilia laboribus diſperditur, quiete reparat reficitque. At neque is immodicus juvat; ſenſus enim hebetat, & vitae officiis minus idoneos reddit. Tempus autem ſomno opportunum nox eſt, in qua tenebrae & ſilentia illum invitant & conciliant; diurnus minus recreat. Quod ſi plebem ſervare convenit; multo magis viros literarum ſtudioſos tenere oportet, quorum mens, aeque ac corpus, injuriis plus patet.

PUERIS alimentum mollius & lenius, juvenibus valentius congruit. Senes de cibo demere, & potioni addere debent. Aliquid tamen conſuetudini dandum eſt, in frigidioribus praeſertim regionibus, qualis eſt noſtra; nam in his ut acrior ciborum appetentia, ita facilior eſt concoctio.

CONCUBITUM, cum jam aetas & robur ſtimulant, neque nimis concupiſcendum, neque nimis pertimeſcendum eſſe, conſentiunt Medici. Senem ſua monet frigiditas, ne pro voluptate ingratum laborem trahat, & fata ſua

abrumpat. Turpiſſimum autem eſt, & maxime noxium, vi imaginandi quemquam ſe ad venerem ficta perſona incendere. Illud denique omnes ſemper cogitare oportet, quod tum hanc, tum alias quascunque,

Voluptates commendat rarior uſus.

Ipse denique, re bene perpenſa, ſaepenumero Mecum ad hunc modum reputare ſoleo. Utcunque voluptates, opes, potentia, caeteraque, quae fortunae dicuntur bona, nimis inaequaliter hominibus diſtributa eſſe videantur; ſi tamen in univerſis rem ſpectemus, illorum, quae felicitatem faciunt, major deprehendetur aequalitas, quam vulgo exiſtimatur. Communibus vitae utilitatibus commodius ut plurimum fruuntur humilis ordinis homines, quam illuſtres, & qui primum locum obtinent. Victum ſalubrem ſuppeditat labor modicus, qui & cibi appetentiam & concoctionem juvat; hinc jucundus ſomnus feſſa membrana recreat, neque curae edaces abrumpunt; laeta proles domum replet, ſuccreſcentibus paterno labori robuſtis filiis. Quantum autem hiſce cedunt cum aerumnis conjunctae plerorumque opulentorum inanes delicias! Indiget illorum ſtomachus, ut veſci poſſint, ciborum condimentis, quae ſanguinem calefaciunt & corrumpunt, corpusque morbis opportunum reddunt; diurna crapula nocturnam quietem interturbat; in poenam vitiorum nati, grande familiarum decus & co-

lu-

lumen, culpa parentum morbos in utero materno contrahunt, quibuscum per totam vitam conflictati vix ad languidam senectutem perducuntur; anxietatibus quoque de honoribus & splendidis titulis consequendis saepe discruciantur, ita ut oblectationem, quam ex praesentibus bonis percipere possent, vana spe plura adipiscendi non raro amittant. Horum igitur

Quis non optaret pauperrimus esse bonorum?

Quin & omnibus hisce incommodis illud accedit, quod lautitiis onustum corpus animum quoque praegravat, & ad libidines incendit; cum ex adverso tenuis humiliorum victus neque corporis vires opprimat, neque vitiis alimenta suppeditet. Quare, nisi opes comitetur prudentia,

Vivitur exiguo melius.

Neque injusta noverca, sed omnino utilitatum provida & benefica mater, censenda est Natura.

In summa igitur, sapientis est in omni vita

Servare modum, finemque tenere, Naturamque sequi (*a*).

Quisquis autem de natura humana recte judicium

(*a*) *Lucan. Lib.* II. *vs.* 381.

cium tulerit, eam ita conſtitutam eſſe inveniet; ut, quemadmodum alii aliis ratione & ingenio longe praeſtamus, & tamen omnibus, quod dolendum, pravum quidpiam eſt ingenitum; ſic & corpora ſaniſſima vitio aliquo inſigni raro non laborent: quod ut futuri interitus ſeminium nos brevis aevi memores faciat, monſtretque appoſite ad hanc rem olim dixiſſe Lucretium,

Vitaque mancupio nulli datur, omnibus uſu (*a*);

neque ἀπροσδίνυτον fuiſſe effatum illud Hippocratis, Ὅλος ἄνθρωπος ἐκ γενετῆς νȣσός ἐςι (*b*).

(*a*) *Lib.* III. *vſ.* 984.
(*b*) *Epiſt. ad Damaget.*


F I N I S.




NOTATIONES
ET
OBSERVATIONES
IN
RICHARDI MEAD
MONITA ET PRAECEPTA
MEDICA,

AUCTORE
CLIFTON WINTRINGHAM,
M. D. C. M. L. & R. S. Socio, Equite Aurato, & Medico Regio, olim & valetudinarii provisi in usum Britannorum apud exteras gentes bella gerentium medico & praefecto.

FAS SIT MIHI VISA REFERRE.
OVID. EPIST.



PARISIIS,
APUD G. CAVELIER,
CIↃ IↃ CCLXXIII.



PRAEFATIO.

Monita haecce, variis obſervationibus ac animadverſionibus ulterius illuſtrare, & confirmare, & inde certiora ac utiliora reddere, eſt hujus operis ſolus atque unicus ſcopus; eſt totum id, quod multorum dierum labore conatur Editor.

Paginam enim noſtram non implent vanae aut fictae morborum ſpecies, non aegrorum ſomnia, ſed ſymptomata, quae ipſe miſerrima vidi; eaque, non quaſi agmine facto, in infinitum conglomerata ſed pauca & ſimpliciſſima, ad lectum pro maxima parte delineata, perſpicuo, quantum poſſum, ſermone trado.

Aegris enim aut mederi, aut certè opem, quam medicina poterit, afferre, hoc erat in votis, hoc ſtudium, hoc opus mihi ſemper impoſui: quod adeo verum eſt, ut, ſi ex plurimis hiſce obſervationibus una ſaltem aut altera occurrat, ſeu ex priſco aut ore alieno emiſſa, modò hic magis clara & diſtincta, aut praxi magis accommodata reddita ſit; ſeu ex ore proprio edita, & alio indicta, modò ad humani corporis morbos & dolores prorſus tollendos pacandosve plane conferat, voto potitus ſum, laetusque ſorte mea ſupremum obibo diem; dummodo ſint mihi ultima verba, quae has aures perſonent: vale, militae nec piger, nec inutilis urbi vixiſti civis.

De morborum ac medicamentorum natura, viribusque, permulta tradiderunt veteres; ea vero, non tantum ſibi invicem, verae corporis humani

fabricae, & ſtatis naturae legibus incongrua, ſed abſurda & ridicula; donec immortalis Harveius, Angliae inſigne ornamentum, ſanguinis circuitum fida demonſtratione patefaciens, hujusmodi nebulas, lucis ſuae ſplendore, diſſipavit; & plus certi, uno die, medicinae Theoreticae adduxit, quam ab omni aevo prodiderant fallaces veterum Hypotheſes.

Neque revera in rebus philoſophicis plus proficiendum eſt, dum nobis feracis ingenii ſubtilitates, pro rebus ipſis incauti obtrudere conantur tum medici, tum philoſophi: at non eſt hujus loci, non mihi eſt in animo, alios debita laude fraudare, multo minus docta & laborioſa medicorum opera perſtringere; propterea quod de his omnibus, ſemper mihi, ea, quâ par eſt reverentiâ, habita fuit, & habebitur ſententia illa generoſa, ac honeſta, quae docet, nil de mortuis dicendum debere, niſi bonum.

Interea nullus dubito, quin medendi praecepta, quae his literis tradita dedi, peritiſſimis hujus aevi, & praeſertim hujus urbis, ejusque praxi verſatiſſimis, ad amuſſim cognita & apprime familiaria ſint. Hiſce autem quampluriinis, ad implendum veſtigium illud ipſum, in quo celebris noſter auctor poſtremum inſtitit, aut deeſt otium, aut animus; quibus, ſi mecum fruerentur, auctiorem de juvantibus & nocentibus, in morbis curandis, ſcientiam tot tantisque laboribus partam, tyronibus ſeu praeſentibus, ſeu poſteris impertire poſſent: en igitur, lector benevole, addenda quaedam tyrocinia, non ad hypotheſin quandam ſubtilem ſtabiliendam excogitata, ſed ad praxin medicam planius ac certius dirigendam ſolummodo ſpectantia! En obſervationes quasdam hactenus praetermiſſas, nec, ut mihi videtur, attentione indignas, nec uſu carentes.

Hoc igitur propoſito bene locato munitus, in ſpem confidentius adducor, ut unusquisque lector in-

ingenuus, clementis patroni indulgentiam aemulari nitatur, potius quam inquiſitoris ſaevi aut ſeveri munere fungi, qui ſingula quaeque verba oculis Lyncaeis rimare & culpare promptiſſimus moliatur.

Multa praecepta, multa equidem monita, ac quaſi noſtra in opere praeſenti edita, apud morborum hiſtorias a clariſſimis medicis vulgatas inveniri pro certo habeo; attamen me his locum conceſſisſe, non quia a veteribus ita edita aut laudata, ſed quia praxi propria ſtabilita ſunt, nullo theoriae cujuslibet reſpectu habito, religioſe pro teſtimonio dicere queam.

Mihi enim hoc erat in more inſtituto poſitum, in omni genere & varietate morborum, quorum curam ſuſceperam, accuratas eorundem, quantum potui, hiſtorias imprimis conquirere, ac literis tradere, ſymptomata omnia, ut ut per totum cujusque morbi curſum inter ſe varia atque diverſa perpendere, comparare, & in ordinem redigere, & ex his talia ſeligere, qualia, vel ad certiorem ejus notitiam, vel ad tutiorem therapeuticen, immediate ſpectare, & conferre mihi monſtravit ac ſtabilivit experientia, non decies, ſed plusquam centies, & etiam centies, repetita.

Fateor equidem, haec ipſa mihi fuiſſe voluptati, ſi quandoque, quod non perrarum erat, mihi inter legendum animadvertere contigerit, ut obſervationes quas de die in diem, de ſingulis morborum ſpeciebus feceram, quas, de rebus circumſtantibus numeroſis, atque inter ſe diſſimilibus, ſigillatim ceperam, auctorum tam veterum, quam recentium ſcriptis, adeo conformes, adeo comprobatae, ac quaſi, ex eodem penu; depromptae viderentur, ut hujusmodi notas in Aphoriſmorum locum, tanquam demonſtratione ulteriori haud egentium, tuto admittendas eſſe, vix, ac ne vix mihi quidem dubium eſſe poſſet.

Objiciet hinc aliquis deriſor forſan, nihil ideo-

que in paginis fequentibus dictum effe, quod non dictum prius: ne fruftretur ipfe fe, me facti reum tantum non habet; at lectorem ingenuum aequumque quiddam novum ac non inutile reperire posfe, mihi ipfe equidem confido.

Veritates interim, easque infignes, maximique momenti, nobis tradidiffe auctores medicos, haud nego; verum enimvero non minus conftat, eorum fcripta, paucis faltem exceptis, tanta farragine hypothetica, tantis fabellis anilibus, tantis cautionibus tam perplexis quam incongruis, fcatere; ut ipfa praecepta, quae ad cognofcendos ac curandos morbos multum & vere conferant, delitefcentia & quafi obruta reddita fint: imo ita certè confunduntur vera falfis, ut parvae auri atque argenti portioni fub vaftis urbis conflagratae cineribus fepultae, & inter fe commiftae, jure comparari poffint: optata inde metalla, ut ut pretiofa eruere, aut vix, aut nullo modo operae pretium effet; quid enim fpei reftet, nifi multum fudare, & fruftra forfan fummo cum periculo fervilem & affiduum impendere laborem?

Si naturae leges afperae velint poftulentque, ut fint mille morborum fpecies; tentanda quoque via, ut artis medicae profeffores mille falutis modos inveftigent, praebeantque; denique, ut omnibus medendi armis inftructi, humano generi tantis in periculis verfato, opemque undique imploranti, fe reddere valeant praefidia fida, atque folamina gratisfima.

Refpice idcirco diligenter, quid velit ac poffit microcosmi concordia difcors: quid moneant aut mandent variae ejus facultates & functiones laefae: & his cognitis, folvens illud univerfale, Alcaheston dictum nec quaeres, nec defiderabis, aut fi panaceorum adeo appetens, ut ea adhuc inveftigare, & tentare hoc tibi fit opus, atque hic labor; nomen merebis, quod dicere nolo.

NO-



NOTATIONES ET OBSERVATIONES IN MONITA ET PRAECEPTA MEDICA RICHARDI MEAD.

CAPUT I.
De Febribus.

SECTIO I.
De Febribus generatim.



Pag. 10. l. 4. *Actionesque vitales laedit.*] In omni morbo five acuto, five chronico, de viribus vitalibus aliquid veri judicii facere, maximi est momenti. Si respiratio parva, cita, anhela, suspiriosa, inaequalis, si diffi-

difficilis, erecta, laboriosa, frigidave sit, si cum dolore, gravitate, tusse, sibilo, stertore, aut spuma fiat; si pulsus parvus, debilis, frequens, si durus, si inaequalis, intermittens, formicans, tremulusve sit, si singultus cum nisu pectoris magno, si syncope, tremor, aut palpitatio cordis adsint, de viribus vitalibus laesis plane constat, eaque fere ratione, qua symptomata modo recensita quoad gradum, numerum, varietatem, congressum & copulationem, modo plura modo pauciora, cuivis aegro contingere videantur, utique & contra, si contraria his, se palam faciant:

SECTIO II.

De febris solutionibus.

Pag. 11. l. 1. *Sine insigni aliqua exinanitione.*] Observatu dignum est, celebres medecinae scriptores, plurima febris solutionis tradidisse signa, qualia sunt sudor, febris declinatio, urinae coctio & subsidentia, aliaque similia; ex iis nemo verò, quantum scio, certa signa dedit, quorum ope naturam, extemplò prae caeteris omnibus febris temporibus, ejus solutionem moliri dignoscamus.

Hoc autem praescire longe maximi est momenti, ne vel fiant exinanitiones solutionem impedientes, vel ingerantur cibi, aut medicamen-

menta, quibus natura tunc temporis materiam aliquam extrudere contendens, novo onere opprimatur.

Si itaque quovis febris tempore, sine causa evidenti, respirationem fieri majorem, pulsumque velociorem & plerumque pleniorem & fortiorem, nec non & sensum cujuspiam tensi in hypochondriis unà cum adaucta corporis inquietudine repentè & inopinatò adesse pateat, naturam tunc temporis materiae alicujus expulsionem moliri pro certo habendum est, sive sit in particulari intermittentium paroxysmo, sive in febre remittente, aut continuà, & proinde paucis tantum horis elapsis, saepe citius multò, vel fiet sudoris aut sanguinis eruptio, vel alvi dejectio, urinae profluvium, aliudve simile, peractâque tali exinanitione pulsus haud raró fit brevì mollis & undosus; id autem procul dubio contigit, postquam tepidus toto manavit corpore sudor.

Pag. 11. l. 9. *Qualis humoris emissio.*] Qualis autem humoris emissio mox continget, hoc modo cognoscenda est, semper enim erit vel gravitas, dolor, aut pruritus cum calore eà in parte, ex quâ erupturus sit fluxus. Exempli gratiâ, si e naribus exiturus sit sanguis, praeter priora signa adest dolor gravis in fronte & temporibus, rubent & calent malae, pulsant tempora, & sanguine jam fluxuro naribus supervenit pruritus. Haec autem crisis raro fit, nisi vel obstructio vel inflammatio in ab-

 do-

dominis vel thoracis vasis, praecipue prioribus, oborta sit, vel plus aequo retenta fuerint menstrua, aut parcae nimis in initio institutae fuerint exinanitiones, praesertim missio sanguinis.

Si autem per vomitum materies expellenda sit, adsunt stomachi morsus, vertigo nausea, tremor labii inferioris cum salivâ multâ, tenui ex ore defluente.

Si per urinae vias, adsunt primo urinae crebra cupiditas, eaque ipsa cum sensu caloris in urethra excernitur; deinde largâ copiâ crassum redditur lotium. Haec autem crisis, ut & ea per vomitum raro perfecta est, sed potius horum ope gradu quodam levatur natura, laxantur vasa, & tum sudoribus absolvitur crisis.

Pari modo, si per alvum fluxura est excreta materies, adsunt tormina plus minusve pro gradu acrimoniae, ventris crepitus, à quibusdam scriptoribus Borborygmi dicti, cum desidendi conatu.

Si denique per cutis meatus effluxura est, adest inquietudo magna quae ex febrili causa nervos per totum corporis ambitum & superficiem, stimulante, gignitur cui, materià morbida ad idoneam exinanitionem in primis redditâ, & jam jam expulsurâ, accedit pruritus.

Haec morbi solutio, quae per sudorem efficitur, aliis plerumque perfectior est. Nam in caeteris jam praedictis, quamvis â sanguine, impetu aucto, quaquaversum prosiliente, pro varia aegrorum fabricá, & habitudine, ex glandulis

dulis maxime patentibus expulsa aut excreta sit materiae pars aliqua peccans, ita ut gradu quodam leventur symptomata, ut supra dixi, cum tamen hujusmodi excretiones plerumque nimis parcâ copiâ factae sint; his non obstantibus, adeo obstructa & clausa interea manent cutis spiramenta, ut morbi solutio evadat imperfecta, donec excitato demum, à naturâ, sudore largo spontaneo, laxantur omnia corporis vasa tam interna, quam externa, per sudoris fotum, unde crisis magis absoluta reddita sit.

Nec desunt observationes, quibus profectò sancitum est, hujusmodi morbos rarissimè sine sudore aliquo integre judicatos fuisse.

Praeterea etiam in iis supra recensitis, adductâ, ut notavi, excretionum ope, naturae levatione quâdam, crisis deinde semper fere largis sudoribus absolvitur, modo perfecta fuerit.

Pag. 11. l. 10. *Hanc ita promovere.*] Ad materiae morbidae expulsionem rite promovendam haecce sunt in primis observanda; scilicet, si quolibet febris tempore acciderit exinanitio per alvum, sudorem, &c. non statim cohibenda est, priusquam patebit, an aegroto ex usu fiet necne, & tum quum ejus ope melius se habeat aeger, aut leventur symptomata urgentia, sinenda est, praecipue, si copiâ idoneâ procedat, sin minori quam fas sit, adjuvanda. Si verò copiá tali fiat, aut tam diu cursum teneat, ut inde exhauriantur aegri vires, neque

levantur inde ſymptomata, quin potius inducantur alia, debilitatem nimiam oſtendentia, vel omnino ſiſtenda, vel inter limites debitos cohibenda eſt.

Si verò accedentibus ſignis criſeos, talia ſupervenerint ſymptomata, ut ab eorum vi metuendus ſit morbus periculoſus, priusquam fiet expurgatio critica, uti ſunt apoplexia, peripneumonia; pleuritis, dyſenteria, phrenitis, ſputum, vomitusve ſanguinis, aliave ſimilia, ſtatim mittendus eſt ſanguis pro ratione ſymptomatum, & ſi inde brevi non levetur aeger, ea facienda, quae poſtulent morbi inſtantis genus & conſtitutio, quippe tali caſu plus juſto viget febris, & proinde criſin non impediunt, quin potius eam ita accelerant hujusmodi exinanitiones; ut dein ea ipſa res, quam cùm in paroxysmis intermittentium, tum remittentium, aliarumque febrium inordinate exacerbatarum expetivi, plerumque contigit. Porro his ita ſe habentibus, ſi calor febrilis cute aridâ aut ſiccâ ſociatus, valde urgeat, ſtatim pro virium ratione mittendus eſt ſanguis, & quod in maximo eſt deſiderio, profectò paulò poſt erumpet ſudor criticus.

Pag. 11. l. 18. *Optabilem morbi solutionem efficiunt sudores.*] Sudor ſpontaneus per totum corpus diffuſus, & pulſu valido & aequali comitatus, bonum portendit, vel enim morbi finem vel paroxysmi particularis criſin plerumque denotat. Sudores autem ex parte diſtributi & pul-

pulsu debili conjuncti nil boni denunciant, sed semper suspicandi, fiunt enim vel a debilitate, vel putredine, aut utrisque simul. Sudores porro universales cum pulsu debili, inaequali, vel intermittente raro levamen afferunt, sed saepius mortem praesagiunt.

Pag. 11. l. 19. *Secundum illos alvi.*] Diarrhoea critica prae caeteris hujusmodi exinanitionibus, copiâ, & diuturnitate, justam medietatem excedere solet, eo quod ab acri materiâ per totam fere longitudinem irritantur intestina, & una cum faecibus excernitur etiam mucus intestinorum, unde plus justo protrahitur diarrhoea. In caeteris autem, postquam a glandulis excretio facta est, cessat plerumque stimulus. Alvinam itaque excretionem diu durantem semper suspectam habere debet medicus.

Pag. ead. l. ult. *Corpus in integrum restituunt.*] Hae tamen crises, quibus per abscessum, aut tumores varii generis, terminantur morbi febriles, semper aliquid incerti in se habent.

Fiunt praecipue iis vero aegrotis, quibus una cum febre adjuncta fuit partis singularis inflammatio, sicut in anginâ, ubi pone aures fiunt hujusmodi tumores. Haec tamen critica materies nunquam repellenda, sed plerumque suppuranda & more phlegmonis curanda est, modò ejusmodi sit generis, & dolorem excitet, aut ad apicem vel suppurationem tendat. Pari

prorſus ratione, ſi acrioris & tenuioris ſit naturae, & ad eryſipelatis ſpeciem pertineat; fotus emollientes & anodyni, cataplasmata & linimenta ſimilia cum leniſſimâ alvi purgatione adhibenda ſunt.

Et ob hanc cauſam non ab re erit monere, quod ſi pituitoſae aut hydropicae fuerit indolis, qualis foeminis, virginibus, leucophlegmatiâ, aut menſtruis inordinatis, vel ſuppreſſis, laborantibus, ſenibusque cachecticis, aſthmaticis, aut ad hydropem tendentibus, aliquando accidit, pro virium ratione inſtituenda eſt alvi purgatio, & ſimul corpori laxo, roborantibus atque calefacientibus quae vulgo cardiaca dicuntur, ſubveniendum eſt, & hoc nimirum aromaticis lenibus, & non raro chalybeis medicamentis optime fit.

SECTIO III.

De febribus continuis.

Pag. 13. l. 8. *Et primo quidem.*] Praetermiſſis hoc modo morbi curandi ſignis propriis & definitis, quibus ejus natura, conſtitutio & vires rite cognoſci queant, omnis ad ejus ſanationem feſtinatio praeceps videatur, & periculoſa; de his enim, tanquam de morte hominis arcenda vix fieri poteſt ulla nimis longa cunctatio. Pigeat equidem, ſit tamen lectori & mihi

mihi fas animadvertere, tantum virum in arte medica, tantamne rem tam negligenter egiſſe.

Prima enim mihi debet ſelecta morborum ſigna tradere, quisquis ille eſt, ſi modo eſt aliquis, qui medici nomen pretiumque meritò nanciſci ſperet, cupiatve.

Scientia haecce eſt quaſi artis medicae ζωὴ ϗ ψυχή. Alia tuta medendi principia non agnoſco, neque alia reperies, quanquam tibi omnia ſint arcana, quae olim poſſidere jactitarunt Paracelſus, ejusque ſectatores glorioſi, aut quae adhuc jactitent circulatores hodierni, de remediis ſpecialibus non minus impudenter clamitantes.

Febres autem continuae a talibus cauſis obortae, quales antea plus aut minus praeter conſuetudinem in corpore extiterunt, incipiunt oſcitatione & pandiculatione, frigore, horrore, & rigore; antecedentia haec ſymptomata, pede non claudo, plerumque ſequuntur nauſea, vomitus, dolor capitis, ſitis, calor pungens, & acutus, pulſus velox, nunc fortis, nunc naturali debilior, ſemper tamen velocior.

Hae febres gravi etiam dolore, & laſſitudine membrorum quaſi defatigatorum ſaepiſſime comitantur, & ſanè pro hujusmodi ſymptomatum ratione, praecipue rigoris, laſſitudinis, & doloris capitis & membrorum, plus minusve periculi ſecum afferre & ſaevire dicantur.

Pag. 13. l. 10. *Sanguinis detractio.*] Si in febris initio advocatus fuerit medicus, de quâ,

vel a conſtitutione epidemicâ, vel a ſymptomatum ſaevitia, quae proximè recenſui, eam ad febrem continuam vergere aequa adſit ſuſpicio; ſanguinis miſſione plerumque incipiendum eſt, etiamſi ex pulſus tenore vix indicari videatur; & praeſertim ubi viris & juvenibus aliquid tale contigerit, eo quod a vi febris ſtimulantis, ſenſim ingraveſcunt ſymptomata, ſine hac cautione vix poſtea cohibenda; deinde ſi urgeant vomitus vel nauſea, ventriculum leni emetico eluere oportet, niſi vexet dolor capitis; verum ubì ita ſit, alvum clyſtere laxare, omnium optime voto in primis conveniet, & ſi adhuc urgeant praedicta ſymptomata, poſt aliquas horas vomitus eliciendus eſt, & hoc finito dandum eſt medicamentum anodynum. Poſtero die, ſi nihilominus remaneat dolor capitis, adſitve febris magna cum calore acuto, ſanguinis miſſionem illico repetere ſane opus erit. Poſtea vero foliis ſenae, aut radice rhabarbari, chryſtallis tartari, tartaro ſolubili, manna, & ſimilibus, leniter ducenda eſt alvus, & veſperi repetendum eſt medicamentum anodynum.

Si ex horum uſu modice ſe tandem habeat febris, per dies quoſdam tentanda eſt curatio, more remittentis anomalae, cujus medendi rationem poſterius videbimus; donec appareat, an in legitimam convertatur, vel expectanda ſit criſis.

Si vero adhuc creſcant ſymptomata, praecipue dolor capitis, inquietudo cum pulſu forti, du-

durove, urinâ rubrâ ſedimenti experte, repetenda iterum eſt ſanguinis detractio; rarus autem tertia venarum inciſione locus eſt; niſi ſimul adfuerit partis cujusvis inflammatio, aut dolor pertinaciter acutus, & dein remediis, antiphlogiſticis dictis, ſcilicet, quae ſanguinis fervorem & impetum nimium minuere & reprimere valeant, pergendum eſt; donec ex mutatis ſymptomatibus, vel criſis adventu, aliam curationem poſtulabit morbus.

Si vero vel ex natura febris epidemicae, ab exinanitione nimis magna, vel mitiori diu protractâ, aliâve aliquâ de cauſâ ſupervenerint ſymptomata praedictis contraria; qualia ſunt pulſus frequens & debilis, urina tenuis absque ſedimento, ſudor glutinoſus, ſubfrigidus, ſpirituum languor, aegritudo, tremor, tendinum ſubſultus, aliaque ſimilia; in quocunque morbi tempore, inquam, haec acciderint, aut qualiſcunque fuit ratio medendi praegreſſa, febrem continuam mali moris adeſſe oſtendunt.

Idcirco ſtatim exhibenda ſunt ſtimulantia & calefacientia quaedam, cardiaca & alexipharmaca dicta remedia, ſimulque ſi res ita poſtulent, veſicatoria admovenda; quae omnia pro ratione debilitatis & ſymptomatum importune urgentium plus minusve in vota vocanda ſunt.

Reſtituto autem, hoc modo, febris vigore ſatis congruo, in eo perſiſtendum eſt, prout opus fuerit, donec vel criſi finita ſit febris, vel ſymptomata mutationem ſubeant, & dein pro horum varietate tractandus eſt morbus.

Fi-

Finitis his febribus continuis, lac aſininum per longum tempus aſſumendum eſt, ſemper enim debilitatem & acrimoniam notabilem poſt ſe relinquunt hujusmodi morbi.

Pag. 13. l. 15. *Sanguis pro ratione virium mittendus.*] In omnibus hiſce febribus, dolore magno aut inflammatione comitatis, purgationes modicae ſimul per alvum factae raro malum inducunt; modo debitâ copiâ liquidorum tenuium repleantur vaſa, niſi vel laborent inteſtina, vel tali copia fiant, ut inde nimis exſiccetur ſanguis.

Pag. ead. l. 18. *Si infirmiſſimae videantur.*] In febribus languidis exinanitiones largas male ferunt aegroti, praecipue eas, quae prae caeteris debilitant, quales ſunt largi ſanguinis & alvi fluxus.

SECTIO IV.

De febri cum exanthematibus conjuncta.

Febris miliaris.

Pag. 14. l. 18. *Accedunt non raro delirium.*] Hujusmodi febres non raro etiam vertigine incipiunt, hinc non temere creditur materiam aliquam pravam cerebrum & nervos afficientem ple-

plerumque adesse; quae, ut plurimum elapsis diebus aliquot, eruptione aliqua, exanthematum more se manifestat. In his itaque paulisper expectandum est, neque alia facienda, quam quae ad symptomata praesentia allevanda necessaria sint; donec qualis futurus sit morbus, certius pateat.

Pag. 16. l. 9. *Maxime autem per intestina.*] Non in his solum sed in omnibus fere febribus, si diu duret morbus, neque multum increscat, aut minuatur, nullis vel levibus apparentibus solutionis signis, alvum laxare convenit, & saepissime haud multo post febrem judicari expertus sum, sin autem praeter spem eveniat, paucis diebus iterum tentanda est modica alvi solutio, dato tum post hanc tum priorem vesperi medicamento anodyno.

Pag. ead. l. 11. *Commode laxabuntur.*] Hi enim aegri, optimo cum successu, idoneis medicamentis per alvum purgantur, hanc autem exinanitionem, post aliquos dies, pro virium ratione, repetere oportet, siquidem ex hoc medendi modo has febres protinus discussas, vel certis intermittentium terminis circumscriptas fuisse, non raro comperi.

Aliquando autem accidit, quod non obstantibus hujus generis remediis, diu manent hae febres exanthematibus conjunctae, neque crisi finiuntur, neque in remittentes vel intermittentes desinunt; hisce igitur aegris ex magno usu erit,

erit, lac afininum exhibere, interpofitis fimul remediis modice cardiacis & reficientibus.

Victus interea, pro vario gradu vigoris aut languoris, plus minusve inftaurans aut debilis effe debet, femper tamen humidus, levis, & ad concoquendum facillimus.

Pag. 16. l. 16. *Quae malignae dicuntur.*] In his & ejus generis febribus putridis dictis, ob fibrarum habitum laxatum, & nimis tardum fluidorum motum, excernitur fere quotidie per fudores pars quaedam materiae, quae, eâ tandem copiâ, licet fenfim, excreta eft, ut reftituto, gradu quodam, fibrarum vigore, reliquam fubjugat vis vitalis; ex quo non raró evenit, ut fine crifi aliqua notabili paulatim indies convalefcit aegrotus. Idcirco in hujusmodi febricitantibus pedetentim perficitur, quod robuftioribus, uno quafi impetu, abfolvitur.

Pag. ead. l. 19. *Aphthae palatum atque os totum occupant.*] Cognofcantur aphthae ulcufculis parvis, fauces, labia, & os internum obfidentibus, praecedente dolore cum pondere & anxietate ad ftomachi regionem, comitante fere femper febre languida aut intermittente.

Pag. ead. l. 22. *Si albidae.*] Aphthae paucae, folitariae, in labiis primo apparentes non a gulâ in os & fauces procedentes, pellucidae inftar margaritarum, cito decidentes, neque iterum recrudefcentes, boni funt moris, & fanitatem

nitatem promittunt. Illae vero, quae admodum candidae, & nequaquam ſplendidae, ſed opacae ſunt, & a gulâ lente aſcendunt, & porriguntur, donec oris interni partes omnes plus aut minus tegunt, mali ſunt moris, ſemper fere ſe renovant, & raro ſanantur tales aegri. Gangraenae enim indolem in ſe fovent, dantur quippe albae, aeque ac nigrae gangraenae.

Pag. 16. l. 25. *Nigrae exoriantur.*] Pari ratione aeſtimandae ſunt aphthae fuſcae, lividae, ſaniem putrem, tenuem, rubellam, tum vaſa exedentem, tum humores corrumpentem, effundentes. Hae enim gangraenam adeſſe, certò & mox lethalem futuram denunciant.

Pag. ead. l. 28. *Gargarizationes fieri debent.*] Si doleant admodum fauces, praeter gargariſmum in uſu apud auctorem fiat eclegma molle, oleoſum, vel potius mucoſum, aliudve ſimile.

Quamvis Hermannum Boerhaave pro meritis, in arte medica, ſatis laudare vix poſſibile eſt, medendi tamen ratio, quam in ſalutem & commodum aegrorum hoc morbo laborantium conſuluit, aliquam animadverſionem hoc loco deſiderare videtur. Suadet enim inclytus ille medicus, ut aegri aphthis vexati in balnea tepida ex emollientibus, & praecipue cum lactis vaccini tertiâ quartâve parte parata, demittantur, fotusque ſimiles abdomini applicentur.

Haec quidem morbis quibusdam chronicis com-

commode fieri poſſunt, vix tamen talia utenda ſunt remedia in febribus illius ſpeciei & moris, quibus, prae caeteris morbis, in hac regione aphthae ſe comitari oſtendunt.

Pag. 16. l. 31. *Neque enim reprimentia.*] Decidentibus autem cruſtis, ne iterum renaſcantur, tangantur partes cum melle roſarum ſpiritus vitrioli fortis, vel ſalis marini guttis perpaucis adjectis, vel hoc parum proficiente, cum ſequenti miſtura.

℞. Elix. Aloes mell. roſac. *ana* ℥ii. acet. deſtillati guttas triginta unguent. aegyptiac. ab granis quinque ad viginti. m.

SECTIO. VI.

Eryſipelas.

Pag. 20. l. 9. *Per modum criſis.*] Apparentibus ſponte exinanitionibus, an criticae futurae ſint, necne, plerumque dignoſcere difficile eſt, niſi per effectus, lucem tamen non levem afferunt, quae de inſtantis criſis ſignis, jam alio loco tradidi. (Vid. Not. ad Pag. 11. l. 1.) Hae enim excretiones plerumque cum impetu fiunt, maxime vero in robuſtis habitibus.

Pag. 20. l. 17. *Finem de febribus malignis.*] Mirum interea videatur febrium quarundam maligna-

lignarum & contagiosarum historiam & curationem tam brevi narratione expeditam fuisse; & haud dubito, quin permulti lectores mecum censebunt, auctorem sat bene meruisse poëtae sententiam. „ Brevis esse laboro, obscurus fio. "

Idcirco si Deus det vitam, si medicinae professores favens dent hujus operis judicium, in animo habeo auctoris nostri librum de variolis & morbillis edere, ubi adjunctis simul notis & observationibus, illuc deferam quicquid de hisce & de febribus malignis ex putrido fomite plerumque ortis monendum habeam, quicquid insuper instituti ratio tum simul postulare videatur animadvertendum, tàm de *veterum*, quàm *recentiorum* (*) scriptis, quatenus ea ad hujusmodi res pertineant, quae etiam nunc, uti & olim, cuivis medico, legere quid *miri* appetenti, *nova quamplurima* à quibuslibet undecunque arcessita, ad satietatem usque praebebunt.

SEC-

(*) E. G. Palmarius *de morbis contag.* Sorbait. *univers. medecin.* & *consil. medic.* Werlhoff *Disquis. medic. de Variol. &c.* Schreiber *de Pestilentia*, Plague *no contagious disease.* Lobb *on the Plague and contag. Distemp.* Perry *on the Small-pox.* Town and Hillary *on the diseases of Barbadoes and the West-Indies*, *&c.* Chirac Traité *des Fièvres malignes.* Pringle Observ. *on the Diseases of the Jail and Army*, &c.

SECTIO VII.

De Febribus singularibus.

Pleuritis.

Pag. 21. l. 22. *Pleuritis.*] Occupat hic morbus tum omnia thoracis interni velamina, tum praesertim musculos intercostales; quocirca dividitur a practicis in pleuritidem veram, & notham, videlicet prout interna velamina, vel hos musculos aggrediatur, distinctione non admodum utili, rarissime enim sola afficitur pleura, at longe frequentius musculi intercostales, quod a dolore, quoties aër spiritu ductus est, valde aucto, & cadaverum dissectione confirmatum habeo.

Nec minus in humidam & siccam facta est divisio. Illa ponit materiam pituitosam, sanguineam, vel purulentam per tussim rejectam, & proinde pulmonem simul affectum. Haec dolorem, vel sine tusse, vel tussim exscreatione liberam pro certo statuit. Dividitur etiam in lateris dolorem sibi proprium, Idiopathicum dictum, & Symptomaticum. Prior est illa hujus morbi species in cujus naturam jam inquirere lubet. Posterior ponit translationem materiae cujusdam acris, purulentae, aut ulcerosae in pleuram, aut partes vicinas.

Oblata autem hac occasione, sit mihi aequa pote-

poteſtas dicendi, gradum inflammationis & doloris praecipuam eſſe regulam, quâ, tam in hcc morbo, quam aliis omnibus inflammationibus, ſeria à frivolis, notatu digna ab indignis, dijudicanda & diſtinguenda ſunt. Ideoque miſſis diſtinctionibus inutilibus, de pleuritide vere inflammatâ, jam pauca monenda ſunt.

Haec juvenes & viros robuſti & ſanguinei corporis habitus prae caeteris aggreditur, & hoc maxime tempore verno, dum redeunt jam gramina campis, vel hyeme, dum rura claudit gelu, & proinde quidquid vel ſanguinem, ſeu in pleurae, ſeu membranarum quarundam coſtis contiguarum, ſeu muſculorum intercoſtalium vaſa arterioſa, modò ſingulis, modò pluribus, ex praemiſſis reſpondentia, majori impetu, aut copia, quam par eſt, impellit, vel haec vaſa nimis coarctat, in cauſa eſſe poteſt, cur aegroti hoc morbo torqueantur, vel recidivum patiantur, quae cauſae, cum innumerae fere ſint, hoc loco recitare non convenit.

Incipit autem hic morbus, plerumque à frigore & rigore, & cognoſcitur adeſſe quando aeger laborat lateris dolore acuto, pungente, lancinante, ſpiritus hauriendi, potius quam reddendi vel retinendi difficultate, conjuncto, nec non & febre acuta, & cutis ſiccitate, pulſu duro, ſociatis. Adeſt etiam plerumque tuſſis dolorem ſummè augens, unde tuſſem ſuffocare conantur aegroti.

Durities autem pulſus in hoc, ut in aliis omnibus morbis, acri dolore comitatis, non

tantum ex ictus vigore, ſed etiam, idque quam maxime, ex aſtricto ipſius arteriae, & ſi ita dicam, chordae tenuis tenſae ſimillimo ſtatu, dignoſcenda eſt.

Pulſus enim non ſemper magnus & validus eſt cum durus, ſed ſaepe parvus, ob reſpirationem non ſatis liberam; ſanguinem tamen nihilominus mittere opportet, ut reſpiratio liberior fiat, quo facto, brevi ſaepe fortius vibrat arteria.

Quamdiu enim in hoc morbo pulſus magnus & durus adſit, licet dolor urgeat, ſpes jubet eſſe bonas, cum verò mollis fiat, nec multum caleat, nec melius ſe habeat aeger, metus maximi periculi portenditur, eo quod plus plusque impeditum ad iter faciendum per pulmonem redditum eſſe ſanguinem liquet.

Pag. 21. l. 23. *Quantum opus eſt ſanguine.*] Nihil aeque clare vel miſſionis ſanguinis neceſſitatem, vel quantitatem detrahendam demonſtrat, ac ipſe dolor reſpiratione difficili ſociatus, ubi enim vel ambo conjungantur, vel alteruter multum laboret, detractio ſanguinis certo requiritur, imo, ut verbo quaſi dicam, vix a ſcopo optato aberrabit medicus, ſi ſanguinem ad prima ſigna defectûs animi fluere curaverit.

Praemiſſis autem venarum in brachiis inciſionibus repetitis, ſaepe mihi contigit obſervare, pleurae dolores ſanguinis detractione ex Saphaenâ magis leniri, quam eâdem operatione in bra-

brachio inſtitutâ; quocirca fortiorem à parte dolente derivationem, à quibusdam revulſionem dictam, inde ſuſpicatus ſum, cujus haec ratio eſſe videtur forſan non improbabilis, nimirum quod arteriae intercoſtales ab Aorta aſcendente oriuntur.

Raro autem quantitate huic morbo debellando ſufficienti à pede detrahendus eſt ſanguis, & proinde convenit primo, vel vena mediana, baſilica aut cephalica inciſis, ejus copiam generatim minuere, & dein derivationis ſeu revulſionis gratia, ſanguinem ex ſaphaena ſigillatim detrahere.

Pag. 22. l. 2. *Ad ſanguinem in canaliculis ſuis hærentem ſolvendum.*] Fruſtra in morbi initio exſcreationem inducere conemur, etiamſi ſimul afficeretur pulmo, & multo magis in vera pleuritide, cui vix unquam quovis morbi ſtatu, datur talis expuendi aut expurgandi locus.

Pag. ead. l. 5. *Emplaſtrum veſicatorium lateri.*] Longa autem me docuit experientia, alias quaſcunque exinanitiones, vel arte, vel naturâ factas, ſpes meas perpetuo fefelliſſe, niſi ſanguinis miſſio larga, & pro gradu mali repetenda, prius inſtituta fuiſſet.

Profecto igitur flocci facienda ſunt, quae de reſolutione, beneficio naturae, de ſudoribus provocandis, aut ſalibus, oleisve glutinoſam craſſitudinem humorum ſolventibus, exſcreationem promoventibus, aliisve ejusmodi

nugis olim jactitaverint aut hodie adhuc jactitent pharmacopolae ignari, medicique timidi & inexperti, aut denique *Plani*, improbiſſimi pharmacorum ſpecialium venditores, quaeſtu turpiſſimo paſti.

Pag. 22. l. 11. *Sub finem autem morbi remittente jam inflammatione alvum laxare oportet.*] Moderata per alvum purgatio ſaltem in habitu corporis calido & ſanguineo, de quo hic agitur, non nocet, licet ſub initio vel arte inſtituatur, vel ſponte à natura ſuperveniat, ut ut aliter ſentiant mulierculae aniles, medicamentarii, & id genus omnes, qui hoc ſymptomate atteriti, ſtatim reſtringentia & opium ſiniſtro fere ſato aegris exhibere ſolent.

Pag. ead. l. 17. *Eveniat abſceſſus purulentus.*] Hujus morbi duae ſunt ſpecies, verbi gratia, primo cum in vera pleuritide pars dolens putreſcat, & fiat abſceſſus, vel in muſculis intercoſtalibns, vel inter hos & pleuram, ſecundo, cum ruptâ pleurà pus in cavum thoracis fluat; unde empyema.

Pag. ead. l. 20. *Ulcus autem per totam vitam.*] Non raro etiam iis aegrotis accidit, quibus pulmo, propter ejus ad latus adhaeſionem, una cum pleura, ſimul afficitur, finitam ſanguinis exſcreationem furtim ſubſequi puris ſputum. Hi plerumque tabidi moriuntur, ſaltem niſi cito liberetur pulmo, quod tentari debet

bet victu, & medicamentis blandis & demulcentibus, Antiphthisicis dictis, interpositis simul iis, quae tussim leniter proritent, maxime mane, ut pus nocte collectum quotidie educatur, vesperi vero anodyna, caute & parca manu exhibere oportet, & quoad caetera, ut in phthisi procedendum est.

Abscessus autem jam facti signa sunt, horror saepe revertens sine causa manifesta, doloris remissio manente dyspnoeâ, malarum rubor, sitis, febricula sub noctem aucta, pulsus debilis, mollis, frequens.

SECTIO VIII.

De febribus intermittentibus.

Pag. 22. l. ult. *Febrem intermittentem.*] Febris intermittens simplex se adesse indicat redintegratione frigoris, horroris, & tremoris certâ quadam horâ, quibus superveniunt pulsus creber, & aestus febrilis, siti, calore, dolore capitis & lumborum, &c. plerumque comitati. Haec autem horis quibusdam ita se continuant, ut citius vel serius pro morbi genio succedat crisis, maxime per sudores, non vero semper; aliquando enim eam per alvum, vel urinae vias factam novi. Urina sub paroxysmo reddita, plerumque rubra est, & vix faeces

demittit, eo vero finito, ſedimentum ingens lateritium deponit.

Vult Mortonus, aliique multi medicinae ſcriptores, ſedimentum hoc lateritium eſſe definitum & perfectum intermittentium ſignum, Diagnoſticon dictum; quod veritati minime conſentaneum eſt.

Novi enim aliquos homines habitu ſanguineo praeditos, qui integra fruentes valetudine, talem reddebant urinam, praecipue poſt corporis exercitationes, levemque defatigationem. In morbis ſcorbuticis etiam, nec non & in hydropicis tale lotium ſaepe reddunt aegroti; praeſertim quibus corporis conſtitutio biliofa, calidave ſit.

Fidiſſimum itaque, febris intermittentis ſignum, ut opinio mea fert, eſt paroxysmus cum hac urinae ſpecie & conditione, aliisque propriis ſuis rebus ordinatim circumſtantibus, certâ quadam horâ, ſine cauſâ manifeſtâ recrudeſcens, quae hujusmodi ſymptomatibus ortum praebeat.

Peſſimum enim in errorem ſimilitudine rapiuntur medici, dum dolores verâ inflammatione conjunctos, qui veſperi, aut ſcorbuticos, qui nocte plerumque increſcunt, intermittentium more curant.

Hujusmodi autem dolores neque horrore, oſcitatione, pandiculatione & frigore aeque comitantur, ac febres revera intermittentes, quae cum his ſignis non veſperi modo, ſed qua-

quavis alia diei noctisque parte, pro ratione paroxysmi praegressi redeant.

Haud immerito quoque istud adhuc magni admirandum videatur, quod in omnes valetudinis infirmitatis facies se transformare queat hic morbus, Protea aemulari studens, easque simulat, tam quas acutas, quam chronicas nominarunt auctores, maxime vero priores; quo casu curandus est morbus, ut morbus simulatus curari debeat; deinde postquam à recrudescente paroxysmo, aliisque signis propriis, palam se fecerit intermittens, cortice Peruviano oppugnandus est.

Unum proferre, quod ad hanc rem pertineat, exemplum, sat erit; nimirum, si formâ cephaleae acutae appareat morbus, missione sanguinis in primis, prout vires aegri ferre poterunt, dein salibus resolventibus, quae calorem minuant, & potionibus blandis, quae humores attemperent, prosequenda res est; usque dum per signa morbis intermittentibus assueta, & praecipue dolorem stato tempore sine causâ manifestâ recrudescentem & desinentem more paroxysmi, quandam certi ordinis febrem respicientis, pateat ejus species vera, & tandem larvâ excussâ, sine morâ, malo sincero occurrendum est, & antidoto Peruviano profligandum.

Pag. 22. l. ult. & pag. 23. l. pr. *Cortice Peruviano discuti posse.*] In febris intermittentis simplicis curatione, praecipue perpensa & ex-

 plorata

plorata habenda ſunt imprimis vehementia & tempora paroxysmi & ἀπυρεξίας, deinde quomodo ſeſe finiat paroxysmus, an ſcilicet ſudore, diarrhoea, &c. nec non an citius vel ſerius revertat; ſi enim poſt ſingulos acceſſus ſerius redeat, vel ſponte brevi deſinet, vel facile ſanabitur, ſi vero citius, quotidie increſcit, & ad febrem continuam vergit morbus.

Pag. 23. l. 1. *Eliciatur vomitus.*] Praecipue ſi adſit nauſea, vel vomendi conatus.

Pag. ead. l. 30. *Eandem tenui medendi viam.*] Rhabarbari & corticis Peruviani virtutes unitas merito celebravit, autor, nihilominus accidit aliquando magnam curationis ſpem eluſiſſe iſtiusmodi conſortium. Cum in tali igitur loco res ſit, experientiâ comprobavi, ut ad omnes rhabarbari partes feliciter valeret maſſa quae habet pilul. Ruf. Cinnab. antimon. ā ʒſs. Sapon. amygdal. ʒiſs. Syrup. croc. q. ſ. m. f. maſſa, cujus exhibeantur pro re nata, viginti vel triginta grana.

Pag. 24. l. 5. *Iterati in eundem lapſus.*] Si autem ob frequentes febris redintegrationes multum debilitentur vires, & hydropicus vel cachecticus ſit aeger, valentiora plerumque requiruntur medicamenta, quocirca ad recidivam praecavendam cortici addatur chalybs, nec non & aliquod ex herbis, & radicibus, quae amaris, aromaticis, & diureticis polleant viribus.

Prae-

Praeterea haud minus hujusmodi aegris conducit equo provehi, & aeſtate, balneo & aquis frigidis uti, interpoſitis pro re nata medicamentis vomitoriis, vel ſi opus ſit, catharticis idoneis.

Denique pro normâ certiſſimâ a medico habendum eſt, ſe numquam credere aegros, quos conſuetudo in febrium intermittentium crebros recurſus adduxit, ex toto, aut integre ſanatos, quamdiu ſudore glutinoſo diffluant, vel ad minimam corporis exercitationem ſudent; utpote ex ſolo hoc ſymptomate, conjectura ſatis probabili colligi poteſt, ſanguinis circuitum juſto ſegniorem & corporis compagem naturali multo debiliorem eſſe. Duplex autem hoc vitium ſanat cortex Peruvianus cum chalybe compoſitus prae caeteris omnibus remediis.

Pag. 24. l. 15. *Specimen praebeant.*] Cujus rei indubitatum teſtimonium proferre libet. In phthiſi ſcilicet aliisque morbis interno ulcere comitatis, veſperi recrudeſcit horror, dein calor, quo per noctem excruciantur aegri, & mane ſudore terminatur talis paroxysmus.

Hic vero morbus non eſt febris intermittens, de qua hic agitur, ſed ortum habet ab acri putridaque materia in venas abſorpta, neque cortice Peruviano, ullove medicamento, quod adverſus hujusmodi febrium accedentes & recurrentes horrores traditur eſſe in hodierno uſu, & bona exiſtimatione, ſanandus eſt, niſi ſanato morbo primigenio.

Pag.

Pag. 24. l. 22. *Effectum non ſortiatur.*] Imo contra expectationem omnium aliquando accidit, ut aſſumpto cortice Peruviano ſuperveniat diarrhoea, quo caſu exhibeatur vomitus ex ipecacoanhae radice, & poſt aliquas horas immittatur clyſter ad hnnc modum praeſcribendus: ℞. Cortic. Peruvian. pulv. ℥ſs. aquae communis ℥x. coque ad partes dimidias & cola, dein poſtquam refrixerit liquor adde tinctur. cinnamom. ℥ſs. electar. e ſcord. ʒiii. m. & ſi adhuc remaneant febris & diarrhoea, repetendus eſt clyſteris uſus, pro harum ratione, tertiâ ſcilicet vel quartâ quâque horâ. Hoc enim medendi modo, irrittis aliis quibuscunque, peſſimas intermittentium ſpecies ſanatas expertus vidi.

Pag. 25. l. 16. *Haec tertio quidem die revertitur.*] Haec febris incipit plerumque oſcitatione, pandiculatione & laſſitudine membrorum, quibus ſuccedunt horror, rigor, calor, ſitis, dolor capitis, dorſi, aliarumque corporis partium, lingua nunc alba, nunc flava, urina, pro gradu febris & vigore pulſus, plerumque plus minus rubra, nunc ſedimentum deponens, nunc cruda, nunc turbida manens. More autem intermittentium diſtinguitur, revertentibus eodem modo paroxyſmis, hoc tantum cum diſcrimine, quod haec febris per deceſſiones tantum molliatur, nec unquam corpus dimittat, ſed aliquando ſtatis, aliquando incertis temporibus, vi intenſiori revertat: In-

Interea tamen notandum eſt, ut intermittentis more, criſi quadam finiatur paroxyſmus, febre adhuc continuatâ, licet mitiore.

Haud multum equidem inter hunc morbum & febrem continuam ſynochum dictam intereſt, & in hanc regimine nimis calido ſaepe convertitur; e contrario, habitâ aptâ attentione ad rectum virium circulantium gubernationem, in intermittentem plerumque commutatur tum haec febris, tum ipſa ſynochus.

Pag 25. l. 18. *Per acceſſionem occupat.*] Ad intermittentium ordinem juſto referri debet febris ardens, non minus propriam animadverſionem deſiderans, quam ſemitertiana; quippe alternis diebus, praecipue iis, quos impares nominarunt medici, exacerbatur, ab hemitritaea gradu quodam & ſiccitate majori tantum differt, poſtulatque eandem medendi rationem, ſed magis refrigerantem, humidam & temperatam; eo praecipue cum viros membris & mole valentes in laborioſis exercitationibus multum & ſaepe verſatos, aggreditur, quam denique rem ſatis confirmant medicorum in multa ſaecula experientia.

Incipit enim febris ardens, ut ſemitertiana cum laſſitudine, horrore, & rigore, quibus ſuccedunt nauſea, vomitus, calor maximus, & ad tactum fere urens, ſitis inexpugnabilis, inquietudo, anxietas, & calor ſummus ad vitalia & praecordia, ſiccitas totius corporis, pulſus velox cum arteriâ tenſâ chordam arctam

tam & aſtrictam referente, muſculorum tendines naturali tenſiores, & duriores, reſpiratio denſa, cita, lingua ſicca, aſpera, flava, fuſca, nigra; tuſſicula, vox clangens, dolor capitis ingens, pervigilium, nervorum diſtentiones, phrenitis, coma.

Haec tamen omnia ſymptomata non omnem febrem ardentem comitantur, ſaltem in morbi initio, ſed ſenſim augentur tam numero, quam viribus, pro ratione continuationis & gradus morbi: ſemper tamen calor corporis ſiccus, urens, & ad praecordia ingens, ſitis ſumma, & lingua ſicca, aſpera cum inquietudine anxia, pulſu veloci, & arteriis fabricâ admodum tenſâ & aſtrictâ notandis adſunt.

Haec febris prae caeteris omnibus caput afficere ſolet, unde fiunt dolores, vigiliae, delirium, furor, phrenitis, & ſimilia.

Pravam hanc cerebri affectionem prope adeſſe, ſatis certa notitia venit medico, ſi progrediente morbo quaedam ex his aut conſimilibus ſignis ſeſe prodant; ſcilicet, ſi aeger creberrimo mingendi conatu laboret, perpaucam tamen tenuis urinae copiam ſingulis vicibus reddat, ſi arrepta ejus manu eam ſubducere moliatur, ſi, quae dixit, ſibi ipſi illico fere oblita ſint, ſi reſpiratio antea cita, mox in profundam & tardam mutari incipiat, ſi oculi triſtes, luctuoſi, cum ſcabra ſorditie pulverulenti, ſemiaperti, aut torvi videantur, ſi ex his lachrymae ſponte ſtillent, nec ad

can-

canthos verſus, eant; quibus omnibus illud etiam accedit miſerandum, quod haec ſymptomata aegrum excruciando, eum minime tractabilem reddunt, & ſanationem maxime impediunt: Quocirca ſtudioſè adhibendae ſunt cautio & proviſio, ut quantum fieri poſſit, evitentur hujusmodi incommoda.

Huic autem fini conſequendo nihil aptius reperitur, quam morbi curationem inprimis aggredi miſſione ſanguinis largâ, mox pro virium & ſymptomatum ratione repetendâ, remediis dilutiſſimis, refrigerantibus, & revellentibus à capite, ab ipſo morbi initio. Crura igitur aquâ tepidâ bis terve quotidie, ſi liceat, genua tenus immergere, ex magno uſu erit, & hoc finito cruribus & pedibus adhibendum eſt cataplaſma emolliens.

Talis autem medendi modus, etiamſi rationi maxime congruus, rariſſime à noſtratibus tentatur, & medicum, qui hujusmodi auxilia praeceperat, ſe ludibrio intempeſtivo expoſuiſſe mihi vidiſſe contigit.

Veteres interea medici pullos juniores, columbas, & ſimilia animalia diſſecabant, & adhuc calentes plantis pedum admovebant, ut ſpirituum animalium tumultus compeſcerent, & impetum a capite revocarent; quod excuſſo & explorato conſilio utiliter ab iis factum erat, plus tamen humectat & revellit medendi ratio ſupra propoſita

Recentiores autem theoriae attractionis falſo fidentes, emplaſtris acribus & veſicatoriis irritan-

ritantibus, non ſolum hoc fruſtra, ſed quod multo pejus eſt, id ſemper maximo certe cum aegrorum damno efficere conantur, niſi conſtet plane ex languore & debilitate tantummodo ſtagnare humores.

Propter eandem etiam rationem eas exinanitiones promovere convenit, quas cum utilitate in ſeipſo experiri ſolebat aegrotus, dum ſanus fuit, cujuscunque fuerunt generis, modo ad revulſionem à capite & praecordiis conducerent. Artis igitur praecipuum erit opus, ut ſat copioſè fluat ſanguis vel e naribus, eas irritando ſetis, vel ex haemorrhoidibus, impetum ſanguinis deducendo ſuctu hirudinum; vel denique in foeminis ut fluant menſes, ſi tale quid ardens acciderit, laxando vaſa uterina emolliente cataplaſmate, ut eò derivetur vis ſanguinis. Hoc autem ſtimulantibus calidis, emenagogis dictis, minime tentandum, quippe ejusmodi medicamenta in hoc morbo exitioſa ſunt.

Pag. 26. l. 2. *Excriri videtur.*] Haec febris difficilis inde non raro eſt curationis, medias enim partes inter ſynòchum febremque intermittentem tenere videtur, ideoque medendi rationem magis temperatam, quam in intermittente ſimplici, minus vero quam in ſynocho, ut plurimum poſtulare ſolet, & ſedulo obſervare, debet medicus, tam accedente morbo, quam toto progrediente ejus curſu, an nimio impetu ferantur humores, nimisque vigeant, vel langueſcant vires.

SEC-

SECTIO X.

De febribus lentis, ſive *hecticis.*

Pag. 28. l. 17. *Tot habent cauſas.*] Ex tribus tamen praecipuis cauſis ortum ducunt hae febres lentae hecticae dictae. In primis hic morbus oritur ab omni cauſa, quae tranſitum ſanguinis per pulmonem ita impedit, ut ibi in materiam purulentam convertantur obſtructa, quales ſunt tuſſis diuturna, pleuritis, peripneumonia levis, pulmonis ſtrumae, febres omnes, acrimonia omnis generis vaſcula tenera corrodens, & ſputum ſanguinis inducens, plethora, aetas juvenilis calida, praeſertim ab anno aetatis decimo ſexto ad trigeſimum ſextum, exercitationes violentae, cantus, clamor, & infinita alia, quae pulmonem inferciunt, calefaciunt & fatigant, ſed prae caeteris, ipſius corporis forma, ex qua profecto evenit, ut vis major in reſpiratione pulmoni incumbat, & ſimul deſit explicationi locus. Conſiſtit hoc in collo longo, thorace plano & anguſto, & ſcapulis depreſſis; quibus, ſi accedat color candidus cum cute quaſi pellucidâ, rubor vegetus in malis, ſummum inde tabis eſt periculum.

Conſtat autem inter omnes, hunc morbum ulcera omnia, praecipue interna comitari, quippe in his materia purulenta propter vaſo-

rum laxitatem, puris retentionem, & partium contiguarum compreffionem, majori copia in vafa abforbentia neceffariò propelli debet: Quocirca praefente febre hecticâ aliquid latentis ulceris fufpicari nunquam non alienum erit.

Oritur etiam hic morbus ab acrimoniâ quâcunque, feu oleofa, falina, feu biliofa fit, poftquam vel putrefcere incipiant humores, vel tanta iis inducta fit acrimonia, ut non folum nimis inde folvantur humores, fed & nervi infuper partium fingularium motui fenfuique fervientes, irritamentis inordinatis & plus jufto frequentibus obnoxii fiant.

Oritur & tertio ab exinanitione, raro vero, nifi fimul adfuerit acrimonia, uti male iis aegris non raro evenit, quorum vires febribus acutis aut lentis jamdudum valde exhauftae fuerunt.

Pag 28. l. 22. *Exulceratione originem trahunt.*] Febris hectica ex hoc fonte derivata his fignis fe manifeftat. Hujusmodi aegri pulfu celeri & debili, fitisque paucitate afficiuntur, mane plerumque algent, & languidi funt, vefperi calent & alacriores funt, eoque tempore praecipue calent, quo novus chylus cum fanguine circumfertur, tunc enim, praefertim fi diu haeferit malum, rubent malae, & internae manus, primo mane autem dormiunt, & morbo indies in deterius mutato, tum etiam fudore liquefcunt. Urina vefperi reddita,

dum

dum febrilis calor adsit, sedimentum non deponit, sed agitata in phialâ diu spumam retinet, finito vero, per sudores multâ jam nocte obortos, paroxysmo calido, sedimentum subalbidum, aliquando rubro flavum & furfuraceum, non raro & lateris contriti colori simillimum, deponit. Postremo observatu dignum est, quod ipse cruor ex venis emissus nunc facie & compage mutatus, massae albae, durae, glutinis & corii instar tenacis, & resilientis, speciem variam pro vario gradu mali prorsus assimulat.

Pag. 32. l. 1. *Utilissimum esse balsamicis.*] Mane plerumque rejicitur materies acris, tussim excitans, eo igitur tempore exhibenda sunt lenia balsamica, quae exscreationem promoveant, ut a retentis liberetur pulmo, non vero aliis diei temporibus, nisi ea copia congesta sit materies, ut mane haud idonea fiat expurgatio, quippe auctâ tusse, augetur in partem affectam humorum fluxio & derivatio. Ad ulteriorem autem in hoc morbo exscreationem promovendam, illud interdum ex magno usu venit, ut incumbat aeger pronus in largam pelvim aquâ calidâ repletam, ita ut vapores in pulmonem hauriat, hoc vero non proficiente, addatur acetum parva copia, & si haec omnia parum valeant, in usum vocare oportet acetum scilliticum. Ad eandem rem spectat spongiam aceto acerrimo calido vel aceto scillitico madidam naribus vel ori per

vices admovere, ut pulmo vapores ad fe attrahat.

Pag. 32. l. 18. *Praecipue in fanguinis fputo.*] Rariffime, fi unquam, in hoc morbi ftatu convenire poffint haec aut confimilia medicamenta, quâcunque formâ exhibita, aliquando autem ceffaturo fputo, ea multum commodi adfuiffe obfervavi.

Pag. ead. l. 19. *Exiguis autem his fuppurationibus fubjungendus videtur largior.*] Suppurationes, quae in pulmone fiunt, tam parvae, quam magnae, his indiciis, modo leviori vel graviori, pro gradu mali urgentibus, fe palam faciunt, Dyfpnoea cum tuffis incremento vefperi & nocte praecipue adeft, unà, fi apertum fit ulcus, cum fputo craffo, glutinofo, fubflavo, & purulento, nunc lineolis, guttisve fanguinis commifto, nunc abfque his; fin vero in tunicâ concludatur, deeft purulenta materiae expuitio.

His in morbi progreffu fuccedunt horror levis, inordinate recurrens, malarum rubor poft paftum, calor urens & mordax cum pulfu celeri & febrili maxime vefperi, mane vero ad tactum frigus. In latus affectum fat commode decumbunt aegroti, in alterum vero molefte ferunt, faepe ne minimâ quidem ex parte pati poffunt, eo quod tuffis inde auctis viribus & dolore fimul ponderofo quafi defuper impendente, ut plurimum comitata, aegrum inde-

indeſinenter torquet. Poſſum quoque & illud animadvertere, quod latus affectum altero plerumque calidius reperietur.

Sub morbi progreſſum ingraveſcunt praedicta, maxime vero ſub poenâ motus ſpiritus difficilius trahitur, ſimul & increſcunt tuſſis & calor hecticus. His ſuccedunt anxietas & moleſtia inexplicabilis per noctem, ſudores mane ingentes, debilitas, macies ſumma, diarrhoea colliquans, crurum tumores, pruritus per totum corpus, vox rauca & oh! talis facies, qualis Hippocrates in illuſtrandis ſuis hiſtoriis facile princeps tam prope à cadaveris vicinitatibus & confiniis, depinxit, ut luridis & emaciatis malis, ambiguoque vultu, fere ſagaces falleret inquiſitores diſcrimen obſcurum.

Pag. 33. l. 1. *Haec de phthiſi.*] Ut extremum hoc monitorum agmen de hoc morbo fructum utilitatis majoris praebeat, non ab re fore putavi, ea, hoc loco, ſubjungere principia, quae, a medico in inſidioſi hujus morbi gradibus conſequentibus, a prima acceſſione uſque ad ejus deceſſionem, ſeu exitum ſaepe funeſtum, ſemper timendum, praeſertim ſunt obſervanda, & proſequenda.

Ex omnibus praedictis idcirco liquet, quod tempeſtiva ſanguinis ſputi cautio & proviſio, puris generati exſcreatio, lenimen acrimoniae hecticae purulentae, tuſſis mitigatio, diarrhoeae impeditio, aut ſanatio, primas in curatione partes tenent.

His autem propofitis conducunt miffio fanguinis pro re nata inftituta, diaeta lactea, medicamenta putredini refiftentia, & fi non vetat fpirandi difficultas, incraffantibus & emollientibus fimul fociata, exercitatio leniffima & perquam moderata, plerumque autem nihil utilius eft, quam curru, aut equo vehi per aërem purum placidum à nimis frigido calidove utrinque reductum, ut inde facilè expurgetur pulmo.

Praeter haec ad tuffim aliaque fymptomata molefta lenienda caute interponenda funt ea remedia, quae more leniffimo fomnum conciliant.

Poftremo non eft alienum infuper adnotare, quod in praedictis utendis & exhibendis, regula optima ex dyfpnoeâ petenda eft, fi enim hoc fymptoma multum urgeat, neque vetet diarrhoea, aut oris ventriculi morfus, acidis blandis & falibus, quae calidae & putridae humorum crafi fortiter refiftant, necnon & leniffimis & dilutiffimis potionibus, libere, parcâ tamen copiâ, unâ vice affumendis aeger tractandus eft. Quotiescunque autem pateat, ut fpiritus difficultas minus urgeat, lenia obtundentia & incraffantia prioribus medicamentis addenda funt.

Pag. 33. l. 2. *Duae autem funt aliae* tabis *fpecies.*] Hae tamen duae fpecies vix à vera ftirpe hectica ortum fuum ducere dicantur, nifi fimul adfuerit partis alicujus putre vitium ab hu-

humorum acrimoniâ inductum, quo cafu ad primam familiam & originem profecto referri debet morbus; fin alia contigerit tabis fpecies, vel in nimio impetu folidorum in liquida, quo ea atteruntur nimisque folvuntur, vel in acri liquidorum transfluentium indole, omnino ponenda eft ejus mali fedes.

Hujusmodi autem omnes, qui ex habitus vitio & culpa, ut ita dicam, tabidi fiunt, urinam tenuem larga copia per vices reddunt, nunc prorfus pallidam, nunc coloris ftraminei cum pauco vel nullo fedimento; & hoc maxime noctu, dum calidiores fint. Sanguis licet per vafa velociori curfu fertur, quam par eft, nihilominus vel fponte emiffus, vel venis detractus, rubedine nimia fplendet, & praeter morem minus cohaeret.

Praeter ea, quae fupra fcripta funt, illud quoque obfervatu dignum videatur, tempeftatum mutationes, licèt vulgares, male ferre hujusmodi aegrotos, maxime vero eas frigoris & caloris variationes, quae de improvifo fiunt.

Hactenus dictis unum hoc adjiciam monitum, fcilicet id maximi effe momenti, ut fatis clara adepta fit cognitio differentiae, quae extat inter febriles morbos hecticae & tabidae indolis ex quacunque prole natos, & febrem malam continuam debili & veloci pulfu comitatam. Priores, qui vitio habitus aegrotare dicantur, plerumque pro ratione mali, per longum equidem tempus morbo laborant, imo aliquando

per plures annos, & ad negotiofas cogitationes & actiones valent, minus licet fani & robufti: Pofterioribus autem febricitantibus longe alia res eft, lecto enim affixi aut faltem cubiculo detenti manent, & tremore, aegritudine, aliisque febris verae languidae fymptomatibus noctes diesque vexati & exhaufti funt.



CAPUT II.

De morbis capitis.

SECTIO I.

Apoplexia.

Pag. 34. l. 5. *Congeneres ſunt plerique capitis morbi.*] Quo clarius autem intelligantur ea, quae ad veram hujusmodi morborum cognitionem, naturam & ſanationem pertineant, conſulendae ſunt in primis praelectiones medicae in Theatro Collegii medicorum Londinenſium habitae a Thoma Lawrence M. D. Collegii ejusdem Socio & Praeſide dignisſimo.

In his enim praelectionibus eruditiſſimis, Lector deprehendet Apoplexiam & ejusmodi morbos, ex quibus corpora vel ſopore victa vel ſenſu privata fiant, accurate deſcriptos, & diviſione forſan perfecta in proprios ordines redactos, adjunctâ ſimul ſingulis apta medendi ratione. Quocirca pauca tantum uſu explorata, & ad hanc rem pertinentia adjicienda habeo.

Pag. 34. l. 7. *Quorum praecipuus est apoplexia.*] Homo apoplexia corripi dicatur, quando ſub ſpecie ſomni profundi, ſtertentis, ex improviſo plerumque corruit, omnibus ejus actionibus animalibus derepente abolitis, vitalibus interea non ſolum ſalvis manentibus, ſed ut plurimum praeter morem ſe fortius exerentibus.

Pag. ead. l. 20. *Illam ſanguineam, hanc pituitoſam.*] Haec diviſio licet non perfecta, praxi tamen ſufficit, utpote reliquas ſpecies, viz. a Polypo, & caeteris ejusdem generis, orientes, ſeſe omnes inſanabiles eſſe comprobavit experientia. A cauſa priori, ſcilicet ſanguineâ, advenire cognoſcitur hic morbus ipſo corporis habitu calido, plethorico, vultus & oculorum labiorumque rubore, vitae conſuetudine quâcunque praegreſſa, quae ſanguinis motum accelerare & ejus molem rarefacere valeant, pulſu plerumque forti & tardo, reſpiratione profunda, rara, forti, ſtertente.

Dignoſcenda eſt etiam altera pituitoſa hujus morbi ſpecies a ſanguineâ, frigido, pituitoſo, cachectico corporis habitu, colore pallido cutis, pulſu tardiore, corpore craſſo, pingui, inerti, animique pigritia & ſtupore.

Pag. 35. l. 13. *Sanguinea autem detractiones ſanguinis.*] Si omnia quidem auxilia, quae paulo poſt a noſtro auctore merito propoſita ſunt, parum aut nihil proficiant, & adhuc urgeat

geat ſanguinis redundantis copia diminuendae neceſſitas; huic fini conſequendo nihil aptius reperitur, quam ſi, demiſſis in aquam tepidam cruribus, fiant ligaturae femoribus venas tantum comprimentes, hisque tumentibus, ac dein inciſis, ſanguinem detrahere oportet; ſin ea res fruſtra fuit, ſcarificatione profundâ, & cucurbitularum ope, recluſis venis copiosè profluere ſinendus eſt ſanguis, & tandem, ut nihil deſit, quo plethora, ad capitis vaſa minuatur, transverſim ſecanda eſt vena Frontalis dicta.

Pag. 35. l. 15. *Pituitoſa purgationes per alvum.*] Non raro autem evenit, aegrum proſtratum adeo omnino ſtupidum ſe exhibere, ut remedia cathartica per os ſumere nequeat, quo caſu clyſter acris ſtatim injiciendus eſt, eoque rejecto, alius atque alius ſerie continuandus, donec horum ope aſſidua excitetur diarrhoea. In hujusmodi caſibus, non omiſſis caeteris mihi optimo cum ſucceſſu inſervire ſolet hicce clyſter.

℞. Pil. e Colocynth. ſimpl. ʒii. Vin. Antimon. ℥iii. Aquae Alexiter. ſimpl. ℥ii. m.

Pag. 36. l. 5. *Arteriarum in temporibus inciſio.*] Revera non multum commodi ex arteriarum in temporibus inciſione capiet aeger, ipſam autem arteriam temporalem dictam, arte chirurgicâ aperire neceſſe erit, & exinde multum ſanguinis detrahere convenit. Si hac exina-

nanitione fretus etiam opem atque auxilium ferre ſperet medicus.

Pag. 36. l. 18. *Veſicatoria etiam capiti.*] Si hiſce ſtimulis per aliquod tempus applicatis, nec voto reſpondentibus, nequaquam excitetur aeger, ſubſequentem medendi rationem aliquando bene ceſſiſſe compertam habeo, nimirum veſicatoriis primis amotis, cucurbitulae cum ſcarificatione admovendae ſunt, & deinde veſicatorium recens de novo imponere oportet, quod pannis calidis aut tegulis calefactis promptiſſime in actionem excitandum eſt, quippe in ſummam ad ea, quae quaerit medicus, proficiet.

Pag. ead. l. 23. *Senſus enim fibrarum in nervis fere deperditur.*] Idcirco non alienum erit notare, quod in aeſtimandis proſtrati attoniti viribus, non aeque conſiderandae ſunt praeſentes ac praegreſſae, & qualis fuit aegri ſtatus ante morbi acceſſum. Largas enim ſemper poſtulat exinanitiones, eoſque homines prae caeteris aggreditur, quibus diaetâ plenâ, lautâ, calefaciente, liquoribus ſpiritus vinoſi divitibus, ſeipſos reficere, & molliter curare pulchrum fuit.

Inſuper in curatione hujus morbi, ſeu de ortu ſanguineo, ſeu pituitoſo, minime praetereundum eſt, quod quo magis ſub ipſum paroxyſmum creſcat fortitudine pulſus, eo plerumque malum ſit deterius, atque ideo neceſ-

ſario

ſario requiruntur exinanitiones, dum humorum ſolutionem promovere, & impedimenta tollere molimur.

Cum igitur apoplexia, quam fortem vocavit Hippocrates, ſit inſanabilis, & altera, quam levem dixit, ſit, ut ipſe monuit, curatu admodum difficilis; ſummis certe viribus obnitendum eſt, ut morbo adeo periculoſiſſimo, omnis, quantum fieri poſſit, praecluſus ſit aditus.

Quocirca ſanguis mittendus eſt ter quaterve in anno, aut ſi plethorae ſanguineae adſint ſigna, forſan ſaepius; interpoſita ſimul aliquando alvi ſubductione, vel medicamentis, quibus Mercurii dulcis ſublimati portio aliqua ineſt, aut ſaltem iis purgantibus peractâ, quae craſſos humores attenuare, & ſuperfluos ſimul e corpore educere pollent.

Menſibus igitur aeſtivis aquas minerales ex fontibus apud Scarborough, Cheltenham, aut Harrowgate, prout poſtulet corporis habitus bibere, his quàm maximè prodeſt.

Ulcera etiam, quibus fonticuli nomen afficitur, ampla & profunda pro ratione loci ſub occipitio, in ſcapulis & femoribus, ſcalpello, vel inuſtione facta, excitanda ſunt, & ſervanda diu.

Vitare inſuper debet quiſquam in hunc morbum pronus calefacientia omnia, ingluviem, crapulam, exercitationes nimias, praecipue ſubitaneas & violentas, omnia humores ſurſum attrahentia, caput implentia, ut ſunt vomitus,

mitus, balnea frigida, somnus multus, aliaque similia.

SECTIO. II.

Paralysis.

Pag. 37. l. 12. *Nullus jam sanguinis missionibus locus.*] Licet autem, quod saepissime fiat, ut apoplexia in paralysin desinat, tamen operae pretium erit, dispicere, num ab ea praegressâ ortus sit morbus; quo casu, si sufficientes fuerint exinanitiones, non mirum est, ut vires, aegri novas non sinant instituendas.

Tentanda igitur hujus mali curatio iis solis medicamentis, quibus liberior sanguini restituendus sit circuitus, calidis scilicet vel temperatis pro natura aegri, frictionibus cum remediis nervinis dictis, emplastris stimulantibus & resolventibus ad mali originem applicatis.

Sedes haec autem nemini quidem dubia esse potest, qui functionem laesam & nervi cursum & distributionem, alteram alteri comparare polleat.

Interea dum haec fiant, alvi purgationem catharticis medicamentis pauxillâ Mercurii dulcis sublimati portione conjunctis instituere, vomitumve, ex iis quibus Antimonii potestates insint, semel scilicet singulis vel alternis heb-

hebdomadis elicere, ut plurimum haud alienum erit. Haec profecto de hujusmodi paralyſi dicta ſufficiant.

Medicis autem ab omni aevo notum fuit, aliam eſſe paralyſin, non ob hoc malo ovo progenitam, & quae, non minus quam apoplexia ipſa hominem extemplò adoritur, & aliquando, praeter caput, totum corpus, aliquando alterutrum latus, nunc brachium, nunc crus invadit; quo fit, ut pro ratione partis affectae, ſenſus & motus derepente aboleantur.

Paralyſin autem hanc repentinam ab omni cauſà ad apoplexiam gignendam propenſà exoriri veriſimile eſt; modo partem aliquam ſingularem cerebri, aut ſpinalis medullae, vel nervum quemlibet ita afficiat, ut communicatio a cerebro aut medulla ſpinali, ope nervi, quaecunque illa ſit, ad partem affectam impediatur.

Et revera tale malum in praeſentia, & ante oculos ſe exhibere dicatur, quandocunque pars aliqua laxa motûs impotentià conjuncta, nulloque nixu voluntatis vel vitae ſuperanda adſit. Senſus etiam nonnunquam ex toto perit, ſaepe tamen obtuſior, & cum ſtupore, aliquando & cum quodam doloris ſenſu, quaſi ex aculeis orto, levis adhuc reſtat.

Illud tamen opus eſt monere, duas hujus morbi, ut apoplexiae praegreſſae, praecipuas ſpecies a ſcriptoribus medicis memoratas eſſe, unam ſcilicet ſanguineam ex ſanguine nimis abundante, & impetu nimio per arterias propulſo; alte-

alteram pituitoſam ex humoribus lentis, glutinoſis, nimis debili motu circumactis, enatam eſſe affirmarunt. Idcirco apoplexiam & paralyſin, praeter eam, quae à luxatione articulorum, contuſione, tumore, ictu, lapſu ab alto, aliisve ſimilibus cauſis originem ducat, tanquam congeneres morbos in eadem trutina ſuſpendere ſolent.

Hae quidem duae ſpecies ex ſignis, in monitis ad apoplexiam ſpectantibus, jam antea recenſitis, facile dignoſci poſſunt; & idonea partium affectarum ratione habitâ, curationem apoplexiae leviori omnino congruam poſtulant.

Hoc autem ſingulare & notabile habet hic morbus, quod externae applicationes partium reſolutarum vigori conciliando inſervientes, ſe ex majori uſu eſſe innoteſcant, quam in apoplexia ſingulari, cui parum prodeſſe videntur.

Utiliora etiam quam in apoplexia invenientur medicamenta vomitum proritantia, quae morboſis paralyticis, interdum fauſte ſingulis hebdomadis, exhiberi poſſint.

Reſtat tandem animadverſione dignum, paralyticam alicujus membri impotentiam penitus dignoſci poſſe, ab ea, quae ejus contractioni, vel nervorum diſtentioni originem debeat, ex facilitate, quâ hujuſmodi membrum adſtantis manu quaquaverſum movendum ſit, nullo apparente renixu, niſi a partis pondere, nulloque in motu dolore; quod in membris contractis aut con-

convulsis longe aliter se habere expertum est.

Pag. 38. l. 7. *Calidae vero immersiones.*] Longe discrepat haec Autoris sententia a veterum praxi & doctrina, antiquis enim medicis mos erat, Paralysi detentos in balnea calida demittere, urticis verberare, & dein dolores & tremores excitando, se vasa obstructa reserare, & nonnunquam ad bonos exitus vota concepta ducere posse, tradiderunt.

Pag. 39. l. 3. *Saepe longus.*] Alia certe tentanda est medendi ratio in eo morbi statu, quo membrum irritis omnibus remediis praedictis, adhuc resolutum maneat. Quocirca ad remedia potentissime sudorem elicientia confugiendum est, implendo corpus decocto Guiaci ad libras tres vel quatuor quotidie assumpto per tres dies, dein quarto quoque die in vaporario, vel ope vaporum ex spiritu vini accenso in lecto excitetur sudor, adhibitis simul frictionibus validis aromaticis, tum praesente sudore, tum aliis etiam temporibus, iis praecipue in locis, quibus situm est malum, ut et balnea calida herbis cephalicis aromaticis, stimulantibus & similibus comparata, quae per dies aliquos ad eandem rem uti possint, & demum lecti vel vaporarii auxilio sudorem evocare nitendum est, atque haec artificia prae caeteris curandi modis ad hunc morbum longum & contumacissimum debellandum non parum profuisse comperi.

SECTIO III.

Epilepſia & Vertigo.

Pag. 39. l. antepen. *Saepiſſime ventriculi magis.*] Priusquam ſeu morbi comitialis, quem recentes auctores epilepſiam potius nominare exoptaverunt, ſeu vertiginis ulla aggredienda eſt curatio, ſedulo diſpicere oportet, quâ in parte ſit vitium; eo quod omnes hujus morbi ſpecies, quae profecto ſanari poſſint, ab alio aliquo morbo derivandae ſunt, cujus vi, vel in cerebrum ipſum, vel in nervos, fit irritatio nimia, & inde diſtentio vel omnium nervorum, vel aliquorum membrorum, maxime pro ratione ſitus peccantis materiae. Hoc itaque morbo ſublato ceſſabit malum; nec aliter, utcunque medicamentis antiepilepticis dictis tractetur.

Hoc autem in loco, non ab re erit notare ea ſigna, quibus praeſentibus morbum comitialem à vitio ipſius cerebri imprimis affecti, vel à malo quodam in aliis corporis partibus ſito, ortum ſuum ducere cognoſcamus.

Priſci ſcriptores univerſi, & quamplurimi ex recentioribus, morbum comitialem prioris ordinis, titulo idiopathici inſigniverunt, licet veritati multo magis conſentaneum fuiſſet, eum ſub ſympathico collocaſſe; utpote communi omnium conſenſu in culpâ eſt vitium aliquod ſubſequentibus perquam affine; nimirum cranii

 oſſa

ossa tumida, aculeata, aut praeter naturam sita, pus, sanies, & innumera ejusmodi, quae cerebrum premere, lacerare, pungere, corrodere aut corrumpere valeant.

His autem signis se innotescit morbus comitialis idiopathicus dictus. Adsunt enim perpetuò in capite, vel gravitas, dolor, calor, vertigo, oculorum scintillatio, aliave similia, quae ab oppresso vel laeso cerebro oriuntur. Hujusmodi certè aegri, quibus re ipsâ se male habeat cerebrum, symptomata praedicta semper comites habent; & ab omni causâ, quâ, increscente impetu circumfertur sanguis, recurrentes patiuntur paroxysmos, maximè sub adventum novae vel plenae lunae.

Frustra, imo noxie his exhibentur medicamenta antiepileptica dicta, quae omnia sanguinis calorem & circuitum valde adaugent. Moderatâ autem alvi subductione, triduo aut circiter ante lunationes exhibenda, nonnunquam praecaveri possint hujus morbi paroxysmi, ut & missione sanguinis. Cautione tamen hic opus est, ne jam memorata exinanitio ad consuetudinem adducta sit, utpote vires nimis exhaurire solet.

Ut morbus autem in posterum praecaveatur; id primum medico tentandum est, quid valeant ulcera in locis commodis; scilicet, in scapulis, femoribus, & pone aures, candentibus ferramentis, scalpello, acu filum ducente, aut erodentibus medicamentis, manu chirurgi, admovendis, excitanda; nt horum ope,

humorum moles cerebrum gravans alio derivari possit.

Interea confitendum puto, hanc speciem rarissime medicinam admittere posse, nisi ex simplici plethora, aut citâ humorum inflatione ortum habeat; unde doloribus primum excitatis, nervorum & membrorum distentiones subsequi solent.

Ex habitu calido, & vultu pleno rubro, oculis rubris, & pulsu tardo in paroxysmorum intervallis, certè liquet, morbum comitialem primae causae, scilicet plethorae adscribendum esse, quo casu sanguinis missione, purgationibus per alvum, prout postulet occasio, repetendis, & idoneis sorbitionibus pro maxima parte sanari potest.

Altera autem ut plurimum ponit concitatum sanguinis motum & acrimoniam auctam nimis, ex prava vivendi constitutione, ebrietate, violentis corporis exercitationibus, &c. Sanatur exinanitionibus & derivantibus praedictis, adjectis simul diaeta & medicamentis, quae humores leniendi & demulcendi vim habeant.

Qui ebriosi, qui liquores vinosos jejuno stomacho ingurgitantes, vitam immundam agunt, in hanc speciem tanquam in calamitatem communem plerumque incidunt.

Ad tales autem aegros sanandos, si adhuc juvenes, aut viribus adhuc valentes, maxime confert medendi ratio jam antea exposita; plerumque vero nimis debilitantur hujusmodi epileptici ante morbi accessionem, & quòd pejus

pejus eſt, temulentam vivendi conſuetudinem raro relinquunt: In aliis fruſtra fere expectatur ſanatio.

Ad hunc ordinem idiopathicum jure referenda ſit illa hujus morbi ſpecies, quae viros aggreditur, qui ſibi ipſis vacuas deſumpſere Athenas, & ſtudiis totos dies & noctes ſe dedere; idque fit partim propter ſtatum cerebri plus aequo aſtrictum, & nimiam ſpirituum vulgo dictorum animalium diſſipationem, partimque propter languidum nimis liquidorum circuitum, quo lenteſcit ſanguis, & in cerebri cavitatibus haeret. His pulſus tardus & obſcurus eſt, & facies pallida, & hyeme pejus ſe habent.

Sanatur haec morbi ſpecies detractione ſanguinis, & moderata alvi ſubductione, ſubinde repetendâ; datis in intervallis medicamentis attenuantibus, parcâ portione diu aſſumendis; qualia ſunt radix Valeriana ſylveſtris, Cinnabar, Chalybs, & ſapones, ut & equitatione, animi laxitate, & ſimilibus.

Miſſio autem ſanguinis in his major eſſe non debet, quam ut humoribus, ſeu rareſcentibus ſeu tenuioribus redditis, ſpatium idoneum comparetur, niſi ob magnam paroxyſmi vehementiam timeantur apoplexia, aut vaſa rupta.

Hujuſmodi aegri praeter ſigna deſcripta frequenter annulum lividum ſub oculis & circa os habent ante adventum paroxyſmi, maxime vero poſt ejus diſceſſum ex ſtagnante ſanguine in vaſis laxis & imbecillibus orto.

Cum autem mihi ſat erit, haec de morbo

comitiali idiopathico monuisse; superest nunc, ut de altera specie sympathica dictâ nonnulla traderem.

Epilepsia sympathica ex infinitis fere causis ortum habere potest, quae diligenter perquirenda, ut ad mali sedem quam proximam applicentur remedia.

Causae autem, quae partes praecipuas agunt in hoc morbo, sunt in infantibus retentio stercoris, dura nimis coagulatio lactis, humores acres & acidi tormina excitantes, dentitio, rosiones & irritationes à lumbricis, variolae, dolores omnes violenti utcunque nati. In iis aetatis paulo grandioris, prae caeteris vermes, irritationes ab assumptis crudis, acidis austeris, calor ingens, motusque nimius, expletio nimia ventriculi, & similia. In iis ad pubertatem accedentibus, ipsa pubertatis irritatio, veneris appetentia, aliaque similia. In virginibus eadem, ut & mensium defectus, horum suppressio, fluor albus, passio hysterica. In mulieribus eadem, ut & mensium, sanguinis, aut aliusmodi humoris, sive à naturâ, sive arte profectum profluvium nimium, aut inimica suppressio, affectus animi ingentes, ut terror, metus, & similia. In viris ebrietas praecipue ope liquorum, quibus spiritus vini praepollet, motus validus & calor nimius, febres, dolores ingentes, praecipue capitis, materies podagrica intempestive retrocedens, & superiora occupans, haemorrhoidum, ulcerum & similium suppressio, plethora, aliaque ejusmodi quamplurima.

In

In omnibus, autem horum, retentio puris, saniei, vel humorum acrium alicubi stagnantium coactio, tales nervorum distentiones & morbum comitialem seu epilepsiam efficere possunt.

Hinc etiam patet, atque cautionis loco id minime praetermitti debet, quod paroxysmi in hac morbi specie circa novam plenamque lunam maxime oriri possint, ob inflationem turgidam humoribus inductam, licet minus certè, quam in priori specie idiopathica dictâ.

In curatione autem epilepsiae ex sympathiâ ortae eradicari debet morbus primigenius, adjectis simul medicamentis, quae ad inordinatum spirituum animalium motum compescendum aptissima sunt; licet non directe ad primum morbum respiciant: Exempli gratiâ, si infans membrorum distentionibus tentatus sit, inquiro sedulo per signa variolarum, dentitionis, & torminum, an his laboret, aut alio quolibet morbo, qui nervos valide irritare potest, & hoc semel patefacto, distenta membra inde oriri maxime probabile est.

De epilepsia, prout id malum, auctorum consensu fere communi, sub nomine idiopathico & sympathico cognitum sit, satis dixisse videamur; sequitur igitur ut de quadam alia hujus morbi specie, cui, si quis idiopathicae verae nomen dabit, haud inepte id fiet, nunc quaedam dicenda.

Haec species ab ipsâ nativâ nervorum constitutione debili & infirmâ pendet, & puellis teneris, foeminisque delicatis maxime fami-

liaris est: Hinc fit, ut ob levissimas res in tremores agantur musculi, & praeter voluntatem artus se convulsos exhibeant.

His omnibus, praecipue si obesae, frigidae, & melancholicae sunt temperationis, conveniunt medicamenta antihysterica & antiepileptica dicta, amara, chalybeïa, equitatio, &c. si vero ad indolis hecticae naturam potius accedant, tunc lac asininum bibendum bis terve quotidie praebere opportunum erit, adjunctis ut plurimum spiritus cornu cervi guttis paucis, & dum haec fiant, idoneis intervallis, interponenda sunt & parca tantum portione assumenda medicamenta jam antea memorata, usque dum robustiores evadant.

Dignoscitur autem haec species a prioribus, eo quod nullo non tempore hujusmodi imbelles, seu viros, seu foeminas aggreditur, quoties ab inexspectato quolibet eventu licet levissimo, hisce animis incidat metus aut terror.

Hujusmodi vero ordinis quotquot sint, quibus tales adsint nervi natales, pulsum habent celerem & debilem, & ab exinanitionibus in pejus ruunt, nisi parcae admodum, potius quam modicae instituantur. Hujus autem rei ratio, ut mea fert opinio, hoc fundamento nititur, nimirum, acrimonia & tenuitate magis, quam lentore, & crassitudine, plerumque pollere humores, & revera hanc ob causam, ut opinor, evenit, quod lac asininum & similia lenientia & demulcentia adeo ad ea proficere possint, quae in hisce morbis curandis inprimis quae-

quaerenda ſunt, ut huic medendi rationi prae caeteris omnibus ſemper erit gloria palmae.

Tetanus.

Pag. 40. l. penult. *Validiſſima convulſio.*] In ſede autem hujus mali invenienda, non raro accidit, multum lucis adducere nervorum tabulas. Etenim ſi aliquid irritans vel ex dolore, gravitate, &c. in nervi progreſſu vel ejus ramis ſe non manifeſtet, malum in cerebro vel ſpinali medulla haerere valde probabile eſt. Sin autem in ipſis nervis quodammodo laeſis, revera adſit earum diſtentionum cauſa principalis, integram ſanitatem denuo revocandam vix expectare fas eſt; niſi ipſi parti male affectae applicari poſſint medicamenta manu chirurgi, cui rariſſime datur tuta poteſtas. Tentanda interea ſunt ea in morbo comitiali nuper propoſita, praecipue ulcera arte excitata, malo patenti quam proxime poſita, ut & fotus anodyni, ſi forſan horum ope leniatur dolor (qui hoc in caſu neceſſario acerrimus eſt) aut materies foras tendere ſollicitetur, & tandem evacuari poſſit.



CAPUT III.

De insania.

Pag. 43. l. 16. *Alterum cum furore & audacia.*] Pulsus interea nec magis nec aliter de recto deflectere solet, quam quod aliquanto obscurior est & contractior, propter, admirandam plane aridam fibrarum fabricam, non tamen fortis, durus, & creber est ut in morbis inflammatione conjunctis. Urina parce & restricte admodum excernitur, crassam tamen naturam, saepe & valde mucosam possidet.

Pag. ead. l. 17. *Alterum cum tristitia & metu.*] His praesertim signis se manifestat, scilicet adsunt pulsus tardus, obscurus, contractus, vigiliae perpetuae, ut & vel maestitia & taciturnitas obstinata, oculis in unum objectum defixis, vel loquacitas de rebus horrendis, spectris, diabolis, irâ divinâ, omni spe abjectâ poenis aeternis, aliisque similibus. Secretiones quae per alvum, vesicam, cutis meatus, & caeca spiramenta fieri debent, more prorsus insigni minuntur, adestque vultus plerumque torvus, color pallido-fuscus, maxime autem cum per lentos gradus talis inductus fuit in aegrum morbus.

Pag. ead. l. 20. *In maniam saepissime transit.*] Signa,

Signa, quae denunciant hunc morbum melancholico brevi accessurum, sunt vigiliae contumaces, aut somni brevissimi, insomnia turbulenta, curae & sollicitudines animi, molestiae, proclivitas ad venerem solito major, pollutio nocturna frequens, oculi cavi in selectam quandam rem pertinaciter defixi, & atroci aspectu, aliquando quasi raptim in adstantes conversi, praeceps & frequens iracundia sine justa data causa, assuetarum exinanitionum suppressio, fletus aut risus praeter rationem & consuetudinem, & nunc loquacitas fere assidua, nunc taciturnitas meditabunda.

Pag. 49. l. 28. *Quas exinanitiones ferre possit.*] Quanquam haec cautio ab auctore peritissimo data nunquam non observatu digna est, tamen in hac calamitate, non minus est medici officium, principem insaniae causam sedulo perquirere, ut hâc semel cognitâ, apta dein instituatur medendi ratio: Exempli gratia, si ob mensium defectum ortus sit morbus, exhibenda sunt remedia, quae menstrua promoveant, aquae acidulae, quibus ferrum insit; alvus iterum atque iterum catharticis potionibus subducenda est, interea interpositis subinde balneis tepidis ad umbilicum usque porrigentibus, & detracto iteratis vicibus, quantum opus est, sanguine ex Saphaena, deorsum dirigendae sunt & humorum & medicamentorum vires.

Ut haec autem omnia fauste proficiant, diu in his persistendum est, augendo vel diminuendo

do copiam tum horum, quae humores attenuant & emendant, tum illorum, quae evacuant, prout abeant, redeant, varientque symptomata.

In menstruis autem ciendis, illud porro monendum habeo, quod prae caeteris medicamentis valet Borax, qui cum attenuantibus & calefacientibus, vel refrigerantibus & resolventibus, pro habituum differentia, commode dari potest.

Quo melius haec fieri debeant, ex parte exponam; nimirum, si ex vigiliis assiduis, tristitia, acri studio, aut similibus causis ortus sit morbus, ad contraria sensim deducendus est aeger, exhibitis simul iis remediis, quae humores diluant, leniant, & eorum crasin particulatim emendent, alvum laxent, somnumque inducant.

Porro si febri male sanatae, causaeque calidae humores inspissanti, tribuendus sit morbus, aperientibus blandis, sero lactis, lacte asinino, aquis mineralibus, balneis tepidis, ex aqua & lacte comparatis, aliisque ejusmodi, diluendi sunt humores, interpositis simul salibus neutralibus dictis, & non raro refrigerantibus & subacidis.

Pag. 50. l. 12. *Ex vena jugulari.*] Morbus hic ut plurimum largas & repetitas sanguinis missiones postulat, & praemissis iis ab autore jam jam memoratis, feliciter aliquando detrahitur sanguis ex vena saphaena. Hoc vero fere

fere semper fieri debet ad lipothymiam, aegro stante, vel erecto corporis situ sedente, aliter raro satis laxantur vasa cerebri.

Pag. 50. l. 18. *Vomitus.*] Non raro autem accidit, quanquam largissimae exinanitiones, vel venis incisis, vel vomitu peracto, factae fuerunt, valde tamen furere perstare maniacos.

Ad feroces hos animos compescendos, saepe mihi compertum fuit, non parum profecisse medicamenta, quae aegritudinem Ventriculo induxerunt, eâ tantum copiâ, & repetitis vicibus assumenda, ut loco vomitus hunc affectum gignant, & alvum leniter cient; huic autem fini consequendo, mihi in usu fuit exhibere, quarta vel sexta quaque hora, hujusmodi misturae cochlearia duo aut tria. ℞. Rad. Hellebori nigri, Tartar. solub. ana ʒii. Fol. Senae ℥ss. Decoque cum aquae pur. ℔i. ad colatur. ℥x. dein add. Oxymel. Scillit. ʒiii. Syrup. e Spin. Cervin. ʒvi. m.

Pag. ead. l. 24. *Haemorrhoidum in viris.*] Si maniacus conqueratur de dolore Intestini recti, vel in furore hunc locum scalpendo designet; statim summâ deditâ industriâ tentandus est Haemorrhoidum fluxus, admovendo scilicet hirudines, injiciendo clysmata, & suppositoria, quae Aloës vim habent, aliave ejusmodi.

Pag. ead. l. antepen. *Valentiora plerumque medica-*

dicamenta.] Si forsan propter aridum astrictumque nimis fibrarum habitum, non respondeant cathartica, quotidie in balneum tepidum demittendus est aeger usque ad hypochondria, atque in eo per horam manere oportet, quamprimum autem votis annuat alvi purgatio, dein parcius adhibendum est balneum, ne succedat hydrops.

Pag. 52. l. 18. *Quae ad humorum vitium emendandum.*] In medicamentis huic scopo inservientibus exhibendis, singularis semper humorum pravitatis cauta habenda est ratio, verbi gratia, si vigeat acidum ab alcalicis gradatim assumptis petenda sunt dissolventia, si praedominet alcali ab acidis, aut saltem subacidis, si lentor glutinosus iners, a dissolventibus acrioribus, qualia sunt gummi ammoniacum, sagapenum, asa foetida, helleborus niger, & alia ejusmodi.

Pag. ead. l. 24. *Et Camphora.*] Hujus medicamenti vires adversus morbos maniacos plurimum valuisse, experientia fida, comprobatas habui; easque aliquando successu prorsus singulari coronatas notavi. Oblata igitur hac occasione, modum, quo Camphora maniacis utiliter exhibenda sit, hoc loco exponere, haud alienum esse videtur.

E. G. Cum ad maniacum inter exordium mali visendum venisse mihi contigisset, sanguinis missionem, pro furoris & virium ratione sa-

satis largiter instituendam, dein potionem catharticam formâ hujusmodi componendam & extemplo hauriendam esse curavi. ℞. Infus. Sen. commun. ℥iii. Nitr. purific. aut Tartar. vitriolat. ʒi. Pulv. Jalap. ℈ii. Mann. ℥ss. m. Hujus autem potionis Cochlearia quatuor, secunda quaque hora, haurienda maniaco praebere convenit, usquedum succedat alvi copiosa dejectio. Hac autem exinanitione finita, in balneum tepidum, inguinibus tenus, demissus fuit aeger, ibique per horam manere coactus fuit; postero die repetita fuerunt omnia praedicta.

Si ne sub his quidem quies ulla facta sit, tum maniaco valde furenti vesperi dedi devorandum bolum ex Camphorae drachma dimidia & conservae Lujulae, Malvae, aut fructus Cynosbati drachmis duabus confectum. Hac nocte, non sine admiratione, aliquando vidi maniacum dormientis speciem paululum exhibere, minus insanire, & madore leni corpus habere perfusum. Die proximo ab eo, de industria curavi Alvum perquam moderate liquandam, balneum repetendum, & Camphoram ut antea vesperi assumendam esse. Sub his inceptis faventibus, hac nocte raro spes mea me fefellit, quin id, quod maxime expetiveram, contingeret; scilicet, ut aegrotum, paulo plus dormire, minusque, furere, & madore, ut antea dictum est, perfusum conspicerem. Die insequenti, illud porrò confidenter monendum habeo, ut sanguinis missio & balnei simul usus

quo-

quo quo pacto renovari deberent. Alvo interea laxâ servatâ, vesperi omissus erat bolus, eumque cum Camphorae scrupulo uno compositum alternis tantum noctibus exhibere, ut plurimum mihi mos erat, atque hâc solâ medendi ratione fretus, mentis furibundam alienationem indies adeo evanescere observavi, ut aliquando intra tres septimanas maniacum ad sanitatem tam mentis quam corporis feliciter fuisse restitutum, comperi.

Attamen non obstantibus exemplis quibusdam faustis, me ipsum, proh dolor, confitentem habes, omnia saepe contra ac dicta sunt, evenisse, & Camphoram & Artem ipsam nihil profecisse.

Pag. 52. l. 26. *Quam ipsum opium.*] Medicamenta, quibus Opium insit, caute in hoc morbo exhibenda sunt, eo quod caput gravant, & somno finito, vel horum ope non conciliato, ut saepe accidit, furorem augere solent; ideoque ea tam diu differre convenit, donec praemissis exinanitionibus, de quibus, ut supra, ante omnia instituendis praecepta dedi, aegrotum minus furere pateat.

Pag. ead. l. penult. *Aegrum balneo frigido frequenter immergere.*] Laudantur fere ab omnibus scriptoribus medicis balnea frigidissime utenda, & profecto sub hujus morbi exitum nonnumquam prosunt, citius autem in curationem adhibita, quam quod facto est opus, scilicet

licet quamdiu minimus vasorum cerebri infarctorum extet metus, periculum facessere potius dicantur. Multo magis beneficii praestant balnea tepida, alternis diebus repetenda, cavendo simul ut erecto situ servetur corpus, eo quod humores acres diluunt & emendant, fibras laxant, a capite revellunt, & ad somnum conciliandum aptissima sunt.

Pag. 54. l. 26. *Mens ad se rediens.*] Est autem alia mentis insanae species, licet à nostro autore oblita, a Sydenhamo tamen descripta, quae praesertim eos, seu morbis diuturnis fractos, seu nimiis exinanitionibns perpessis exhaustos aggreditur. Hi autem aegri puerorum more propter res prorsus leves & nugatorias lachrymas fundunt, & nonnunquam nullà datâ causà iterum in risum excitantur more mulierum hysterica affectione laborantium. Quam ob rem, ut mihi videtur, potius pro desipientiâ quadam quam insaniâ habenda est haec valetudinis imbecillitas, & de hac re mihi dubium non est, utpote sananda est cibis aromate conditis, potu vinoso & medicamentis corroborantibus dictis, praecipue ferrugineis & cortice Peruviano.



CAPUT IV.

De angina.

Pag. 56. l. 3. *Anginae varias ſpecies.*] Vera anginae idea ab impeditione vel dolore in cibis & potibus devorandis & hauriendis petenda eſt, illa autem faucium affectio, quae reddit reſpirationem dolentem à cauſa morboſa ſuperiores Æſophagi vel Aſperae Arteriae partes obſidente, a ſcriptoribus medicis tam veteribus, quam neotericis, nec non & noſtro auctore, angina ſimul appellatur.

Ambae hae ſpecies in alias variis nominibus inſignitas dividi ſolent. Ex his autem quam plurimae, partim aliorum morborum ſoboles ſunt, partim ex mala curatione, vel gradu ipſius mali ſuos ortus ducunt; cujus generis ſunt in primis angina paralytica, quae ſenſus prae caeteris occupat, & oritur à faucium muſculis adeo nervorum reſolutione affectis, ut officiis ſuis fungi nequeant, angina hyſterica, quae aſtrictioni ſpaſticae debetur, & aegros hyſtericos & hypochondriacos obſidet, angina indurata, quae locum habet, quoties inflammatio, ob malam curationem, vel materiae obſtruentis craſſitudinem, glandulas faucium ſcirro affectas reliquerit; vel quoties nulla praegreſſâ inflammatione obſtruantur illae pituitâ

tuitâ glutinosâ, ut strumosis sit, & quibus ob frigus contractum anginam advenire pervulgata res est.

His denique adjicienda est angina illa, quae sanie tenui mali odoris, dolore, & punctione comitata est: Haec plerumque ortum suum habet a faucium glandulis, quae prius scirri naturam prae se ferebant, nuper autem cancro se occupari tristia signa edere inceperunt.

Pag. 56. l. 6. *Non satis pro morbi natura dilucide.*] Loripedem rectus derideat, quis autem, licet parum in historiâ medicâ versatus, nostrum autorem de aliorum scriptis obscuris querentem patienter tulerit, cum periculosi hujus morbi symptomata omni modo tam varia, curationemque tam variam postulantia, nec dilucide nec utiliter satis, ab ipso tradita sunt.

Pag. ead. l. 11. *Glandulae distenduntur & tumefiunt.*] Quo minori incommodo aeger cibum & potionem devorare potest, quo minus intercluditur spiritus, eo minus periculi, ut & quo plus in conspectum veniat pars affecta, quae tumore, inflammatione, aliisve ejusmodi signis se manifestet, eo plerumque levior morbus, & curatio facilior, ob facilem medicamentorum applicationem; & proinde Anginâ cum tumore externo raro mali ominis, nisi forsan a mole ingente vasa larga comprimente oriatur malum, vel strumosae aut saniosae indolis sit tumor.

Ista autem anginae species quam noster auctor nominavit primam, ponit partes affectas ingenti aggestu materiae serosae vel pituitosae obstructas & impletas, ex quo fit ut tumore pallidioris coloris distendantur, quam si his vera inflammatio contigisset. Interea quamvis & cibi devoratio & respiratio aliquatenus impediantur, tamen in officiis suis peragendis obtuse tantùm dolent partes affectae. Haec species illis quidem familiarior est, qui obesi, pituitosi, cachectici & hydropici sunt corporis habitus.

Pag. 56. l. 12. *In altera tonsillas occupat inflammatio sine perfecta suppuratione.*] Haec species, aliquando partem affectam ad suppurationis, imò aliquando ad gangraenae conditionem adducens, cognoscitur adesse febre, ab ipsa accessione valde acutâ, pulsu valido (nisi multum laborent aspera Arteria, aliaeve partes respirationi inservientes, quo casu debilis & creber est) oris & oculorum vultusque totius rubore, dolore in comedendo & devorando, vel respirando plus minus aucto, pro gradu febris, nec non & inflammationis, quae partes huic vel illi operi, & officiis fungendis assignatas invasit.

Ut proclivitas autem in suppurationem non benignam, vel etiam in gangraenam prohibeatur, tota consistit curatio in cita solutione inflammationis, ita quidem, ut aliquando sanguinem ter quaterve in viginti quatuor horis detra-

trahere, eodemque die venas imam linguam percurrentes aperire, & validam alvi purgationem instituere, coactus fuerim. Sin autem aeger nihil devorare queat, clysterum ope sollicitanda est alvus, ut sat liquanda fiat.

Vesicatoria etiam imis colli vertebris apposita, & aperta servata, non levia praebent auxilia, ut & eorundem pone aures, & inde ad humeros applicatio, eo modo, quo optime à parte affecta fiat humorum derivatio.

Interea assidua gargarizatione opus est, ne à respiratione frequenti partes aridae & durae evadant. At in hoc remedii genere adhibendo, melius est, aegrotum perpetuo fere tepidum gargarismum in ore tenere & expuere, ut ejus ope madescant fauces, quam (ut mos est) fortiter in ore agitare; talis enim motus dolorem excitat, & inflammationem auget.

Si parum doleant partes, & pituitâ lenta tantum obstruantur, ut in specie aquosa dictâ non raro accidit, ablutio valida melior est, quippe pituitam solvit & exprimit.

Nihilominus autem, ita res interdum fert, quod inflammatione non sat cito resolutâ fit partis affectae suppuratio, interea dum haec contentione magna agitur, tumor partis sensim increscit, atque in summas angustias, & vitae discrimen, ob periculum suffocationis, aegrum inducit.

Hic morbi status cognoscitur adesse transitione doloris acuti in obtusum, pulsu molliori, horrore vespertino, aliisque puris gene-

rati ſignis, & praecipue ore ipſo inſpecto, & probe examinato, quippe circa tonſillas plerumque ſitum eſt malum.

Ideoque ſi in conſpectum veniat pars, depreſſâ linguâ ſcalpello tundatur, ut exitus pateat materiae purulentae, ſimulque ut brevior & tutior aperiatur via, qua fauces ad priſtinum habitum revertantur.

Multum equidem ad hanc rem confert, eas gargarizare medicamentum hunc in modum parato, quod ex ejus uſu in hujusmodi morbis ſat abunde iterato, haud parvas habere virtutes, mihi bene notum eſt.

℞. Decoct. Pectoral. cum Aq. Calc. ppt. ℥xiv. Tinctur. Myrrh. ℥i. Alumin. uſt. ʒi. Mell. Roſar. ℥iſs. m.

Si vero conſpici nequeat tumor, & tamen propter morbi durationem, & ſuppurationis ſigna, eum ſuppuratum eſſe pateat, tuſſi, vomitu, aut ſternutatione, excitatis concutiendus eſt, quorum impetu poſt aliquas horas, plerumque rumpetur abſceſſus. At his non valentibus, aegroque in tantas anguſtias perducto, ut inde immineat immediata ſuffocatio, reſtat ſola Bronchotomia.

Pag. 56. l. 13. *Et indureſcunt.*] Duri glandularum tumores, ſcirri dicti, eam anginae ſpeciem jam proxime memoratam multo ſaepius, quam aquoſam ſequi ſolent, praecipue ſi pluries redierit morbus. Sin autem diu maneat talis glandularum pravitas, ſublatâ penitus ſae-

ſaevitie inflammata, applicetur gulae emplaſtrum ex Ammoniaco cum Mercurio, aliudve ſimile, & commodum erit Mercurium dulcem ſublimatum per duas treſve noctes exhibere, & poſtero die alvum ducere, ea ratione quâ ferant vires; talemque purgationem alternis hebdomadis repetere, atque in ejus intervallis bis quotidie devorandus eſt bolus qui Cinnab. Antimon. Sal. Polychr. ana ℈i. Gum. Guiac. pulv. a granis v. ad ℈ſs. habeat, ſuperbibendo cyathum ex decocto Lignorum Guiaci, Sarſaparillae & Glychyrrhizae. Ulcera etiam pone Aures, ſub Occipitio & Scapulis manu chirurgi excitata aliquod boni afferant.

Sin vero his modis non ſolvatur, ut ſaepe accidit, tonſillarum durities, quin ab harum tumore, & vaſorum adjacentium compreſſione fiat frequens ad morbum recurſus, tum vel cultro vel cauſtico medicamento ex locis ſuis exterminandae ſunt hae partes durae.

Pag. 56. l. 14. *Illico fit Gangraena.*] Si autem pede tam cito feſtinet malum, ut irritis omnibus in Gangraenam ruant partes morboſae, id periculum his ſignis clare indicatur. Faucium dolor intenſus, calor fere urens, ruborque ſplendens, caeteraque Phelgmones ſymptomata jam antea expoſita, inopinato, & ſine cauſâ idoneâ, mitioris indolis larvam induunt, dum revera omni momento temporis, in deterius mutatur morbus.

Tonſillae enim, parteſque vicinae, quae

paulo ante tensae, ruberrimae, succi plenae, tumidae, renitentes, apparebant, nunc repente flaccidae, siccae, inaequales, pallidae, fuscae, livescentes, & quasi combustae evadunt. Pulsus interea ordine toto deficit vacillatque, quibus superveniunt Tendinum subsultus, Extremorum rigor, sudor glutinosus subfrigidus, anxietas summa, oris spuma, sensus hebetes, tardi, lethargici, & non raro mentis alienatio quaedam, quae praecursorum fidelium instar, mortem inexorabilem ad fores festinantem accedere annunciant.

Ex dictis satis certum constare arbitror, qualia sint symptomata, quae Anginam summâ inflammatione conjunctam ab ejus accessione, usque ad exitum in Gangraenam desinentem, comitantur.

De his igitur satis, nunc apte atque ordine, de aliâ hujus morbi specie, à priori longe diversâ, nonnulla breviter animadvertere aggrediar.

Est enim ea Anginae species, quae cum illis a nostro auctore in hoc loco expositis, potissimum convenit; & cum verisimillimum videtur, hanc a nullâ aliâ causâ deducendam posse, quam ab aëre circumfuso, & alicujus rei contagione quâdam inquinato, haud improprie Anginae contagiosae nomen meretur.

Hic morbus nemini mortalium parcit, prae caeteris tamen infantes, foeminas molles, desidiosas, juvenes tenellulos, virosque laxos otio & crapulae indulgentes adoritur.

Inci-

Incipit verò more Anginae praedictae, plerumque verò horrore leniori, & frigore mitiori. Febris autem, quae subsequitur, licet minus acuta, & minori inflammatione conjuncta sit, nihilominus praeter ordinaria illa nauseae, vomitus, aestus, rubedinis, sitis, linguae albidae, fuscae, & inquietudinis symptomata, semper fere vultum inflatum, animi defectiones saepe recurrentes, dolores Capitis graves, seu vertigine stipatos, Cervicem rigentem, & haud ita multo post, tumidam longè conspicuam, cunctisque notabilem, plus minusve comites habet.

Interea id animadvertere oportet hanc febrem paroxysmorum mores & consuetudinem, ut plurimum imitari; licet enim ex symptomatibus praemissis, nonnulla per totum diem aegrum excrucient, tamen vesperi & per noctem acriora instant, & se periculosius exacerbata sentiri faciunt, quae crastino mane, obortis glutinosis, olidis sudoribus, quodammodo allevata videntur. Obrepit autem omni horâ malum, jamque his occurrunt faucium ardor mordens, Tonsillarum, Uvulae, partiumque vicinarum tumores rubro splendentes, molles, inaequales, Emphysematis instar tumentes, & speciei potius inflatae, quam vere inflammatae signa prae se ferentes.

At nihilominus dum haec fiunt, observatu dignum est, hujusmodi aegrotos minori incommodo respirationem & quod devorandum sit, conari, & perficere, quam ratio & symptomata suadeant.

Interea Anxietas Praecordiorum continuo crefcit, Refpiratio devenit fufpiriofa, Vox veluti ex Gutture venereo ulcerofo raucum quiddam clangens prodit; & in hoc rerum ftatu diem circiter tertium, aut quartum, nunc ferius, nunc ocyus efflorefcentiae, quales Eryfipelati communes funt, aut Oftri inftar fplendentes, Cervicem, Humeros, Artusque fuperiores occupantes, Exanthematibus mali moris faepiffime conjunctae, fefe oculis fubjiciunt: His aliquando furtim anteit, ut plurimum autem fuccedit cita & inopinata Tonfillarum, &c. detumefcentium facies, infidiosâ quidem fymptomatum quorundam remiffione fociata; Faucium quippe color vividus, coccineus in fufcum & cineritium mutatus, & Glandulae ibidem fitae, ftigmatibus albis per omnem eorum ambitum difperfis obfitae, indubitata Gangraenae praefentis periculofiffimae indicia praebent.

Porro tam rapido curfu nonnunquam fertur hic morbus putridiffimus, ut poft aliquot horas ab ipfo incurfu, circa tonfillas & pofteriores Faucium partes, quaedam ftigmata apparuiffe noverim, quae ut ut albo-flavis Abfceffuum fimplicium Apicibus aemula effent, acu tamen chirurgico pertufa, fe finceras Carnis emortuae effe Efcharas demonftrarent, & proh dolor, folummodo ulcerum fanioforum, malignorum, fpeciofa tegmina, introrfum nil nifi turpe ineft.

Hinc ille Faetor oris cadaverofus, hinc illi Halitus contagiofi, hinc denique illae Fluxiones

nes acres, ſurſum & deorſum omnia membra & viſcera depaſcentes.

Praemiſſis his, propriam animadverſionem deſiderare videtur altera Anginae contagioſae ſpecies, quae paſſim à Medicis, ſicuti id a noſtro Auctore, malis exemplis inducto, perpetratum videmus, ſine diſcrimine ad poſtremam modò deſcriptam omnino referri ſolet; perperam ſane, alios enim Parentes, alia Jura, atque alia Auxilia agnoſcit; in illâ, de quâ jam ſermo fuit, Angina eſt morbus primigenius, ab ipſo initio tonſillae rubent, dolent, tument, & tandem citius, nunc ſerius in Gangraenam deſinunt: In hâc autem, alia res eſt, quamvis aegrotum a prima acceſſione omnia Febris putridae ſymptomata edidiſſe liqueat, quamvis & plures dies, imo ſeptimanas haec durâſſe certum ſit, nulla tamen interea à cibis devorandis Querimonia, nulla Tonſillarum aut Faucium dolentium ſuſpicio, ne ſimilis morbi veſtigia quidèm ulla adſunt, tandem increſcente morbo, & auctâ putridâ humorum pravitate, Faucium ardorem quendam levi prorſus in muneribus obeundis impeditione conjunctum, ſe primum ſentire fatetur Febricitans. Alia nunc ſymptomata alia trudunt, non ſolum Tonſillae, Uvula, & Fauces ſe in conſpectum dant, maculis albis, fuſcis, cineritiis obſitas, quin oris, aeſophagi internam ſuperficiem ſpeluncis innumeris ſaniei tenuis, faetidae, plenis, ubique ſcatere patet. Continuo ex loco in locum ſerpit virus, viribus-

busque ſimul eundo acquiſitis, partes ſincerae adeo citiſſime in eandem calamitatem cum vicinis deveniunt, ut aegrotum jam medio in diſcrimine mortis verſatum, miſeranda luctantis Animae conamina pati videre minime mirum ſit.

Pag. 57. l. 25. *In Tonſillarum Gangraena.*] Cum medendi ratio hic propoſita Anginae, ſeu ſummè inflammatae, ſeu contagioſae, Tonſillas occupantis, & Gangraenam minantis, haud bene conveniat, nonne ſuſpicari fas ſit, Auctorem aliquâ cum incuriâ egiſſe, omnes has Anginas fere in unam confundendo, licet certae fidei res ſit, ſe adeo inter ſeſe diſſidere atque diſcordare, ut quâ methodo aegrotum una ſpecie laborantem liberaveris, alium alterâ detentum, eâdem ipſâ, ut plurimum e medio tolles; quapropter monita pauca, quae in his morbis medendi magis ex uſu eſſent, hoc in loco ſubjungere, mihi videtur eſſe alicujus momenti.

De Anginâ ſumme inflammatâ antea dictum eſt, porro ſi Praxi, de cujus laudibus tanta cum induſtriâ jactitarunt quidam medici nuperi, adhibenda ſit fides, ex faecundis vini generoſi calicibus petenda eſt Anginae contagioſae ſanatio, ab ovo uſque ad mala clamitant, Io Bacche, huic numini in poſterum cedat Apollo. Quid non? Operta recludit, malignis Faucibus, non minus quam ſollicitis Animis, onus eximit: Medicis hiſce bibulis ducibus, nil deſperandum, ſpes jubent eſſe ratas.

Eſto-

Eſtote Pueri aut Puellae, eſtote Viri aut Mulieres, oh felices ter & amplius, nunc vino pellite morbum. De nugis autem in viam redire tempus eſt.

Imprimis igitur notatu dignum eſt, quod ex Auctoris noſtri conſilio Sanguinis miſſione & Alvi purgatione incipiendum eſt. Haec medendi ratio, ſi urgeat ſimul Dolor Capitis, & rubeat Vultus vel inflatus ſit, procul dubio conveniet, etiamſi ex pulſu tali exinanitione indigere non videatur morbus, aliter Delirium eſt in propinquo.

Pari etiam ratione Pulſui nequaquam eſt fidendum, ſi laboret aſpera Arteria, difficulter enim propter arctatam fiſtulam per Pulmones tranſit ſanguis, ideoque ejus copiam minuere eſt maxime neceſſarium.

Denique in hujusmodi Anginae curatione id maximi eſt momenti, ut medicus perquam diligenter animadverteret, an aegro cutis ſicca & arida, an magno calore conjuncta, an pulſus celer & durus adſint? Rebus enim ita ſe habentibus, hoc quoque monitum pro certo adjicere poſſum, Corticem Peruvianum damnum plane admirandum ſecum attuliſſe, quicquid contra ſuadeant urgeantque triſtes Gangraenae confeſtim adfuturae Minae, neque unquam tutum habuiſſe locum, usque dum morbus remiſſionis, vel potius certa quaedam deceſſionis ſigna dederat.

Ab his autem longiſſime diverſa eſt morbi natura, ubi loco ſymptomatum praedictorum ad-

adſint Oculorum & Faciei pallor, aegritudo Ventriculi, facilis in Animi deliquia Proclivitas cum pulſu celeri & debili, ut ſaepe accidit. Omittendae nunc omnino ſunt Sanguinis Detractio & Alvi Purgatio, & earum vice exhibendus eſt Vomitus, atque eo peracto, ut quiete, viriumque refectione quadam patiatur aeger, danda ſunt Cardiaca & Anodyna.

Praeterea, quamprimum id fieri poteſt, Decocto Pectorali, adjunctâ Oxymellis ſimplicis q. ſ. frequenter colluendae ſunt Fauces; & creberrime haurienda eſt potio Riveriana dicta, additis ſimul Pulveris e Contrayervae compoſitae, pulveris Corticis Peruviani, vel ejus Extracti, aut Confectionis Cardiacae granis quibusdam, ea ratione, quâ poſtulent vires.

Hac curationis viâ per diem unum alterumve procedendum eſt, donec videatur, quae ſit natura mali, ſummumque quid ejus. Si enim ex faucibus atque tonſillis inſpectis, aliisve ex ſymptomatibus praedictis imminentis Gangraenae adſint indicia, ſtatim omnis tentanda res eſt, quâ vires vitales & humores circulantes ad ſtatum naturalem inſtaurentur, eodemque tempore non minus cavendum eſt, ut materiei putri, ſanioſae, tutus concilietur exitus, ne vel ejus mora in Ulcuſculis faedis, Partes vicinae ſincerae trahantur, vel ex ejus ſuctu per Vaſa reſorbentia peſſima accendatur Febris.

Cum vero ex prava conſtitutione morbi talis virium inſtauratio & humorum emendatio uno im-

impetu non expectandae ſint, ideoque etiamſi medicamenta Cardiaca, Diaphoretica & Antiſeptica dicta, omnino dare neceſſe ſit, qualia ſunt Radices Contrayervae, Serpentariae Virginianae, Cortex Peruvianus, Confectio Cardiaca, Acidis Vegetabilibus aut Mineralibus ſociata, tamen ex his mitiora eligenda ſunt, & ſenſim ad fortiora progredi oportet, donec quantum poſtulent vires ex ſymptomatibus planius pateat.

Praeterea, ut natura ulteriorem Gangranae indolem aut progreſſum impedire, & ſimul mala inde nata expellere proritetur, conſulto nitendum eſt, ut Gula, ſeu potius tota Cervicis Regio pannis laneis, ex Decocto Foliorum Scordii, Abſinthii, Florum Chamaemeli, cui Aceti portio decima admiſceatur, calidiſſime expreſſis, per horam dimidiam foveatur, & dein ut ſuperimponatur Cataplasma ad hanc normam praeſcribendum.

℞. Farin. Semin. Lini in aq. commun. coct. S. A. ad idoneam conſiſtent. ℔iſs. Theriac. Andromach. ℥iv. Acet. optim. ℥ii. m. f. Cataplasma.

Sexta quâque horâ repeti debent & Fotus & Cataplasma.

Dum haec fiunt, Veſicatoria pone aures ponenda eſſe nequâquam praetermittendum aut negligendum eſt, ſuper haec etiam, & ejusdem generis Emplaſtra Colli Vertebris, Brachiis, Carpis, Femoribus, & Suris, eo ordine & ratione admovenda ſunt, quibus natura

in

in hoc morbo diriſſimo plerumque langueſcens, vires ad ſeſe rite exerendas idoneis acquirere queat, ſin autem hiſce ſtimulis parum profeciſſe videamur, at e contrario, ex ſtupore aut torpore, cum pulſu celeri, debili, inaequali aut intermittente, vires vitales plus & plus deficere pateat, tum profecto capiti deraſo emplaſtrum veſicatorium acre ſimul imponendum eſt.

Frequens Gargarismi emollientis, detergentis & antiſeptici uſus, & aliquando ſyringis ope in infantum os & fauces caute injecti, per varios hujus morbi curſus requiritur, ita quidem, ut urgente materiae tenuis & acris aut ſanioſae copia, ſingulis vel alternis horis repeti debeant tales faucium ablutiones, & praecipue priusquam ipſi aegroto vel medicamenta vel nutrimenta aſſumere permiſſum ſit, ne ſimul cum iis, vel in ſtomachum deſcendat, vel late ſerpendo aſperam Arteriam aut Aeſophagum male afficiat, vel preſſura cruſtarum in venas recipiatur putridum virus.

Hoc per totum morbi curſum adeo ſedulo obſervandum eſt, ut ſe gargarizare, & caput erigere, vel efflagitatu vel vi cogendus eſt aegrotus, ipſo ſomno ſubinde de induſtria fugato.

In acidis etiam exhibendis notandum eſt, quod infantes, mulieres lautae, & delicatiſſimae, ſenes infirmi, aut cachectici, virique etiam molles, deſidioſi non pauci, ſe dapibus & pulpamentis paſcentes, acida male ferunt, &

& morſu aut dolore ventriculi & inteſtinorum ab iis aſſumptis laborant; licet modica tantum copia exhibeantur. Cum his itaque perparva portione incipiendum eſt, & revera primam ſemper guſtare debet medicus, ob varias horum medicamentorum vires, quae ſub eodem titulo in officinis ſervantur.

Alvus interea vel ſubducenda vel conſtipanda eſt, prout poſtulent febris & aegroti vires; hujus enim praecepti ſemper memorem eſſe medicum oportet, quod caeteris paribus, quo debilitas major, eo minus laxanda eſt alvus. Sin autem ex delapſu humoris acris, purulenti, in inteſtina, excitentur dolores colici, non prorſus improbanda ſunt ea, quae alvum leniſſime moveant, qualia ex Manna, Rhabarbaro, & ſimilibus petenda ſunt; finita autem alvi ſubductione, lenia anodyna ſtatim exhibere utile eſt.

Eadem res, meo ſaltem judicio, in tali caſu tutius fit, ventrem emollientibus clyſteribus laxando, Diarrhoea enim nequaquam excitanda eſt, at profecto cane & angue pejùs vitanda; quippe hujus vi nimis exhauriuntur humores, nimisque exſiccatur & debilitatur aeger; imo à ſanioſa materia deglutita, tanta ſaepe inteſtinis infertur injuria, ut inſanabilis aliquando inde producatur ventris fluxus, modo colliquans, modo dyſentericus, hoc vero raro accidit, niſi ſub morbi deceſſione; ſin forte triſtiſſimus ejusmodi caſus ſe coram medico

F

dico fiftat, prae caeteris valeat Decoctum in hunc modum praefcribendum.

℞. Radic. Chin. Sarfaparill. C. C. C. ana ℥i. Gummi Arab. ℥ifs. Cortic. Cinnamom. pulver. ʒiii. Aq. puriff. ℔iii. Decoque ad ℔ii. & dein Colaturae adde Sacchar. albifs. ℥fs. m. f. Decoctum, cujus Cyathus frequens, prout res exigant, dandus eft; vel fi validioribus auxiliis opus fit, adjiciendum eft aliquod ex Mithridatio, Theriaca Andromachi, Electario e Scordio, aut fpecie e Scordio cum vel fine Opio, & fimilibus. Experientia enim faepe comprobavi parum valere Aftringentia fortiora, quippe Inteftina laefa horum vi ad dejectiones frequentiores ftimulantur.

Ex ufu autem funt Clyfteres huic propofito idonei, bis vel ter quotidie immittendi, fcilicet.

℞. Jufcul. Vitul. ℥vi. vel ℥viii. Mucilag. Sem. Pfyll. Cydonior. ℥ii. Electar. e Scord. ℥fs. m. f. Clyfter. Vel.

℞. Gum. Arabic. ℥i. folve in Jufcul. Vitul. ℥vi. & add. Electar. e Scord. ℥fs. m.

Cum remedia incraffantia dicta apud medicos hodiernos nullo funt in honore, & jam exolefcunt, eo quod ventriculum aggravare, vaforum lacteorum ofcula obturare, & fpiritum anguftum difficilemque reddere dicuntur, mirum forfan videatur, me haec tanti feciffe; at profecto in hoc, atque aliis hujusmodi morbis putridis, ea non exigui fuiffe emolumenti affir-

affirmare haud vereor. Humores enim acres tum diluunt, & obtundunt, tum acidis assumendis, quae in hisce febribus mali moris necessario postulantur, optimum praebent tutamen, ne eorum usu nimis stimulentur intestina: Hoc quidèm incommodum adeo hujusmodi medicamentis praecavendum est, ut remedia acida, quae in corrigenda humorum putredine saniosa, sibi ipsis Palmae gloriam profecto arrogant, multò majori copia assumi possunt, quam si cum solis aquosis potionibus exhiberentur.

Interea sit Victus ex Avenae, Hordei, aut Oryzae jusculo, cum vini Rhenani, Montani, vel Canariensis pauxillo.

Vetat enim morbi Indoles, ut Diaeta tam tenui tractandus sit aeger, ac si summâ inflammatione laboret; omnibusque autem concedi debet liquidorum lenium viribus quassis reficiendis & symptomatibus demulcendis aptorum copia grata.

Curatio Anginae contagiosae secundae speciei, licet magna ex parte, cum iis, quae jam proxime exposita fuerunt, conveniat, tamen has differentias, notatu proculdubio dignas, recipit.

Imprimis aegri hoc morbo laborantes Emplastra Vesicatoria male ferunt, quae vel ex toto omittenda, vel multo minus audacter sunt admovenda; eorum vice autem, si virium languor postulet, utilissime supplent Sinapismi.

In hoc autem trifti cafu, Remedia, quae ad fequentem normam confecta fuerunt, prae caeteris omnibus mea vota ad bonos exitus ducere folebant, augendo vel diminuendo omnium aut fingulorum copiam, prout poftulent aegrotantium aetas & ftatus & res.

℞. Summitat. Rorismarin. Flor. Lavendul. recent. ana ʒii. Radic. Contrayerv. Rad. Angelic. ana ℥fs. Gum. Arabic. ʒvi. Aq. commun. bullient. ℥xii. poft macerationem in vafe claufo, liquorem frigefactum cola, & adde Vin. Croc. ℥iii. Acet. Vin. alb. ℥ifs. (feu Elixir. Vitriol. acid. q. f. ad idoneam aciditatem) Syrup. Croc. ℥fs. f. miftura, cujus exhibenda funt Cochlearia quatuor tertia vel quarta quaque horâ.

Sin autem his non cedat morbus, fed propenfio ad Gangraenam potius incrementum capere, & corpus fudoribus vifcidis diffluere videantur, ad fequentia confugere neceffe fuit.

℞. Ligni Guiaci rafi drachmas duas, Corticis Peruviani in pulverem triti fefcunciam, Aquae communis libras duas; decoque ad libram unam, dein adde Radicis Serpentariae Virginianae in pulverem contufae unciam dimidiam, Foliorum Scordii manipulum unum, Tincturae Cinnamomi ℥ii. poft macerationem in vafe claufo per horam unam cola.

℞. Infufi colati fefcunciam, Confectionis Cardiacae, vel Damocratis, vel Electarii e Scordio fcrupulum unum, vel Theriacae Andromachi fcrupulum dimidium, Kermes Mineralis

ralis a grano dimidio ad grana quinque vel ſex, Syrupi Croci drachmam unam miſce fiat Hauſtus, quartâ vel ſextâ quaque horâ ſumendus. Horis autem intermediis decoctum ſequens ad uncias duas ſingulis vicibus aſſumi debet.

℞. Radic. Chin. Sarſaparill. Santalor. Citrin. ana ℥ſs. Gummi Arabic. ℥i. Aquae commun. ℔iſs. & coque ad partes dimidias, dein cola, & adde Aceti Vin. alb. ℥iſs. vel Succ. Limon. recent. ℥i. Aquae Cinnamom. Spirit. ℥ii. Syrup. Croc. ℥i. miſce.

Si malâ fortunâ Kermes Mineralis deficiat, ejus loco ſubſtituendum eſt Vinum Antimoniale, ea ratione, qua Ventriculus id ſine nauſea ferret. Sin autem in his eligendis optio aliqua ſit, & poteſtas, primum locum proculdubio tenere debet Kermes Mineralis, utpote tutius & felicius votis reſpondens.

Hac vel ſimili medendi ratione, forſan usque ad morbi exitum, ſaltem ad ejus criſin, quod tempus pro certo determinari nequeat, pergendum eſt, attentâ interea adhibita obſervatione, haec omnia adeo caute & cogitate fieri, prout ea aegri viribus & febris conſtitutioni ſint maxime congrua: Nimirum, ſi adſit debilitas nimia, Cardiacis, Antiſepticis & Stimulantibus ſuccurrendum eſt, ſi urgeant vigiliae & inquietudines, anodyna addenda ſunt, ſi, plusquam par ſit, ſaeviat febris, augenda eſt Acidi copia, quod cum Cardiacis moderatis & obtundentibus commiſceri debet; ſi pro ſymptomatum ratione clauſa nimis ſit Alvus, immitta-

tur Clyſter, quo rejecto ſtatim danda ſunt Anodyna lenia; ſi è contrario nimis ſoluta ſit, exhibenda ſunt remedia idonea ex Electario e Scordio, Theriaca Andromachi, & ſimilibus, ut antea monitum fuit; non tamen prorſus obſtipanda eſt Alvus, ſed tantum moderanda Diarrhoea, ne vires nimis exhauriat.

In illa autem Anginae ſpecie, nec non & febris putridae prole non minus exitiali, quae pulſu celeri & debili, ſudore glutinoſo largo & ferè perpetuo: Capitis & Pectoris regiones praeſertim occupante, reſpiratione ſuſpirioſa, & cruore miſſo minus aequo cohaerente, comitata eſt; medicamenta Cortice Peruviano praecipue conjuncta, & libere exhibita, interpoſitis nonnunquam quibusdam ex praedictis, mira prorſus feciſſe comperi.

Finem his imponam, poſtquam monuero ulcera ſanioſa & cruſtas emortuas, iisdem fere remediis internis & externis, ac in priori ſpecie modò recenſitis, ut plurimum indigere, auctis, ſolummodo in pleriſque caſibus, acidi copiâ ſeu viribus, utpote, non ſolum contra partis ſingularis, ſed adverſus acrem putremque totius corporis habitum ſtrenuo pugnandum eſt. Etenim adſtantis medici haec Ars, atque hic labor erit, utinam & his unitis certae aegrorum ſaluti conſulere poſſit.

Pag. 57. l. penult. *Vulneribus ſatis profundis ſcalpello incidere.*] Cruſtae hae emortuae vix ac ne vix quidem ſcalpello aut exedentibus vel adu-

adurentibus medicamentis tractandae sunt, talis enim medendi ratio rarissime tutum locum habet, & plus nocere quam prodesse solet, nisi maxima cum cautione, & levissima manu adhibeatur, quando naturâ annuente, & quasi viam monstrante, resolutiones & purgationes mortuarum a partibus vivis jam semel inceptae talia auxilia desiderari indicant. Neque parvi interdum est momenti diligentissimam adhibere curationem, ut fauces jam in plurimis locis nudae, exulceratae, & valde sensiles factae, nunc gargarismo emolliente, nunc & vaporum, ex eodem bulliente, inspiratu, subinde foveantur, & linctu mucoso contra omne acre & irritans, quantum fieri potest tutentur.

Pag. 57. l. ult. *Adjecta mellis Aegyptiaci aliqua portione.*] Tantus aliquando adest in Tonsillis & Faucibus putris humor, ut ab hoc remedio, licet bene excogitato, opem satis opportunam obtinere frustra expectet medicus, sat bene, at non sat cito movet; interea contagio ulcerosa Labem in vicinas partes integras raptim dat, & dabit in plures; quapropter mihi diu in usu fuit ad hujusmodi misturam promptissimi auxilii gratiâ, confugere, quae rarissime spes meas fefellit. ℞. Mel. Rosar. ℥vi. Tinctur. Myrrh. ℥i. Balsam. Peruvian. ℈i. Spt. Sal. Marin. ab gut. decem ad quinquaginta vel sexaginta. Misce.

Hujus guttas quasdam ope Penecilli in crustas immittere sufficit, quod iterum atque ite-

rum, prout exigat occaſio, repeti debet, nec minus ſtudii ac operae impendere oportet, ut ſubinde in fauces introducantur linctus molliſſimi mucoſi, quae ulcerum ſordes abluere, & dolores ſedare valeant.

Pag. 58. l. antepen. *Strangulatio faucium.*] Hic morbus licèt ſolo ſtrangulatu ſe prodere dicatur, tamen febris valde acuta, & dolor capitis magnus ut plurimum ſeſe comites huic addere ſolent. Unde non mirum eſt, aegrotos hac anginae ſpecie laborantes, niſi ſummis tractentur exinanitionibus & citiſſimis, miſero cruciabilique exitu perire.

Eſt autem alia hujus morbi ſpecies, quae a medicis ſocio dignatur honore. Haec quidem non a vaſorum conſtitutione firmâ ſtrictave nimis, ſed ab eadem laxa nimisque debilitata ortum profecto ducit. Haec autem angina, alia eſt quam ſimulat, & plerumque aegros diuturnis morbis exhauſtos aggreditur, & mortem fere ſemper praenunciat, vix unquam ſanantur hi aegri, his porro unica ſpes ſalutis futurae, in medicina diaetetica, remediis mucoſis & dolorem ſedantibus conjuncta, ponenda eſt.



C A-

CAPUT V.

De morbis pectoris.

De Asthmate.

Pag. 60. l. penult. *In gravissimam dyspnoeam sunt delapsi.*] Haec differentia adeo notabilis, Pulmonis sensui plus aut minus tenero, ut vult Auctor, vix adscribenda est. Experientiâ enim satis abunde patet, quod permulti homines robusto & athletico corporis habitu gaudentes, at infeliciter Asthmate quodam laborantes, quamdiu veluti ruris incolae sub atmosphaera serenâ, siccâ, & resiliente vi praeditâ vitam colunt, male se habeant, & paroxysmos asthmaticos saeviores & saepius recurrentes patiantur. E contrario autem, iidem urbanam vitam degentes, atque aërem nebulosum, crassum, carbonum fumis & fordibus omnium generum inquinatum respirantes, ad negotia ordinaria satis alacres & habiles sunt, & vix anhelant.

Ex alia igitur stirpe potius quam propria Pulmonis sensibilitate petenda est hujus discriminis ratio. Ejus autem origo verissima, meo saltem judicio, iis viribus praesertim debetur, quibus humorum motus & circuitus plus aut minus promoveantur, prout hae diversa aëris

ambientis conſtitutione & temperie diverſimode afficiantur, & incitentur.

Quis enim hodie tam ignarus, qui non novit Vaſa corporis humani ea ratione magis magisque comprimi, qua denſitas aut vis aëris reſiliens augeatur, unde Sanguinis curſus ad Cor, & exinde ad Pulmonem, adeo de die in diem acceleratur, ut tandem fiant humorum ad pectoris regionem major congeſtus, major attritus, atque major calor, quam cum libera pulmonis explicatione convenire fas ſit; ex quibus omnibus evenit, aegrotos aſthmaticis paroxyſmis ſubinde obnoxios, frequentiores & fortiores hujus morbi reditus experire neceſſe eſſe, prout eorum vires circulantis ſanguinis progreſſum plus nimio properare ſollicitentur.

Illud igitur jure haud mirum videatur, quod plurimi anheli rus in odio magno habeant, & quaſi terrore perculſi, pedibus, quadrigisque, apud Lares in urbe ſitos ſe refugere feſtinent, non, ut ſupra exponere conatus ſum, quia tales aſthmatici pulmonem minus ſenſibilem habent, aut acribus vaporum ſphaerae circumfuſi minus offenduntur, & irritantur; ſed quia ſub conſtitutione aëris ampliſſimae urbis tecta ambientis, à molis movendorum circuitu mitiori & tardiori multo minus caloris & attritus in Pulmone excitatur, ita quidem, ut vaſis reſpirationi inſervientibus nihil ſit inde quicquam incommodi.

Quicunque igitur hujusmodi paroxyſmorum immunitatem quandam ſibi ipſis dare vellent, his

his urbana haec vivendi conditio prae caeteris omnibus experienda est; utpote ad omnia ea munera, quae profectò ad pulmonem usque pertineant, absolvenda & nisu fere naturali perficienda, quam maxime conferret.

Pag. 61. l. 12. *Multiplex hoc malum.*] Quamvis Asthmatis causae remotae inter innumerabilia mala forsan ponendae sint, tamen hae, seu seorsim, seu agmine facto sumptae, in eodem termino conveniunt: Etenim haud alia res agitur, aut inde indicatur, quam quod respiratio evadit impedita & laboriosa, vel quia ipse pulmo laboret, seu ex vitio vasorum, quae ejus compagem constituunt; seu humorum, qui per ejus canales, licet integros, libere transire nequeunt; vel quod fibrae, quae idoneae hujus visceris explicationi inservire debent, non amplius functiones sibi ipsis proprias more naturali perficere valeant. Idcirco vix fieri potest, quin Asthma ad quatuor solummodo species referre oporteat, quatenus hoc malum similem cum Peripneumonia verâ aut adulterinâ naturam participet, aut quatenus partium nonnullarum & nervorum quorundam, respirationi inservientium, resolutioni aut distentioni debeatur.

Veruntamen illud quoque adjungere non inutile erit, quod inter sententias de variis Asthmatis speciebus curandis, haud contemnenda est ea dijudicandi & medendi ratio, quam satis apte instituerunt quidam medici, qui prius-

priusquam se ad hunc morbum curandum accingant, huic potissimum insistunt, ut quaerendo investigent, an Asthma sit continuum, vel recurrens more paroxysmorum, temporibus certis aut incertis, & quicquid horum erit, an sit siccum vel humidum. Nam omnes hae species ipsis suis qualitatibus, seu symptomatibus claris & apertis, non Medico solum, sed cuivis Pharmacopolae adstanti se palam faciunt.

Pag. 61. l. 14. *In sanguinis detractione.*] Pulsus in hoc morbo semper creber est, nonnunquam autem validus, scilicet cum sola laboret Arteria Bronchialis, si vero simul debilis sit, & inaequalis, si facies rubore suffusa, sive inflata sit, semper afficitur tum haec Arteria, tum ipse Pulmo; & proinde gradus mali in hoc morbo non a forti pulsus ictu, ut in quamplurimis aliis aestimandus est, sed potius ex ejus debilitate, frequentiâ & inaequalitate, ratione interea simul habitâ ad difficultatem, quâ spiritus trahitur, nec non & ad pulmonis obstructa vasa, ex quibus fit, ut sanguis in suo transitu ibi sistatur, & debita copia non redeat ad Cor.

Recta igitur curatio sanguinem mittendum esse inter initia postulat, ut diminuta vasorum plenitudine, periculosus pulmonis attritus simul minuatur, licet pulsus arteriarum hanc exinanitionem haud indicare videatur. Secundo maximi dein est momenti, Vomitum elicere, aut Alvum ducere. Prae caeteris enim mortali-

talibus, qui pleni, otiofi, pigri, & pituitofi funt corporis habitus, quorum vafa, praecipue quae pulmonis compagem conftituunt, pituitâ aggravantur, vel quorum fanguis quâcunque de caufâ impetu majori in vafa infarcta propellitur, Afthmati funt obnoxii; & eo plus, fi his addatur Crapula & ingluvies vefpertina, vel frigoris nocturni corpori calefacto applicatio, aliaque fimilia, quae hunc morbum adhuc latentem non raro e tenebris educunt.

Pag. 61. l. 15. *Vomitus etiam.*] Medici non pauci, uti autor nofter & pharmacopoei fere omnes ftatim poft fanguinis miffionem vomitum elicere folent; quod periculofum opus eft, & atro carbone notandum. Nec id temere a me actum effe judicabit quisquam, qui ad ea, quae fub hujusmodi morbi paroxyfmis in pulmone fiunt, animum diligenter adverterit. Nihil enim a pulmone ope vomitus revera ejici queat, prodeffe quidem per accidens poffit talis medendi modus, quatenus concuffu fcilicet pulmonis agitetur pituita, quo minus forfan ad vaforum latera adhaerefcat, unde fpiritus brevi poft, non folum paulo facilior trahitur, quin exfcreatu aliquando educitur pituitae pauxillum; quamobrem fi malum leve fit, & abfit febris, vomitum ciere nonnunquam levamen quoddam attuliffe compertum fuit, fin vero jam inveteraverit morbus, vel penitus fe infederit, & febre fimul comitetur, brevi redintegrato impetu, & tam fortiori quidem, re-

ver-

vertere solet, ut vix ulla erit aegro convalescendi spes, quod omnibus fere accidisse novi, quibus post vomitum cito redierit notabilis spirandi difficultas.

Pag. 61. l. 29. *In ipsis accessionibus.*] Medicamenta, quae hic ab initio exhibenda esse, suasit Auctor, mea sententia, dum magnus adsit anhelitus, parum prosunt; imo quae hujusmodi aegris ad exscreationem tum temporis promovendam, (uti pluribus medicis mos est) haurienda dentur, magis obsunt; nihil enim, rebus sic se habentibus, expuere possunt.

His igitur nugis speciosis nullam debemus adjungere fidem; praemissis autem eâ copiâ exinanitionibus ut antea recensitis, quâ postulet res augusta pectoris; ut id dein quod volumus, consequamur, ea profecto remedia, ex humectantibus, saponaceis, attenuantibus & exscreationem definite promoventibus, eligenda sunt, quae ad humores crassos atque tenaces solvendos, & tussim simul excitandam vires idoneas habeant; nimirum ut his auxiliis (inter quae principem locum tenet *Tartarum Emeticum* aut *Vinum Antimoniale*) allatis, a crassâ & pituitosâ coacervatione liberetur Pulmo.

Cautione tamen hac omnino opus est, ne in medicamentis praedictis exhibendis, talis fiat Pulmonis expletio, qualis aegrotum in suffocationis periculum ac vitae discrimen inferat, & ne medicamenta adeo sint viribus debilia,

lia, ut parum ad fputi fcreatum efficiendum valeant.

Porro fi ex quacunque caufa vacillare videantur vires, admovenda ftatim funt Veficatoria, primo Cervici, & deinde fi opus fuerit, Brachiis, & Femoribus internis paulo fupra Genua.

Ad exfcreationem ulterius promovendam, fpongiam, Aceto acerrimo calido, vel Aceto Scillitico madidam, aut Salium Volatilium parvam portionem naribus, vel ori, per vices admovere convenit, ut vapores inde emiffi in pulmonem recipiantur, vel incumbat aeger pronus in largam pelvim aqua calida impletam, & cui Aceti fimplicis vel fcillitici parvam copiam admifcere oportet. At heu, omnes illi, qui tali fpirandi anguftiâ laborant, ab hujusmodi vaporibus, etiamfi multum boni fecum afferre poffint, obnixe abhorrent.

Pag. 62. l. 15. *Temperamenti aegrotantis, tum ipfius morbi naturae.*] Semper quidem in humoribus folvendis & corrigendis profpicere debemus, ad quod morbi genus prae caeteris inclinet & propendeat aegroti habitus, & remediis indoli maxime idoneis uti oportet, cujus rei unum faltem teftimonium proferre libet, viz. Si afthmaticum calido corporis habitu praeditum calidis medicamentis fanare tentarem, nunquam ex voto fuccedet curatio, increfcent enim tum obftructiones, tum acrimonia, & craffitudo liquidorum, his infuper & peri-

periculum est, ne vel periculosa dyspnoea vel mors inde producatur, & sic de caeteris instituendum est judicium.

Naturalis igitur corporis humani constitutio & fabrica singularis sedulo investigandae sunt, ut pro certo cognoscatur, an morbus fibris astrictis & siccis, an laxis & humidis comitetur, quippe in priori casu, peripneumoniae, in posteriori autem, hydropis aut cachexiae adventus futurus maxime metuendus, & totis viribus arcendus est. Neque de spe aut conatu depelli debet medicus, quippe asthma plerumque symptomaticum se probat, & oritur fere ab omni causa, quâ coacervatio ad pulmonem, & suffocatio humorum ad circulos suos rite conficiendos periclitantur, quales sunt tussis diuturna, pulmonis scrophulae, schirri, cantus, & alia ejusmodi innumerabilia.



CAPUT VI.

De morbis cordis.

Pag. 64. l. 10. *Per exiguum temporis ſpatium.*] Motus cordis regularis non ſolum a palpitatione brevè interrumpi, ſed aliquando per horas, imo per dies totos turbari potius dicatur. Cor enim, nervis ſuis aliquando distentione affectis, non more ſuo vi certâ aequabili coſtas ferit, ſed ictu tremulo, debili, & quaſi undulato celerrimè tamen repetito, ſanguinem ſuis cavis contentum expellere nititur. Quicunque manus pectori & carpo miſeri cujusdam ſub hoc morbo vitam anxiam anhelam trahentis admoverit, rem prorſus ſic ſe habere, dubitare nequeat.

Pag. ead. l. 11. *Ex cauſis admodum variis haec ortum habet.*] Cum Cor palpitare inter omnes conſtat, quotieſcunque ejus vaſa majora & propinqua ad liberum ſanguinis tranſitum conciliandum inepta reddita ſint, omnes hae cauſae, utcunque variae, ad ſubſequentes referri debent. Etenim Cor propriis ſuis officiis, more naturali, fungi nequeat, vel quia ejus vaſa dura & aſtricta, flaccida & reſoluta nimis, vel ſpisſis humoribus nimis farta, vel quia partium

vicinarum tumoribus aut ſpaſmis praeoccupata & impedita ſint.

Haec autem inveſtigare & dignoſcere magno ex uſu erit, quippe his cognitis, conſentaneam medendi, ſeu mitigandi rationem poſtea inſtituere, haud ardua res erit.

Pag. 64. l. 14. *Interdum polypus.*] Ubi polypus hujusmodi locum habeat, hiſce fere ſignis ſeſe prodit. Plus aut minus adeſt cordis palpitatio, quae pulſu veloci, debiliſſimo, ſemper inaequali, ſaepe intermittente, reſpiratione anhelâ, continuâ, & poſt paſtum aut exercitationes, ut ut mites, in deterius vergente, pro certo comitatur.

Peg. 65. l. penult. *Vix autem aliae quaevis exinanitiones.*] Cum in cordis palpitatione, ſanguis ratione quantitatis aut ſpiſſitudinis in primis peccare ſolet, miſſio ſanguinis vix & ne vix quidem a medico praetermittenda eſt; aliae autem, ut ſapienter monuit autor, exinanitiones, veluti, quae ex vomitu, aut alvi ſubductione ortum habeant, prorſus vitandae ſunt, & profecto rariſſime cum aegroti ſalute in hoc morbo adhiberi queant, niſi cujusdam cibi ingurgitati, aut materiei acris, noxiae, venenoſae, in ventriculo & inteſtinis hoſpitantis, indubia adſint indicia.

CAPUT VII.

De morbis ventriculi & intestinorum.

Pag. 67. l. 3. *In morbis Ventriculi.*] Morbi, qui Ventriculo injuriam inferunt, distingui debent, primo in Acutos & Lentos, 2do in eos, qui primo loco hoc viscus laedunt & obsident, vel secundo afficiunt, ut Cachexia biliosa, hydropica, pituitosa, variarum febrium contagia, materies podagrica, ulcerosa, saniosa, aliunde nata, & huc delata, aut appulsa, & similia. Vel 3tio ratione eorum, quae devorari possint, uti sunt omnia propter duritiem vel tenacitatem concoctu difficillima, omnia acria, rodentia, & varii generis venena. 4to ratione Animalium, vel eorundem ovorum, quae cum cibo, potuve assumpta, Ventriculum, tanquam proprium hospitium occupant, ibi se alunt, & sustentant, atque vires omnes sibi inimicas prorsus eludentia, diu voraces, mordaces, & infracti manent hostes. Cujus rei indubium praebent testimonium plurima medicorum scripta, nec non & quae de vermibus, hirudinibus, serpentibus in actis regalis nostrae societatis habeantur. 5to ratione consensus & connexus cum aliis partibus à spasticis nervorum affectibus, aliisque similibus: Exempli gratia, percusso Capite, & prae-

cipue vulnerato cerebro, cibaria in Ventriculo contenta vomitu rejicit aegrotus: similiter aeger passione illiacâ, nephritica, &c. affectus, saepe Ventriculo laborat.

Pari ratione Scirri, Cancri, ad Hepar, Lienem, Pancreatem, & seorsim vel communiter pertinentes, Vesiculam Biliariam comprimendo, corrodendo, vel irritando partes sibi ipsis proprias, multa & gravia mala Ventriculo inferre possunt, & dolorem & vomitum excitant.

Ex quibus perspectis, patet omnes causas particulatim persequi, quibus hoc viscus male afficiatur, nec non & curandi rationem singulis his propriam hoc loco minute proponere, à nostro instituto procul alienum esse. Nihilominus Auctoris brevitatem aliquo modo supplere, qui, ut mihi videtur, nimis perfunctorie munus suum implevit, quosdam Ventriculi affectus perstringam, qui, vel caeteris graviores vel crebriores occurrant, aut qui in aliis medendis facem praebeant.

Ventriculo igitur inflammato primas profectò dare convenit.

Atrox autem hic casus, nisi a rebus acribus assumptis, venenis, translatione materiae podagricae, &c. raro accidit, & plerumque cito necat. Cognoscitur dolore ardente, lancinante, in ipso stomachi loco, insuper & ingravescente, ipso temporis puncto, quo aliquid devoratur, una cum vomitu acerbissimo, statim ab omni assumpto, & frequenti concutiente singultu.

gultu. Adſunt etiam Anxietas circa praecordia, ſumma, & perpetua, Febris acuta, aliaque Inflammationis periculoſae conſimilia ſigna.

Internoſci autem pro certo poſſit Inflammatio Ventriculi a dolore excitato ab acri materie in cavitate ſua hoſpitante: Quippe in priore caſu, febris acuta indubiis indiciis ſeſe prodit, at in poſteriore, vel nulla, vel ſaltem parva adeſt, in priore dein, praecipue augetur dolor eo tempore, quo aliquid ingeritur, etiamſi Aqua tepida vel Decoctum Hordei tantum fuerit, in poſteriore autem, longe alia res eſt, protinus enim a liquore blando ingeſto, acrique materie commiſto, plerumque multum lenitur doloris ſenſus, ſaltem non exacerbatus adeſt.

Cum itaque ex dictis pateat, praeceps exitium à Ventriculo inflammato imminere, non ſolum ſanguinis miſſione ſtatim occurrendum eſt, ſed & pro Axiomate habendum, hanc exinanitionem aeque largam inſtituendam debere, ac in ipſa Pleuritide, eamque quam citiſſime repetendam.

Interea omnia ſimul, quae a Fotuum & Clyſterum blandorum emollientium uſu fere continuo derivari queant, adhibenda ſunt auxilia; diligentiſſime ab omni acri cavendo, praecipue ab iis, quae vomitum eliciant.

In hoc autem praecavendo, prae caeteris proſunt Clyſteres, eo quod inteſtinorum motum deorſum tendere diſponunt, qui in hoc caſu haud raro ſe ſurſum invertere ſolet. Mi-

nime autem Catharticis ore hauriendis tentanda est hujus symptomatis sanatio, quippe horum stimulo augetur Vomitus.

Ad doloris etiam levationem aliquid certi afferre difficillima res est, quippe medicamenta, quibus Opii vis insit, vix tali copia assumenda aut retinenda sunt, ac Doloris atrocitati sedandae satis erunt.

Restat itaque tantum, ut vel Clysterum ope, vel Fotuum externorum hoc fieri potest. Ideoque Alvo, sicut praeceptum fuit, prius subductâ, injiciendum est hujusmodi Enema mane & vesperi; cui, si opus fuerit, addantur Opii grana duo vel tria, vel Tincturae Thebaicae guttae quadraginta vel quinquaginta, non tamen ita ut constipetur Alvus.

℞. Decoct. pro Syrup. e Mecon. ℥iv. Ol. e Mucilag. ʒii. Vitell. Ov. parum, m. pro Clystere.

Sub Fotuum intervallis applicetur Epithema, quale est infra scriptum, cum Panno laneo fortiter expresso, quod saepius, quam alternis horis vix repeti debet, ne ea res aegrotum nimis fatiget.

℞. Decoct. pro Syrup. e Mecon. ℥v. Tinctur. Thebaic. ℥ss. Aquae Alexiter. spirituos. cum Acet. ℥iiss. Misce.

Interea, ne aliquid se notitiae medici simul subtrahat, assiduo advertendum est, haec omnia ita fieri, ut non obstupescat aeger, sed tantum ut tolerabilis evadat dolor. Hoc enim consilio, parum licet repudiato, partem affectam clam

clam Gangraenâ corripiendam fuiſſe mihi detexiſſe contigit, & proinde augenda vel minuenda eſt Opii copia, ea ratione, ut Fotus frequenter applicari, ſimul & Clyſteres injici poſſint, ſine inferendo aegrum in ſtuporem, aut nimiam Alvi aſtrictionem. Ideoque Clyſteres Alvum leniter ſolventes pro re nata, nonnunquam ſine Opio, immittendi ſunt, vel Electarium Lenitivum, aliudve ſimile priori Clyſteri addendum eſt.

Victus in hoc morbo, non ultra bis vel ter in viginti quatuor horis exhiberi debet, & hic tantum ex Decocto Hordei, Sero Lactis, Decocto Oryzae, Juſculisve molliſſimis.

Medicamenta vero, qualia ſunt ea infra expoſita, non ultra unciam unam una vice exhibenda ſunt, ſed ſingulis horis repeti debent; nulla quippe fieri poteſt Solutio Inflammationis, vel in hoc, aliove viſcere, dum in majorem amplitudinem ſe extendi cogatur.

Si hac vel ſimili medendi ratione, & repetita Sanguinis Miſſione conjuncta, ſolvi nequeat Inflammatio, vel in Abſceſſum vel Gangraenam terminabit.

Huic proxime affinis eſt dolor ille moleſtus & mordax, qui ſenſum ardoris in Stomacho excitans, ab humoribus acribus ibidem genitis aut moratis oritur, & aegrotos non raro ad plures annos per intervalla excruciat.

Hi dolores febre immunes ſunt, & cibis aſſumptis plerumque per aliquas horas leniuntur, donec factâ fere ciborum concoctione,

quod residuum sit, acrimoniam variam diverso suo generi conformem acquirit, ventriculum rodit, & dolores vomitumque creat.

His conducit Ventriculum medicamento emetico, & Intestina cathartico, aliquoties modice expurgare, & in horum intervallis exhibere medicamenta, quae Acrimoniae speciei contraria sint. Exemplo rem illustremus. Si ex Ructu, vel Vomitu, Acidum probabilem afferre doloris causam pateat, his aegris Magnesia alba, vel medicamenta testacea pauco Sale Alcalino & Rhabarbaro commista, & aquoso Haustu exhibita, maxima praebent auxilia.

Monendi etiam sunt hujusmodi aegri, ut Alimenta causae contraria, & levioris coctionis assumunt, qualia sunt Juscula ex carne animalium juniorum confecta, carnesque blandae ejusmodi, ut & cibi ex Farinis & Ovis compositi coctique, aliaque innumera.

Nec minus monendi sunt, ut fructus hortenses, crudos, parum maturos, acidos, aut cito acescentes fugiant, vinaque omnia vel omnino recusent, vel parca copia & multa aqua diluta hauriant. Vina enim omnia in Acetum calore Ventriculi brevi convertuntur.

Impetratis hoc modo per satis longum tempus symptomatum induciis, ad Fontes medicatos, praecipue Chalybeios amandandi sunt hujusmodi aegroti, interpositis simul Herbarum amarâ, astringenti, & aromaticâ virtute praeditarum infusionibus, eâ copiâ, quae ciborum

borum concectionem juvent, & Ventriculum non aggravent.

De hoc malo satis dictum arbitror, sequitur ex instituti ratione, ut de doloribus Ventriculi ab acri bilioso ortum ducentibus, pauca notanda sint.

Sub hoc autem ordine comprehendere vellem omnia ista dolorum genera, quae ex humore acri & calido, seu alcalino, rancido, oleoso, seu aromatico, vel vere bilioso excitentur.

Distinguenda sunt more priori, scilicet ructu vel vomitu talis materiae, qualis in ignem injecta saepe flammam concipit, & quae acrimonia suâ amarâ & rancidâ stomachum mordet.

Sanandi sunt hujusmodi morbi, primas vias Emeticis & Catharticis prius expurgando, & dein acida multo liquore aquoso diluta exhibendo, qualia sunt Chrystallus Tartari, Sal Polychrestum, Tartarum Vitriolatum, Tamarindi, Fructus maturi subacidi, Succus Aurantiorum, Limonum, Acetum Vini albi, Elixir Vitrioli acidum, aliaque quam plurima; tandemque ad Aquas praedictas medicatas aegros amandando, ut tum diluatur humorum Acrimonia, tum roboretur Ventriculus.

Raro autem opus est, ut medicamentis amaris, vulgo dictis Stomachicis, tractentur hujusmodi aegri, plerumque enim plus justo calent, unde putrescunt assumpta, priusquam satis in Ventriculo solvantur.

Interdum equidem ob Ventriculi debilitatem, ita res fert, ut hujus generis remediis uti oporteat; quo casu vix fieri potest, quin Decoctum Corticis Peruviani cum paucis Elixiris Vitrioli acidi guttis praesertim conveniat, vel Infusum Amarum simplex iisdem sociatum, ejus vicem supplere potest, vel loco Elixiris Vitrioli exhibenda est mistura ex Salis Absinthii scrupulo uno Succi Limonum semuncia cum medicamentis praescriptis.

His aegris oleosa & pinguia prae caeteris cibis molesta sunt.

Pag. 67. l. 19. *Ventriculo inhaeret pituita.*] Neque ab acribus solis, quin etiam ab omnibus concoctionem eludentibus, & Ventriculum onerantibus oritur dolor, à nulla autem re frequentius, quam à lentae, glutinosae pituitae acervo.

A caeteris Ventriculi vitiis dignoscitur hocce, ejus dolore gravi, & oneroso, satietate, & cibi fastidio, cum sensu farcturae, etiamsi nihil, vel parum cibi aut potionis ingesserint aegroti, & tandem vomitu glutinoso.

Infestat plerumque vel Virgines, quae aut Menstruorum Fluxu impedito laborent, aut Farracea non fermentata, cretacea, aliaque dura aut insolubilia devorasse se consuevere, de quibus suo loco dicam; vel Senes, qui otiose viventes, & Lautitiarum studiosissimi, largius aequo ederunt atque biberunt.

In hujus morbi curatione igitur aggredienda-

da, id primum medico nitendum eſt, ut primae viae vomitu, & alvi ſubductione, pro re nata, repetendis emundentur.

Huic fini conſequendo, caeteris remediis praeſtant ea cum Aloë conjuncta, ut Tinctura Sacra, Pilulae Rufi & ſimilia, niſi ſimul Haemorrhoides adſint, aut ſe certè futuras eſſe indicent, quo caſu minime utenda ſunt, at eorum vice exhiberi debet Tinctura Senae, aliudve ſimile.

Illud deinde omni conatu dignum eſt, ut medicamentis Amaris, Aromaticis, Chalybeïs, Saponaceis, Abſtinentia, & Exercitationibus aptis roboretur Ventriculus, tandemque, ſi his finitum malum non ſit, ad Aquas Bathonienſes, vel de Harrowgate, vel ad Aquas Grani, in hujusmodi morbis profligandis longe praeſtantiſſimas, aegrotum amandare optimum erit.

Vomitus immanis & pertinax, de quo nunc ordine quaedam ex propriis obſervationibus practicis deprompta ſubjungere impellit Animus, definitione non eget. Oritur tamen ut plurimum ab omnibus cauſis paulo ante expoſitis, tum a febrili materia nervos ſtimulante, ut & Affectionis Hyſtericae Oeſtris, & Morbi Hypochondriaci Paroxysmis.

In his omnibus, ſi plurimum ferveat Sanguis, vena ſecanda eſt, deinde lenis proritandus eſt vomitus, vel ope Radicis Ipecacoanhae, vel Juſculi Pulli, Infuſionis Cardui Benedicti, & ſimilium; & tum interpoſita hora una vel altera

ex-

exhibendus est Haustus Riverianus dictus ex Sale Absinthii & Succo Limonum componendus, adjectis simul Tincturae Thebaicae guttis quindecim vel viginti, atque hac medendi ratione aliquando tollitur malum.

Si vero praedictis non cedat, Alvusque astricta sit, immittatur Clyster laxans mane & vesperi, ut deorsum sollicitentur Intestina, frustra enim vomitum tollere conemur, dum Alvus astricta maneat, porro si hoc ita contigerit, validiori stimulo utendum est. Interea prodest singulis vel alternis horis hujusmodi Haustum in ipso actu fermentationis exhibere.

℞. Sal. Absinth. Margarit. ppt. ana gr. x. Succ. Limon. recent. express. ʒii. Aq. Menth. Simpl. ℥ss. Tinctur. Cardam. aut Spiritus Lavendul. c. gutt. xx. vel triginta; Syrup. e Cortic. Aurant. ℈ss. m. f. Haustus.

Applicetur simul Ventriculi regioni Fotus Aromaticus Anodynus per horam dimidiam, & repetatur sextâ vel octavâ quâque horâ, superimponendo sub intervallis Emplastrum ex Theriaca Andromachi, adjectis Olei Caryophyllorum guttis paucis.

Sin autem admodum debiles sint aegri vires, vice Emplastri applicetur Epithema ad hunc modum praescribendum.

℞. Philon. Londinens. ʒvi. Spirit. Vinos. Camphorat. ℥xii. Acet. Vin. optim. ℥ii. m. f. Epithema, quod calidum applicandum ope Panni lanei, & quoties exsiccaverint, denuo ut prius admovendi sunt.

In

In nutrimento exhibendo conveniunt sola Juscula tenuia, eaque parcâ copiâ & saepe assumenda, sedulo evitando omne acre, & praecipue ejus generis, quo Ventriculus in vomitum cieri videatur, vel quod Nauseam excitet.

Medicamenta Opii vim habentia plerumque singulis noctibus, & nonnunquam saepius exhibenda sunt; cavendum est autem, ne tantâ copiâ simul ingerantur, ut inde fiat aegritudo, vel vomitus, quam ob rem ea, parca tantum portione, & frequenter exhibere melius & tutius est, quàm eandem copiam una vice ingerere, nisi adeo saeviat malum, ut inde vasorum ruptio timeatur. Exempli gratia.

℞. Theriac. Andromach. gr. x. Extract. Thebaici gr. unum; Syrup. e Mecon. q. s. m. f. Massa in tres Pilul. formanda, quarum una sumenda omni hora, vel hora dimidia, usquedum obrepat somnus. Nihilominus in vomitu enormi Opium simplex sine quovis liquore devorandum exhibere, & pro re nata repetere maxime convenit, tali quippe more assumptum difficilius vomitu rejicitur.

Quamvis autem hujusmodi medendi ratione vel tollitur, vel plerumque levatur malum, sedulo tamen perpendenda est materies e Ventriculo rejecta, scilicet an acida, biliosa, vel glutinosa sit, quod partim conspectu materiae viridis, flavae, vel pituitosae, partimque narratione aegri dignoscendum est; & pro hujus ratione medicamenta exhibere oportet, qualia

sunt

ſunt iis conſentanea, quae paulo ante ad Ventriculi dolores ſanandos multum contuliſſe memoravimus.

Si humor igitur indolem bilioſam participet, vel febre quadam putrida laboret aeger, detur Elixir Vitrioli acidum cum Tinctura Thebaica ad hunc modum.

℞ Tincturae Thebaicae drachmam unam, Elixiris Vitrioli acidi drachmas tres, f. miſtura, cujus guttae quindecim aut viginti cum liquore quodam tenui dandae ſunt; vel hujus vice exhibeantur grana quaedam ex Chryſtallis Tartari, vel Sale Polychreſto, & ſimilibus, adjecto ſemper veſperi anodyno. Quamprimum autem vomitui finem facere liceat, Ventriculum roborare oportet modis, & remediis ſupra expoſitis.

Quamdiu urgeat vomitus, cathartica medicamenta exhibere raro convenit, quippe Ventriculum irritando Emetica fiunt, ſi vero talibus uti prorſus neceſſe ſit; dentur ea, quae materiae irritanti maxime ſunt adverſa, eaque exiguâ copiâ & ſaepiſſime repetenda.

Si vomitus in pravam & aſſiduam conſuetudinem cadat, dein non minus convenit Rhabarbarum manducare, & ſenſim devorare, ut placide & leniter deorſum ducantur, & ex primis viis ſimul evehantur humores. Neque nihil ad ſanationem confert Cochleare unum Tincturae Rhabarbari vinoſae vel ſpirituoſae omni nocte, ſeu quotiescunque opus ſit, haurire.

con-

Conqueruntur ſaepe Mulieres de Ventriculi dolore, os ejus ſuperius circa Diaphragma vexante. Morbus hic haud raro ex Theae, & ſimilium potuum calidorum tenuium nimio uſu oritur.

Quibus is vitae genus fuit, gradu quodam inflammatur haec Ventriculi pars, & exulceratur, raro autem ſanatur.

Proſunt multùm teſtacea, humectantia, mollia, tepida aſſumpta, qualia ſunt Pulv. e Chel. Cancr. comp. Julep. e Creta, Decoct. Chinae, Lac Aſininum, &c.

SECTIO I.

Alvi ſtuxus.

Pag. 68. l. 3. *Ventris fluxus.*] Cum quamplurima monita, quae tam ad Inteſtinorum, quam Ventriculi morbos rite curandos pertineant, a noſtro Auctore ſimul praetermiſſa fuerunt, inſtituti ratio poſtulare videtur, ut de his quoque pauca proponerem.

Morbi autem, qui Inteſtina & Ventriculum afficiunt, maxime ſunt congeneres & conſentanei, & eandem fere patiuntur diviſionem, ſcilicet in acutos & lentos. 2do. in proprios & ſibi ipſis peculiares, vel ſymptomaticos, prout primo ſeu ſecundo loco horum tunicis injuriam inferant. 3tio ratione cauſae dolorem

lorem excitantis, qualia ſunt acria, rodentia, dura, inſolubilia & venena. 4to ratione animalium ibi hoſpitantium. 5to ratione connexus & conſenſus cum aliis partibus, ſeu ejus generis ſint morbi, qui nervorum detentiones & artus convulſos gignant, ut in Colico aut Hyſterico dolore ſaepe fit; ſeu qui inteſtinis nimis relaxatis pendeant, unde inertia evadant, & ſtimuli naturalis vel factitii haud ſatis ſint ſenſibilia, ut in Paralyticis non raro videre eſt.

Ob ſimilem fere rationem fieri interdum novi, ut Meſenterii, Lienis, Hepatis moles contra naturam aucta, nec non & Scirri & tumores omnigeni, per has partes plus aut minus ſparſi & diſſeminati, comprimendo vel irritando Inteſtina, eorum tormina multum augere, vel ſiſtere poſſint.

Huc etiam ſpectat materies purulenta, bilioſa, acris, melancholica, ab Hepate, Pancreate, vel Liene expulſa, & in has partes inducta, quae dolores, Inflammationes, Diarrhoeas, Dyſenterias excitando varios morbos efficiunt.

Ad primum ordinem proculdubio referendus eſt morbus acutus, qui Cholera nuncupatur, & dicitur adeſſe, quandocunque tum Inteſtina, tum Ventriculus ipſe, adeo muſculorum Abdominis & Inteſtinorum ſpaſmis comprimuntur & irritantur, ut contenta ſua ſurſum & deorſum valido & quaſi perpetuo conamine neceſſario expellenda ſint.

Quamvis a Sydenhamo ſummis laudibus dignis-

gniſſimo, in menſem Auguſtum tantùm hic morbus relegatur, idque praecipue propter fructus hortenſes, hoc tempore & aeſtate praecedente, largâ manu ingeſtos; nihilominus pura puta hujus morbi conſtitutio & origo vix hiſce cauſis, tribuenda videtur. Multos enim invadit hic morbus, qui carnes fere ſolas ederant, & rariſſime hujusmodi guſtaverant fructus, & hos, haud minus quam eos, qui tales fructus avide voraverant.

Neque huic menſi peculiaris eſt Cholera, licet in hoc & Septembre prae caeteris oritur. Novi enim quamplurimos hoc morbo correptos fuiſſe in omnibus anni menſibus, maxime vero, quandocunque aëris ambientis temperies tepida, vel calida, ſubito in contrariam mutata fuerit.

Interea nemo hoc neſcit, aërem Auguſti & Septembris menſibus, reſpectu habito caeterorum tempore meridiano, plus incaleſcere, mane autem & veſperi, majori ratione plus frigeſcere, & proinde cum Ἔκπνοον καὶ εἴσπνοόν ἐστιν ὅλον τὸ σῶμα, id quod divinum ſenem medicorum principem non latuit, & quod hodie inter omnes conſtat, fieri non poſſit, quin ex praedictae tempeſtatis affectionibus, quae quotidie adeo inter ſe diverſae extant, tantamque in hac re agenda varietatem efficere valeant, creberrima & aptiſſima febri excitandae detur occaſio; cujus materies in ventriculum & muſculos abdominales rejecta, enormes hos vomitus & inteſtinorum cruciatus gignit.

Quinetiam ex singulari consensu, qui inter glandulas in cute & superficie corporis, atque eas in ventriculo, intestinis & abdomine sitas obtinet, haec omnia ulterius illustrata & satis confirmata habentur.

Utcunque autem res se habeat, omni ratiocinatione seposita, symptomata & medendi ratio, quae Cholerae propria, haec sunt.

Ingruit enim hic morbus plerumque cum horrore, accedentibus simul vomitu enormi, torminibus, & gemebunda Alvi dejectione. Pulsus aliquando celer, aliquando parvus & inaequalis est. Haec symptomata tanta vi haud raro saeviunt, ut aegrum in viginti horarum spatio interimant.

Curatio postulat missionem sanguinis, & ut largis haustibus Decocti Pulli, Hordei, Avenae, iisque creberrime repetendis eluatur ventriculus; tum ut similium Clysterum frequentium ope, tam contra acrimoniam muniantur intestina, quam materies acris foras exeat, dato postea anodyno, seduloque evitando omne acre, tam sub morbi curatione, quam symptomatum triduo vel quatriduo inclinatione, aut prorsus decessione.

Neutiquam enim haec cautio negelctui est medico, aliter, & haud infrequenter hunc morbum novi adeo proclivem se recrudescere, ut sudoribus frigidis, animi deliquio, &c. equidem teneretur aegrotus: Solo Opio & Cardiacis moderatis in hujusmodi rerum tristi constitutione impetrandae sunt induciae, do-

nec

nec vires aliquatenus reficiantur, & dein commoda Clysterum humectantium ope, caeteris omnibus posthabitis, sanandus est morbus.

Haec de Cholera iis sufficiant, qui magnam ejus affinitatem cum morbis ventriculi paulo ante enumeratis, & iis intestinorum jamjam successuris comparare non gravabunt.

Pag. 68. l. 4. *De illo loquor, qui sine Febre est.*] Ἡ δέρματος ἀραιότης, ἡ κοιλίης πυκνότης cutis raritas, ventris densitas & vice versa inquit Hippocrates, quippe libere perspirare in omnibus ventris doloribus, exceptâ nimiâ alvi astrictione, plurimum confert, hoc autem in dejectionibus & spasmodicis intestinorum affectibus praecipue respiciendum est, utpote in priore, revulsionis more opem fert, in posteriore, tum fibrarum & vasorum compagem laxat, tum humores abunde derivat.

Pag. ead. l. 6. *Cum sola autem cita alvus exercet.*] In hujusmodi morbis convenit ventrem probe tectum, pedes, & crura tepide servare, aliter vix morbi reditum praecavere valebit medicus. Novi aliquos praesertim crassos, obesos & helluones quosdam concinnos, quibus cochleare unum tincturae rhabarbari singulis vel alternis noctibus assumptum, multum commodi attulit. Omne hoc genus hominum, nisi ciborum reliquiae, alvo quotidie respondente, extrudantur, male se habent, &

H 2 prae-

praecipue molesto ventris fluxu vexari solent.

Dysenteria.

Pag. 68. l. penult. *Primum sanguinem mittere expedit.*] Frustra curationis optatam metam contingere studebit medicus, qui in hujus morbi tentatione & rodente impetu, venam una vice tantum incidendam esse contentus imperabit. Etenim dum vires vitales eam sinant, deinceps repeti debet missio sanguinis, ratione diligenter habita torminum ventris, & ani, & duritici pulsus, quae hunc morbum insigni more comitantur, & veluti signa, quae pathognomonica nuncupantur, eum a quocunque alio per alvum fluxu clare distinguunt.

Pag. ead. l. ult. *Vomitus utilissimus est.*] Emeticum medicamentum lene, quale est Vinum Ippecacoanhae exhibere, & Jusculo avenaceo aut vitulino largiter dein ordine epoto ventriculum expurgare decet, & convenit; at hoc opus ter quaterve tam cito repetendum, plus damni, quam boni secum attulisse, ut plurimum expertus sum. Nunquam enim, me auspice, in hac via pertinaciter persistendum est, ne saeva haec intestinorum tormina, à quacunque demum causa oborta sint, in funestam inflammationem ruant.

Ideoque adversus haec admodum periculosa mala per longe tutius iter proficiscetur medicus, si Emeticis, Cardiacis, atque iis, quae ex

Anti-

Antimonio & Hydrargyro tanto ſtudio & labore acquirenda ſunt, nec non & Aſtringentibus ſepoſitis, omnis in hoc ſit, primò quidem, ut ſanguis pro ratione virium & doloris detrahatur, dein ut Apozematum, nunc Enematum ope, quae ex medicamentis humectantibus, emollientibus, mucoſis, atque oleoſis, componi debent, nunc lenibus Catharticis & Anodynis, quae haud parca manu aut copia, prout ſymptomata poſtulent, interponenda ſunt, Inteſtina eluantur, Alvus ſubducatur, & dolores ſedentur. In his enim & Miſſione Sanguinis rite & ſedulo adminiſtrandis tota prima Dyſenteriae curatio vertitur.

Si opportuno horum auxilio, feliciter conſequamur, ut per quatuor vel quinque dies, tormina tandem pacata perſtent, Faecibus interea indolis melioris more naturali ſimul egeſtis, dein ne recurrant dira dyſenterica mala, exhibere oportet leviſſima aſtringentia, amara, aromatica & balſamica, ea ratione, quâ praeſenti virium conditioni & aegri corporis habitui maxime ſint idonea, interpoſito debitis intervallis Carthartico leniſſimo, & huic negotio peracto, ſemper ſuccedere debet Anodyni modica & tempeſtiva exhibitio. Inter haec remedia, Electarium e Scordio, Pulvis e Bolo compoſitus cum vel ſine Opio, Cinnamomum, Coneſſi, Simaruba, Cortex Peruvianus, Radix Columba, Radix Quaſſi, Rhabarbarum, Lignum Tinctorum Campechenſe, Balſamum

Gileadense, Balsamum Anodynum prae caeteris palmam praeripiunt.

Si quando haec aut similis medendi ratio, seu ex inscitia, seu ex incuria praetermissa fuerit, non raro aegrotis, qui hoc molestissimo morbo imprimis correpti, & demum pro convalescentibus habiti fuerunt, contigisse novi, ut his ipsis Dysenteria chronica dicta furtim supervenerit; malum vere dirissimum, & quod miserrimis suis tormina febrilia, maciem, & mortem; nec non & medico opprobrium saevum, ut plurimum adfert.

Nec meliora, dum res sic se habeant, sperare liceat, utpote intestina speluncis innumeris minutissimis oculorum aciem fere effugientibus, sanie tamen refertis semper inquinata extitisse, militum in Nosocomiis castrensibus hoc morbo peremptorum sectio mihi abunde comprobavit.

Pag. 70. l. 1. *Quae membranas exulceratas conglutinent.*] Quidquid boni ominis ex hujusmodi medicamentis praesagiat Auctor, nihilominus sanare Abscessum in Ventriculo genitum, dictu quam factu facilius est. Etenim tot & tanta metuenda mala inde minari, haud infrequenter expertus sum, & quae etiam ex ore aegri, quasi expulsa, & oculis subjecta fidelibus, sese palam facerent, ut medicum in hujus morbi curatione prosequenda, oleum atque operam demum perdidisse, ne mihi mirum foret.

Cu-

Curatio autem, quae mea vota nonnunquam in hoc trifti cafu feliciter explevit, haec eft.

℞. Terebinth. Chiae ʒi. Sperm. Cet. ʒſs. Vitell. Ov. q. f. Ol. Amygdal. dulc. recent. exprefs. ℥i. Syrup. Balfam. ℥ſs. Conterantur in mortario ad perfectam unionem, & dein gradatim affund. Aq. Calc. ℥xii. & fimul terantur ut f. Emulfio, cujus dandum eft Cochleare unum omni hora.

Interea maxime quidem ad rem pertinet, ut Jufculis folis molliffimis fuftentetur aegrotus. Hoc infuper in cafu Lac faepiffime malo nomine notandum, quod in omnibus fere aliis morbis ulcerofis internis quam maximè prodeft. Aliquando Infufum leve Radicis Confolidae ex Aqua bulliente fat bene fungi queat vice & officio Aquae Calcis, quocum adjectis caeteris, eodem modo fiat Emulfio.

Sin autem, feu aderit multum Caloris hectici, feu balfamica & oleofa more praefcripto exhiberi non poterunt, dein fiant Pilulae ex Balfamicis leniffimis, quae fimul cum Infufo praedicto fint devorandae. Exempli gratia.

℞. Terebinth. Chiae ʒſs. Sperm. Cet. ʒi. Pulv. Oliban. ℈i. Myrrh. pulv. gr. x. Syrup. Balfam. q. f. m. f. maffa, cujus ℈i. affumendus eft ter die idoneis intervallis.

Pari etiam medendi ratione curandus eft Abfceffus, qui fupernas Inteftinorum partes occupet, at heu rariffime convalefcunt hujusmodi morbidi. Sin vero in inferioribus fieret fuppuratio, ita ut Clyfteribus eluenda & pur-

ganda esset pars affecta, talem abscessum ad sanitatem perductum novi, scilicet.

℞. Terebinth. commun. ℥ss. Ol. Lini ℥ii. Vitell. Ov. recent. ʒii. Conterantur in mortario, dein gradatim affunde simul terendo S. A. Aquae Calcis ℥vi. f. mistura, bis in viginti quatuor horis, Syringis Clysterisantis ope, in Anum injicienda.

Hoc forsan sufficiat, si indolis benignae sit Pus, si vero tenue sit & mali moris, addendum est Balsamum Sulphuris Terebinthinatum ab drachmis duabus ad unciam dimidiam, & immittendum est hujusmodi Enema more praescripto.

SECTIO. II.

De ileo.

Pag. 70. l. 8. *Vehemens intestini inflammatio.*] Inter notas hujus morbi certissimas praesertim numerari debent tormina cum dolore acutissimo ardente, fixo, rodente, pulsu duro & febre acutâ consociata, alvus clausa, vomitus assumptorum citius vel tardius, prout superius vel inferius haereat malum. Dignoscitur autem pars intestinorum affecta partim situ doloris, partimque vomitu, si enim prope pylorum fiat inflammatio, hora dimidia, aut circiter redduntur ingesta, si ileon occupet, dolore

lore acerbiſſimo, fixo, ad umbilicum excruciantur aegri, ingeſta diutius retinentur; & alvus nihil reddit. Si vero torminibus laboret colon, paulo poſt, vel faeces deponit vel crepitum reddit alvus, & ſic de caeteris dignoſcitur. Evenit autem tam in hoc morbo, quam in omnibus inteſtinorum doloribus, ut a quolibet deglutito protinus fere increſcit, dolor, quippe ab aſſumptis in motum cientur inteſtina, dolor autem nephriticus poſt liquoris blandi asſumptionem ut plurimum potius miteſcit.

Pag. 70. l. 11. *Et larga copia ſanguinem detrahere.*] Pulſus, ut jam notavi, perpetuò durus eſt, miſſio tamen ſanguinis non ſemper pro hujus duritie eſt moderanda, efficit enim hic morbus debilitatem citam, qua falluntur ignari, & ſaepe calefacientia iis aegris exhibent, quibus imprimis ſanguinem mittere omnino intereſt, & proinde mittendus eſt ſaeviente dolore, etiamſi arteriae pulſus ulteriorem exinanitionem vetare videatur; niſi adfuerint ſigna praeſentis Gangraenae, quo caſu morbus deſperatus eſt, & frigida mors inſtat crebris ut plurimum ſingultibus Ilia pulſans.

Tali quidem aegro nec prodeſſe nec obſtare poteſt ſanguinis miſſio, ſed cum recens ab illa peracta morietur aeger, eumque a medico fuisſe jugulatum credent ſpectatum admiſſi.

De ſanguinis igitur copia detrahenda nil certi ſtatui poteſt, niſi quod hic morbus aeque largam citamque hujusmodi exinanitionem poſtulat, ut alii morbi inflammatione periculoſa con-

juncti, ne Pleuritide & ipsa Cynanche exceptis.

Pag. 70. l. 15. *Et vomitionibus rejiciuntur.*] Si una cum dolore adsit Vomitus, nunquam promovendus est Emeticis, inde enim augetur malum, nisi fiat ab acri quadam materie statim assumpta, cujus pars aliqua in ventriculo adhuc manere merito judicetur: Hoc autem casu, Jusculo Pulli, similive liquore ejus expulsionem tantum leniter adjuvare oportet, & dein si Alvus astricta sit, omni arte moliendum est, ut laxata fiat. Sicut enim in Vomitu, si Alvus clausa sit, Vomitum nunquam sanabis, ita & hoc etiam in casu dum perstet Vomitus, Alvus fere semper occluditur, eaque occlusa, vel Vomitum, vel Intestinorum Inflammationem tollere, frustra laborem suscipies.

Pag. ead. l. 20. *Anodyna etiam necessaria sunt.*] Revera omnino necessarium est ut anodyna, non solum semel, sed etiam bis, terve quaterve in die, prout postulet doloris saevities repetantur. Fibris enim prius tensis, nunc horum ope laxatis, multo magis certi votis respondebunt clysteres. Hoc enim a me usu compertum habeo, clysteres, interposita saltem horâ unâ vel alterâ post assumptum anodynum injectos, suscepta sua munera blande perficere potuisse, quos paulo ante immissos, anodyni autem ope destitutos, ne minimum quidem

dem retentos, atque operâ infectâ extemplò redditos saepissime vidi.

Pag. 70. l. 20. *Cum Purgantibus mista.*] Non incongruum est sane, medicamenta, quae somnum conciliant, ipsumque Opium purgantibus mista exhibere, ut sub alvi subductione leniatur dolor.

Hic tamen medendi modus, nisi maxima cum cautione, nequaquam adhibendus est; saepe enim ex ejus usu adeo exacerbantur symptomata, ut multos aegrotos inde ad mortem trusos fuisse mihi profecto persuasum est.

Pag. 71. l. 1. *Usque dum dejectionum satis fuerit.*] Huic medendi rationi, si non prima vice, saltem aliquoties pro re nata repetendae, ut plurimum spes optima adest; unum aut alterum quidem novi aegrotum, qui, irritis omnibus praedictis ad hanc rem remediis, alvum ex toto suppressam habebat, nihilominus arte & opera, quae ad sequentem modum institutae erant, faeces exoneravit.

Primum ope Syringis idoneae immittebatur Clyster ex Vini Antimonialis unciis tribus, dein mihi proxima fuit cura, ut inferior Abdominis pars, praecipue circa umbilicum, linimento, quale est infra scriptum, simul inungenda esset.

℞. Medull. Colocynth. ʒi. Ol. Olivar. ℥i. m. & coque leni igne, donec medulla crispari videatur; dein, massa adhuc calente, cola.

Uni-

Unitis horum viribus tam interne quam externe largitis, paulo post successit fausta alvi dejectio. Interdum & pari virtute fumum Tabaci in Clysteris vicem, per aliquod tempus, in Anum injecisse, mihi in usu fuit.

Illud denique hoc loco haud improprie adjungendum videtur, quod in Ileo desperato minime praetermitti debet Praxis apud de Haen in ejus rationis medendi parte Octava memorata, utpote hujus ope, usuque simul Machinae Clysterisantis nuper in Italia excogitatae Iliacos aegrotos, praesente jam Vomitu Stercoraceo, integrae sanitati brevi restitutos fuisse non dubitare licet.

Pag. 71. l. 3. *Argentum vivum bibendum praebere opportunum erit.*] Hydrargyrum, idque largâ copiâ assumendum laudant medici, & aliquando datum novi, nunquam tamen me praesente votis respondebat, sed moriente aegro transivit sine faecibus hydrargyrum.

Pag. ead. l. 14. *Inflammationi subveniat Gangraena.*] Signa imminentis Gangraenae, imo & jam praesentis sunt dolosa symptomatum remissio, herclè certò nulla, sudores frigidi cum delirio, pulsus debilis, frequens, intermittens, dejectiones foetidae, fibrarum & strigmentorum speciem exhibentes, sanguinolentae instar Loturae Carnium, vel nigrae & cadaverosae, quae cum imminentis mortis signa sunt, opem medicam non admittunt.

Nar-

Narratur autem, ni fallor, in Actis Regalis nostrae Societatis de quodam Pecudum Medico, qui Bovem Sphacelo Intestinorum laborantem, curatione ad hunc modum adhibita, morbo eripuit. Abdomen scilicet in Latere subter Costas nothas cultro aperuit, ita ut manum inter intestina immittere, atque totum eorum tractum perscrutare potuerit, paulatim partem, qua fixum reperiebatur malum, extraxit, porro simul ac eam Sphacelatam esse ad cubiti longitudinem invenit, hanc statim exsecuit, & adductis finibus sanis in siccum Cicutae Stamen, (Anglice loqui a Kex) cujus cavitas flatibus transeuntibus viam praeberet, consuebat. Paucis horis dein elapsis, ex eadem narratione patet Bovem Stercora ejecisse, posteroque die caulem cicutae expulisse, & cito postea integre convaluisse; ita quidem, ut non tantum labores usitatos sufferre valeret, quin longo post tempore pinguis factus Lanio consignatus esset.

Refert etiam iisdem Actis Simpson Chirurgus Londinensis, se ex cane quodam partem Intestinorum aliquas Pollices longam exsecuisse, iterumque consuisse, & hoc non obstante, ex toto convaluisse canem.

Haec opera seu Ars excisoria vix in usum humanum adduci queat, utpote crudelitatem nimiam redolere videatur; at saevitie non magis pollet, quam quae, secta vesica a Lithotomi manu experienda est, eamque haud minus tutam fieri posse arbitror.

Pag.

Pag. 71. l. 17. *Neque nihil denique juvant Fomenta.*] Ad hanc rem laudat Hoffmannus vesicam suillam fotu calido impletam abdomini imponendam. Haec enim constantem & regularem calorem inde emanentem servat, ideoque in balnei vel fotus intervallo sat commode ejus usum explorare confert.

Cum autem Sydenhamus etiam propter Catulum & Pannum laneum adhuc memorabili est in honore, jure quis fortasse quaerat, cur de Hippocrate nulla mentio fiat; qui in hoc morbo curando, medendi rationem admodum singularem adhibere solebat; hanc autem hoc in loco subjungere, nec inutile, nec alienum erit.

Medendi autem ratio Hippocratica hunc in modum instituta fuit: scilicet, glandem longam ex melle cocto paratam & felle taurino illinitam in anum immittendam, dein clysterem ad alvum liquandam injiciendum esse jussit. Si vero in his auxilii parum esset, ex ejus consilio dein est, ventrem follis ope adeo aëre inflandum & distendendum esse, ut Rectum & Colon, inde facta magis larga & capacia, faciliorem faecibus prabeant descensum, & demum extracto folle clysterem statim immittendum, anumque spongiâ, cui affigitur filum, ne is nimis cito reddatur, obturandam esse praecipit. His peractis, aegrum in aqua calidâ desidere, & paulisper commorare opus esse, inquit, & postremo expectandum & sinendum est, ut redderetur clyster.

Haec quidem curatio, praemissâ sanguinis mis-

miſſione laudem meretur, modò antequam nimis praevaluerit morbus, adhibeatur. Interea nullus dubito, quin medicus, qui hodie hujusmodi medendi rationem, ut ut morbo congruam, praeſcribendi periculum facere auderet, ſe ludibrio protervo ubique habendum exponeret.

Pag. 71. l. 21. *Plus adjuvat balneo tepido.*] Balnea tepida totum corpus laxando, in hoc morbo egregii ſunt uſus; atque ea repetere convenit mane & veſperi per horam dimidiam, vel horam integram, ſi res ſinant.

Pag. ead. l. 26. *Colicam pictonum.*] Non erit a propoſitio alienum adnotare, me hunc morbum, rebus nondum plane deſperatis, feliciter depuliſſe, medendi ſcilicet rationem, ejus omnimode conſimilem, adhibendo, quam in nott. ad P. 68. l. 3. & l. ult. P. 70. l. 15. l. 20. P. 71. l. 10. l. 14. fuſe lateque expoſui.

Illud inſuper adjiciendum habeo, lectu digniſſima eſſe, quae de hujus morbi hiſtoria, cauſis, & curatione, deditâ operâ, ſcripſerunt celebres illi medicinae profeſſores, Antonius de Haen, Michaël Philippus Bouvart, & Georgius Baker.

SEC-

SECTIO III.

De lumbricis.

Pag. 72. l. 3. *Non raro lumbrici occupant alvum.*] Lumbrici, qui ventriculo, aut primis viis lateant, insideantque; his, si non omninò pathognomonicis, saltem signis haud aequivocis sese produnt. Adsunt enim salivae tenuis copia nimia & sputum frequens, narium pruritus molestus, orisque halitus foetidus sine causa manifesta, vultus pallidus, oculi cavi, hebetes, notabili pupillarum amplificatione comitati, appetitus inordinatus, cardialgia aut nausea jejuno ventriculo, abdominis inflatio dura, tympanitica, ventris tormina, praecipue circa umbilicum, alvus nunc pertinaciter obstructa, nunc nimis liquida, & faeces mali moris & coloris aliquando simul cum tenesmo egerens.

Praeterea observatu dignum est, omnes istos morbos magna ex parte deesse, qui plerisque, ex hujusmodi symptomatibus, plus aut minus communiter stipari solent.

Pag. 73. l. ult. *Stannum rasum cum aequali portione coralli rubri.*] Ex hujus remedii usu, effectus tam salutiferi continuò consequi videntur, ut credulum aegrum sperare, se vacuis inde frui intestinis, & a sordibus verminosis libe-

liberari, non mirum eſt: eheu, miſeret me illius adhuc neſcii prolis futurae & novae progeniei; quae, & tanta cum celeritate ſe repullulare queant, ut veterum de Hydra ſcripta nec admiranda nec amplius inter fabuloſa numeranda ſint.

His ita ſe habentibus, & permultis ex laudatiſſimis remediis Anthelminticis diu incaſſum adhibitis, ut huic inteſtinorum incommodo occurrere poſſem; curationem ex curatione excogitare & proſequi coepi, quae ad hoſce vermes cucurbitinos exterminandos & delendos, nec non ad colluvies incolarum, progeniem novam non minus vitioſam mox daturas, penitus expurgandas, valeret, ex quo demum fit, me experientià didiciſſe, ut ſpes eſſet aegro omnia optime ceſſura, modò curatio ad hanc normam inſtituenda foret.

℞. Extract. Fol. Rutae, Æthiop. mineral. ana ʒiſs. Ol. Amygdal. dulc. ℥ſs. Elix. Aloë. ʒj. Pulv. Radic. Helleb. nigri ʒſs. Mell. deſpum. q. ſ. ut f. Electar. cujus tertia pars ſumenda eſt 8vâ quâque horâ, ſuperbibendo Apozematis infra praeſcripti partem tertiam ſingulis vicibus.

℞. Flor. Sulph. lot. ʒij. Sal. Cathart. amar. ʒj. Aq. Calc. ſimpl. ℔iſs. Decoque ad ℥xij. dein colandus eſt liquor, & additis Tincturae Amarae ʒiij. m. f. Apozema.

Haec peragenda ſunt per quatuor dies, poſtridie autem primo mane devorandae ſunt pilulae quatuor ex hujusmodi maſſâ ſcilicet:

℞. Saponis Iberici grana duodecim, Gummi Gambogiae grana ſex. Olei Rutae guttas quatuor, Mercurii dulcis ſublimati grana tria, Tincturae Thebaicae guttas quindecim, Syrupi e ſpina cervina q. ſ. m. f. maſſa, in ſex pilulas formanda.

Sin autem alvus non ſatis copioſe intra ſex horas ſe exoneraverit, dein pilulae reſiduae duae aſſumendae ſint.

Interea cavendum eſt, ut aeger usque ad alvi purgationem prorſus inceptam ſe religioſe in lecto teneat. Die craſtino repeti & continuari debent per tres vel quatuor dies electarium & apozema; & dein more praeſcripto iterandae ſunt pilulae, augendo vel diminuendo portionem Gambogiae & Mercurii dulcis ſublimati, prout poſtulent vires & alvi ſubductio.

Hoc medendi modo, ſi opus fuerit, per tres ſeptimanas ſedulo perſiſtendum eſt: at rariſſime comperi tam longam deſiderari curationem. Quid enim? Concurritur, verminoſae genti cita mors venit, & aegroto victoria laeta.



CAPUT VIII.

De hydrope.

Pag. 76. l. 17. *Sedes Leucophlegmatiae.*] Haec Leucophlegmatiae ſpecies plerumque tamdiu ſanationem obtinet, quamdiu ſana ſint viſcera, & formam naturalem retineant vaſa: Si vero adeo diſtendantur, ut inde formetur Saccus, aut vix aut nullo modo ſanari poteſt, niſi facto emiſſario educatur humor.

Oritur autem hic morbus ab omni cauſa, quae ſeri aquoſi reditum in venas impedit. Hanc autem ſententiam ultra dubium ponere videtur experimentum Lowerianum. Compreſſis enim partis alicujus venis, ea pars dimidiata hora fiet hydropica.

Se innoteſcit autem Leucophlegmatia, ſeu ἀνὰ σάρκα tumore partium, maxime inferiorum, albo, levi, ſplendente, ex compreſſione foveam relinquente, & hoc praecipue veſperi, propter ſitum corporis die à nocte diverſum; in illo enim, omni momento deſcendunt humores, in hac autem, per ſuperiora vaſa iterum diſperguntur, unde primo mane prorſus evanuiſſe videntur hujusmodi tumores, qui rurſum veſperi reverſuri ſunt.

Adſunt etiam plerumque ſitis, ſpirandi difficultas & anhelatio ad motum, urina rubra,

crassa, & copia diminuta, perspiratio naturali minor, sudor nullus praecipue partium inferiorum.

Pag. 76. l. 22. *Tympanites non est unius generis.*] Tumor, qui abdominis regionem occupans, sonitum ex percussione dare dicitur, tympanites nuncupatur, interea tamen confitendum puto, hanc rem meas aures semper fefellisse. Hic morbus vix & ne vix quidem per se existit, & fere semper cum ascite conjunctus invenitur.

Pag. 77. l. 18. *Haec non in cavo ventre, sed in ipsis intestinis.*] Datur & tumor uteri ab eadem causa in ejus cavitate inclusa, at aliquando ob fallacia graviditatis signa, non parva medicis occurrit difficultas in distinguendis hujusmodi tumoribus. Uteri autem graviditas ab ejusdem tumoribus, seu de vapore, seu de aquâ ortis, gradu quodam dignoscuntur mulieris cacochymiâ praegressâ, aetate foeminae, menstruis tarde & irregulariter diu ante fluentibus. Sed nihilo secius, semper vel caute & lente procedendum est, vel prorsus procrastinanda est sanatio, donec certiores fiamus de graviditate, quae medicis non raro fallaciam imposuit.

Pag. ead. l. 21. *Capacitate.*] De hac re simul consuli velim doctissimi Halleri opuscul. Pathol. observat. XXVI.

Pag.

Pag. 78. l. 4. *Colluvies aquosa in amplo imi ventris spatio.*] Hic morbus tactu & levi percussione, admotis scilicet lateri opposito digitorum apicibus, & sensu aquae fluctuantis dignoscitur, modò aqua libere fluat in abdomine; si vero in tunicis aut vesiculis includatur, tali modo distingui nequeat. Cujus generis est ovariorum hydrops. Hoc tamen boni ex hac distinctione habeatur, quod inde cognosci possit, quid secundum, quid adversum morbi levamen faciat paracentesis.

Pag. ead. l. 9. *Disruptorum canalium quibus lympha circumfertur.*] Ut Anasarca indies increscens canaliculorum rupturam, qui Lympham ferunt, non raro efficit, & tandem in Asciten desinit; simili prorsus ratione, humores extravasati & abdomine conclusi, mole & acrimonia sensim increscunt, & sanguifera vasa demum ita ultra modum opprimunt & rodunt, ut haemorrhagias pessimi ominis huic causae solummodo adscribendas, ex diversis partibus, praesertim autem e naribus sponte ruere, nemo sit, qui ignoret.

Pag. ead. l. 14. *Qui in foeminis ovorum conceptacula occupat.*] Hydrops ovariorum dignosci potest ab ascite & tympanitide, duritie & inaequalitate tumoris inferiorem abdominis regionem occupantis, quippe in aliis tumor aequalis est.

Pag. 78. l. 15. *Mox inflammantur & corrumpuntur.*] Non his ſolum, ſed aliis etiam hydropicis non raro accidit inflammatio. Etenim ex generali habitus laxitate, vaſa ſeroſa robore & reſiliendi vi magna ex parte orbantur, unde ſanguis rareſcere incipit, & quaquaverſum premendo facillime in hujusmodi debilia vaſa intrare, maculasque purpureas efficere ſolet, quae in morbis chronicis fere ſemper malum portendunt; utpote habitus corporis laxi ſimul & inflammati indicia evadunt certiſſima.

Pag. 79. l. 23. *Alias etiam corporis ſedes inundat.*] Nemo in morbo languido moritur, quin ſecta cadavera, cerebrum, pericardium, peritonaeum, abdomen, aut viſcera nonnulla & vaſa adipoſa, *&c.* aquâ redundare monſtrarunt; ſi vero aliquis, telo vel vulnere nuper adacto perierit, iis partibus aqua non deprehenditur. Quae res, ut mihi videtur hanc ſuſpicionem importat, in hujusmodi morbis medendis non prorſus inutilem, nempe quod vires exhalantes vix ac ne vix quidem in culpa vocandae ſint, vires vero abſorbentes more gravi & prorſus periculoſo deficere, & ſaepiſſime, ſolent.

Pag. ead. l. 25. *Teſticuli lympha nimia.*] In lue venerea adeſt aliquando tumor ſimilis ad ſcrotum, nec non & ad vaſa ſeminalia prope annulum, hic tamen tumor inaequalis eſt. In Hydrocele vero tumor durus & aequalis eſt, nul-

nullusque adeſt tumor aut durities apud vaſa ſeminalia.

Pag. 80. l. 13. *Inciſio Tibiae parte interiore.*] Non raro id auxilii in hac parte magnum remedium eſt, licet aliquid incerti ſemper ſecum ferat, videlicet, ne ſequatur Gangraena; cui praecavendae Fotus diſcutientes, & Remedia digeſtiva calida imprimis valent.

Idcirco hujusmodi Plagae partibus tumentibus non infligendae, niſi praeſens ſit expertus Chirurgus; manu vero prudenti factae & curatae, non ſolum in Leucophlegmatia, ſed ubi unà cum Anaſarca jungatur Aſcites, juvant maxime.

Veſicatoria ad eundem finem profeciſſe notum eſt, at meo judicio plagae, aut ſcarificationes crurum inferiorum tutiores videntur, eo quod inflammationem aut nullam, aut levem & tractabilem excitant.

Pag. 82. l. 23. *Qui autem ex aura.*] Tumor ventris tympanites dictus ex hac cauſa proveniens, aliquando ſine ullis ambagibus catharticis aut veſicatoriis, facillime puncturâ abdominis inſtrumento idoneo facta levatur.

Pag. ead. l. 28. *At corporis exercitatio non negligi debet.*] Profunt in omnibus hydropis ſpeciebus valida exercitatio, ſi vero his uti nequeat aeger, pannis vapore accenſi Thuris, Succini, Maſtiches, Benzoini, &c. calidiſſime

redditis ter quaterve quotidie corpus fortiter fricare convenit. Valde enim prodeſt hujusmodi fricatio, ſi diebus a purgatione catharticâ liberis & aëre calido inſtituatur.

Pag. 83. l. 10. *Ubi enim fractae ſunt vires.*] Ad hujus morbi durationem omnino reſpiciendum eſt, quippe in Hydrope recenti, plerumque conducunt acria, quae ſtimulant, aromatica, quae vires vitales intendunt, & iſta medendi ratio, quae, ex medicamentorum alcalinorum ordine & uſu, auxilium petit, niſi clare appareat contrarium.

In morbo autem diuturno plus proficiunt acida, tunc enim ex humorum ſtagnantium putredine pulſus fit frequens, licet in morbi acceſſu tardus fuiſſet.

Effectus hujus Putredinis non raro Haemorrhagiam inducit, cujus vi ſaepe extinguuntur Hydropici. Quo enim diutius durat morbus, eo aqua magis putreſcit, & acrior evadit.

Hinc oriuntur multiplex Gangraena, nec non & Haemorrhagia narium; ex his vero poſtrema vix unquam prius locum habet quam Abdomen aqua pleniſſimum ſurſum premitur, & acer Sanguis rodit & rumpit Vaſa.

Hoc in loco aliam ſubjungere cautionem, quaſi ex eodem fonte derivatam, non alienum erit; ſcilicet, Tumores Crurum morbos longos comitantes, aegroſque in nil miſerantis Orci fauces deducere proclives (ut Phthiſicis,

Icte-

Ictericis, &c. frequenter accidit) nunquam curandos esse more Hydropis veri, quin more morbi primigenii.

His forsan lenis Alvi Purgatio iis temporibus utilis foret, quibus scilicet ob humores turgescentes, simulque ad nimiam plenitudinem crescentes, plurimum augeatur Dyspnoea, aliudve ejusmodi symptoma.

Crurum autem tumores oedematosi à laxitate fibrarum & Lymphae lentore orti, ab Emetico leni, quod semel in hebdomada exhiberi debet, multum juvantur, datis in intervallis iis remediis, quae compagem laxam intendere valent, quippe horum ope sursum revelluntur humores, & circuitui generali simul celerius remittuntur.

Sedulo autem curandum est, ne multum urgeat Dyspnoea, aliudve symptoma simile. Ideoque si aliquid horum timeatur, die proximo à vomitu liquanda est alvus, caeterisque diebus incidentia & roborantia remedia exhibenda sunt.

Hujusmodi tumores Virginibus cachecticis, & Menstruis inordinatis laborantibus non raro accidunt, nunc hectica nunc lenta humorum Cacochymia comitati, & sanantur medicamentis ferrugineis, & leniter expurgantibus, ratione habita ad pravam corporis constitutionem.

Pag. 87. l. 10. *Ab omni potu per longum tempus.*] Procul a nobis absit omnis alienae sen-

tentiae suspicio, utpote meo consilio nunquam aliud hydropici aegri auribus adeo strenuo inculcari curarem, quam quod obstinate à potu se cohibere manente curatione necesse sit. Interea mihi annotare liceat, quod in ascite ex vasis lymphaticis ruptis solummodo ortâ, sine cachexiâ notabili, non aeque a liquidis prohibendi sunt aegri, ac in anasarca. Ex s ri enim defectu siccatur sanguis, satiusque est paracentesim citius repeti, quam sanguinem nimis exsiccari, unde putris corruptio & cita mors.

Pag. 87. l. 11. *Cum sitis plerumque vehementer premit.*] Sitis ingens in hoc morbo mali admodum est ominis, quippe tam sanguinem circulantem aquosâ parte privatum, quam humorum stagnantium putredinem denotat; nec unquam sanatur aeger, dum hoc symptoma maneat.

Pag. 94. l. 17. *Valentissimis catharticis usus brevi post exhaustis viribus consumptus est*] Adeo noxia est in hydropicis intempestiva per alvum purgatio, ut in fine hujus morbi diarrhoea spontanea summopere suspicanda sit, quippe ut plurimum putredinem humorum colliquefactam ponit, de qua brevi moriuntur aegroti.

C A-

CAPUT IX.

De jecinoris morbis.

SECTIO I.

Icterus.

Pag. 96. l. 13. *Mistura ex oleo, aqua, & sale tam volatili quam fixo.*] Immittatur enim Bilis in vas destillandis succis accommodatum, & igne leni dein subjecto, paulo post educetur Phlegma, remanente in fundo massa densa, ad flammam concipiendam proclivi, licet Bilem flammae ire contrariam bene notum est. Aucto dein igne ascendit sal acre volatile, offa in fundo relicta coloris est obscuri, saporis verò acerrimi, magnamque copiam Salis Lixivii & magis fixi, quam generis prioris, non tamen absolute fixi in se continet.

Bilis etiam calore leni ad crassitudinem exhalata, odore volatili late sparso Nares percutit, unde patet dari etiam Sal Volatile praeter id, quod compage adeo fixa praeditum est, ut multò majorem ignis vim, priusquam ascenderet, profecto adhibere opus sit.

Pag.

Pag. 96. l. 14. *Ad varios fabricae animalis usus.*] Bilis enim coagula & ingesta glutinosa, ventriculi vires eludentia solvit, acidaque destruit, chylumque sanguini reficiendo idoneum reddit. Detur quippe vitulo lac, & paulo post mactetur, omnia in ventriculo caseosa & coagulata videntur ad duodenum usque, hoc vero aperto, admistione bilis, omnia iterum fluida inveniuntur.

Pag. ead. l. 16. *Sanguis ipse modis quam plurimis corrumpi possit.*] Bilis e contrario licet diu asservata non eo more putrescit, quo reliqui corporis humores corrumpi solent.

Pag. ead. l. 18. *Peccat autem non raro lentore.*] Cognoscitur quidem hujusmodi Bilis status in multis ita se habere, ex vita aegri, & signis lentae pituitae praegressae ante adventum morbi, qualia sunt pulsus tardus & segnis, appetitus prostratus cum sensu quasi ponderosae satietatis, & compressionis astrictae sub scrobiculo cordis, vomitus pituitae, color cutis primo pallidus, dein pallido-flavus, et in morbo diuturno subfuscus, faeces alvi albae, oculi flavi, urina crocea cum sedimento crasso, viscido, flavo, sensus gravitatis & doloris onerosi in Regione Hepatis, durities ejusdem, praesertim si multum infarciatur Jecur, vel exteriorem partem occupet morbus; si vero cavam interiorem infestet, tactu saepe non deprehenditur, etiamsi adsit Scirrus, hoc in omnibus Icteri speciebus verum est. Pag.

Pag. 96. l. 19. *Nonnunquam etiam nimia raritate.*] Haec Bilis conditio acrimonia calida plerumque est comitata, eosque prae caeteris invadit, quibus opipare se curare, spiritus vinosos Baccho litare, aut cerevisias larga copia ingurgitare, quotidiana & pulcherrima erat cura.

Dignoscitur haec Icteri species à priore, calore paulo majori, urina rubro-flava cum sedimento simili, viscoso, pulsu crebro, atque siti & febricula levi conjuncto.

Pag. 97. l. 17. *Corporis humoris accendunt.*] Sunt quamplurimi hujusmodi generis homines, quibus semel in mense subito exoritur immanis capitis dolor, nec non febre quadam conjunctus, at postquam haec symptomata aliquot horis perpessi fuerunt, magnam copiam bilis vomunt, & illico se optime habent. Lenis vomitio, aut alvi solutio semel vel bis in mense instituta, cujus ope, bilis jam accumulari incipiens ex corpore ejici queat, antequam turgeat, tollere haec mala raro fallit.

Pag. ead. l. 19. *Sed & alia est Icteri species.*] Haec Icteri species dolores Intestinorum frequenter insequitur aut comitatur, & à ductu hepatico tum temporis praeter aequum constricto oriri pro vero habetur, eo quod amoto dolore saepe sponte cessat.

Hujusmodi Icterus hisce signis ut plurimum comitatur, scilicet adsunt urinae aquosae copia larga,

larga, alvus ſimul nunc reſoluta & aperta, nunc aſtricta & clauſa nimis, ſenſus tenſionis ſub ſcrobiculo cordis, febre interea nulla ſe comitem exhibente.

Veruntamen mihi fas ſit ſuſpicari hanc Icteri ſpeciem, multo ſaepius originem ſuam trahere a calculo tranſitum per ductum cyſticum aut cholodochum moliente; quippe ſub tali rerum ſtatu, plerumque fixus & acutiſſimus circa eam regionem, qua dictus cholodocus duodeno inſeritur, dolor adeſt, cum moleſtiſſimo vomendi conatu, colore cutis valde flavo, alvo ſaepe dura admodum, & aſtricta ſociatus; quae ſymptomata extemplò & ex toto ſolent remittere, excretis per Anum Calculis pondere ut plurimum leviſſimis.

Pag. 97. l. 27. *Tale quid cruciatibus colicis.*] Adeo hos Inteſtinorum cruciatus mentiuntur dolores illi, qui ductibus biliariis obſtructis, aut concretionibus calculoſis debentur, quae vel in his vel veſica fellea adeſſe ſolent, ut ſaepe de his longe opinione falluntur Medici, dum torminum ſpeciem prae ſe ferentes, non ſolum pro variis doloribus Colicis habendos, ſed quod pejus eſt, pro veriſſima comitantis aut inſtantis Icteri cauſa ſe agnoſcendos faciunt. Quid igitur inde mirum? cùm medendi ratio principiis falſis omnino innitatur, ſanatio hujus Icteri ſpeciei vel fruſtra ſperanda, vel ſaltem difficillime ad votum perducenda ſit.

Hujuſmodi Ictericis plerumque Vomitus & An-

Anxietates, pervices quasdam, Paroxysmorum more, longiore licet intervallo, quam in acutis morbis, recurrentes, atque horum ſucceſſu, gradu quodam aut ſolvitur obſtructio in meatu communi biliario, & in inteſtina fluit Bilis, vel recurrente in venam cavam Bile evacuatur veſica, & meliores ſe habent aegri, niſi quod flavi maneant, donec repleta iterum veſica redeant ſymptomata.

A propoſito autem non alienum erit, alteram, priori, perquam affinem, hoc loco ſubjungere obſervationem, cujus veritatis me teſtem oculatum iterum atque iterum reddidit Cadaverum Ictericorum examen anatomicum, nempe, qui, ſimul ac cibum capeſſerant, nauſea & vomitu, anxietate & dolore ventriculi laboraverant, & paulo poſt ſe Ictero inquinatos ſenſerant, hujusmodi omnes lapidem vel in Veſica Biliaria, Hepate, vel partibus annexis certè habuiſſe mihi compertum eſt.

Pag. 99. l. 20. *Quinetiam vomitus plerumque eliciendus.*] In emeticis exhibendis ſumma requiritur cautio, omnia in hepatis regione libero circuitu frui poſſe, aliter non raro ruptis vaſis male cedunt. Praeterea ſi nimio motu vel calore in obeſis liqueſcat pinguedo, & per vaſa epiploica ruit in venam portarum, aut ſi hypochondriacis, ex iisdem cauſis, ſolvatur humor atrobiliarius, & per coeliaca ad hepar defertur, ex quibus tandem fit icterus; his ambobus exhibitio emeticorum multum periculi alit,

alit, adeſt quippe ut plurimum jecoris inflammatio.

Pag. 100. l. 6. *Ex iis denique, quae bilem ipſam emendant.*] Alia autem non ſentiunt icterici auxilia certiora, quam quae ipſi praebentur ex uſu libero ſeri lactis, & ſuccorum vegetabilium lacteſcentium, tempore verno cum ſapone veneto aut amygdalino aptâ copiâ ſimul aſſumptorum.

SECTIO II.

Diabetes.

Pag. ead. l. 19. *Diabetem dictam.*] Hujus morbi certa & propria ſymptomata ſunt mingendi crebra cupiditas, Lotio multo, eoque non ſalſo, ſed ſubdulci, ſimul profluente, ſiti ingente & inexplebili, pulſu celeri & debili, linguae ſiccitate & ardore, & virium debilitate comitata.

His igitur ſignis, & iis, quae malo hypochondriaco, aut affectioni hyſtericae prorſus propria ſunt, ſimul comparatis, facile diſtingui poteſt Diabetes à fluxu urinae dilutae, quae nervorum ſpasmis ortum ducit.

Multi tamen Hypochondriaci viri, (nec non & hyſtericae mulieres) ſe Aqua Briſtolienſi diu hauſta ſanatos fuiſſe crediderunt, qui hoc morbo

morbo nunquam laboraverunt; at pauci ſanantur, qui reverà Diabete affecti ſunt. Conſumptis enim quotidie viribus, ex tam ingenti urinae profluentis copia, ut plurimum confeſtim moritur aeger.

Pag. 100. l. antep. *Sed Jecinoris morbum.*] Diabetem Jecinoris eſſe morbum ſe alibi demonſtraſſe credidit noſter Auctor, unde cramben bis coctam apponere recte recuſavit, at argumentis his certiſſimis non obſtantibus, aliam de hac re ſententiam proponere haud metuam.

Cum enim apud omnes in confeſſo eſt, hunc morbum, eos prae caeteris invaſiſſe, quibus, ſpiritus vinoſos vacuo praeſertim ventriculo perpetuo fere ſorbillaſſe, pulchrum fuit, etiamſi inde non ebrii fierent, etiamſi nec frigidis potionibus intempeſtive ſitim reſtinguerent; etiamſi nunquid Jecori ſobolucrit, ſe ne minima ex parte, quidpiam morboſae indolis ſuo hoſpitio excepiſſe, ſitne licitum ſuſpicari veram hujus mali ſedem, non in Hepate, quin potius ponendam poſſe in vitiata imprimis Chyli, dein & ſanguinis compage, qua renum canaliculi ita repleti, extenſi, & demum reſoluti evaſerunt, ut ſub lotii ſpecie profluxerit indies ſeroſus quidam humor, conſimilem cum Chylo naturam nimis participans, idque rivo tam copioſo, ut exſiccato cruore, aegrum atrophiae citatae & immedicabili ſuccubuiſſe neceſſe fuerit.

Pag. 101. l. 7. *Ad profluvinm illud ſiſtendum plurimum valet.*] Remedio & curationi jam memoratis adjicienda ſunt ea, quae de quibusdam, vomitu ſaepe iterato, ſanatis tradita ſunt. Haec enim medendi ratio haud incongrua videtur, ſed mihi adhuc defuit tentandi opportunitas; interea ſuggerere mihi in animo eſt, an hoc vomendi propoſito prius rite peracto, camphora iis medicamentis ſociata, quaſi fibras roborent, & ventriculi concoctionem juvent, atque eâ copiâ cum aqua calcis ſimplicis vel magis compoſitae exhibita, ſicut ante in mania expoſui, ſcilicet, ut libera fiat perſpiratio, aliquod non praebeat auxilii?



CAPUT IX.

De morbis renum & vesicae.

Pag. 103. l. 16. *Primum mali fundamentum.*] Cum a nostro instituto prorsus alienum esset, varias Calculi renalis causas explicare, quas tanquam efficientes proposuerunt Scriptores Medici, Theoriam igitur auctoris, ut ut in verba magistri jurare nimis promptus videatur, impugnare nolo. Interea illud scire oportet, calculum humanum arte chymica rite tractatum, doctrinae adeo ingeniose excogitatae parum favere; utpote se naturam a Salina-tartarea vinosa perquam dissimilem possidere liquet. Nam dato quovis calculo humano, licet ejus pars maxima ex aëre constet, tamen altera portio residua ex materia terrestri Phlegmate, Sale volatili urinali, & Oleo confecta est.

Mihi autem probabile videtur calculum renalem saepe, si non semper, ex rupta arteriola guttas aliquas sanguinis emittente, quibus materia urinae lapidea aut terrena evadit agglutinata & concreta, imprimis oriri; eo quod fracto omni calculo apparet in ejus centro macula rubra aut fusca.

Hoc ulterius confirmatur ab extraneis quibuscunque materiis in corpore humano diu manentibus, quales sunt Globi plumbei in militum

corporibus haerentes, quos omnes materia calculosa incrustatos frequenter vidi, in quacunque corporis parte detenti fuissent. Nec minus patet ab experimento Nuckiano. Hic enim globum eburneum, ligneumque in canis vesicam sectione immisit, vulnusque consolidavit; post aliquod autem tempus canem dissecans, ambos crusta calculosa obtectos invenit.

Pag. 104. l. 24. *Ut venienti morbo occurratur.*] Ut idonea possint adhiberi auxilia, in primis cognoscenda sunt calculi renalis signa. Calculus autem renum, perinde ut scriptorum de hac re opinio est, indicatur ex dolore partis gravi, & obtuso, stupore cruris & femoris, & regressu testiculi lateris affecti, plerumque etiam & vomitu ingestorum, comitatis.

Cum vero haec omnia ab alia aliqua causa oriri possint, quae Renem gravet, & comprimat, indubiam calculi praesentiam non indicant.

Certissimum autem hujus signum, quantum assequi potui, est doloris & symptomatum praedictorum constans incrementum, unà cum mictu sanguinis a corporis exercitatione super viarum strata lapidea, quoties iter, seu curru, seu equo conficiendum, in aegroto experiendum sit, quippe a novo calculi attritu fit ad vasa sanguinea novus & nimius cruoris appulsus.

Hujusmodi autem mictus vix ab aliis causis adeo constanter fieri potest, quippe irritato ul-

ulcere fit inflammatio, & puris vel saniei major expurgatio, raro autem puri sanguinis.

Cum autem hoc modo exploratum sit, ita se habere aegri statum & conditionem, certissimum signum praebetur, ipsam morbi causam calculo attribuendam esse.

Dari tamen potest calculus sine hoc symptomate, quoties vel admodum laevis est Calculus, vel Reni adeo arcte adhaeret, ut non omnino moveatur, & Renem affricet. Et proinde datis symptomatibus primo expositis, de calculo, qui se in rene insederit, semper suspicari fas erit.

Pag. 105. l. 3. *Expellenda sit per ureteres moles concreta.*] In primis igitur animadvertendum est, corpus humanum, ita a natura esse comparatum, ut Renum calculi raro in unam magnam molem (quod in Vesica secus est) accrescant, quin potius lapillorum congeriem ultimis arteriis adhaerentem repraesentant, unde in Ureteres delapsi, dolores, inflammationes, urinae difficultates, retentiones efficiunt, & mortem ultimam suam sobolem, tandem producunt.

Incipit autem ut plurimum paroxysmus cum horrore, oscitatione, pandiculatione & nausea, quibus confestim succedit dolor Renis vel Ureterum gravis, vel acutus, pro ratione magnitudinis & formae lapilli, plani scilicet & laevis, vel scabri & angulati. His succedunt aegritudo ventriculi, vomitus, alvus nunc astricta, nunc lu-

lubrica, & torminosa, urina nunc intercepta, aut parca copia reddita, nunc aquosa & tenuis, praecipue manente doloris saevitie, nunc crassa, sabulosa, cruenta, &c. maxime post doloris remissionem: Cedente enim tum temporis Nervorum & Ureterum distentione descendit sabulosa vel calculosa materies, raro vero dum ingens urgeat dolor.

Calculus autem in Ureterem se descendisse indicat, tum per situm, tum augmentum doloris, eumque summe acutum & lancinantem ad regionem ossis Ilii excurrentem, quippe dum Ren solus laboret, obtusior & gravior est doloris sensibilitas.

Pag. 105. l. 13. *Numquam enim dum in magno cruciatu aeger est.*] Etenim perpetuum est, & ad hoc dirigi debet omne consilium, quod quo major sit dolor, eo mitiora & minus propellentia adhibenda sunt diuretica, & vice versa.

Pag. ead. l. 23. *Sedato jam angore diureticis etiam valentioribus pugnare liceat.*] Periculosa valde nihilominus est eorum sors, quibus nullo accedente dolore, penitus sistitur urinae ex Renibus descensus ad vesicam, eo quod quamdiu manet dolor, manet etiam vis propellens tam liquidorum, quam solidorum.

Si itaque remediis jam dictis & ordinariis minime proficientibus, eo usque processerit malum, extemplò larga copia sanguinem detrahere oportet. Dein exhibendus est Haustus Emeticus

cus ex Oxymellis Scillitici unciis duabus vel tribus, ut concutiatur universa corporis compages, quod optime in balneo tepido fit, nimirum ut eodem tempore laxentur Ureteres, & deorsum derivetur humorum impetus.

His inceptis peractis, immittendus est clyster stimulans, nisi ab Emetico profluat alvus, & dein si post aliquas horas, videlicet decem vel sedecim, nullum adsit aegro doloris revertentis, vel urinae effluxurae indicium, vesperi nuchae & carpis applicentur vesicatoria, & liquorem aliquem propellentem & lubricantem largiter hauriat, atque in eadem curatione usque ad noctem proxime futuram perseverandum est.

Si vero circa hoc tempus nil urinae effluxerit, haud quicquam sit morae, quin exhibeatur Bolus ex Electarii e Baccis Lauri scrupulo uno, & Mercurii dulcis sublimati granis octo vel decem confectus, & crastino mane devoranda est hujusmodi massa, nimirum.

℞. Extract. Cathartic. ʒss. Sal. Succin. Mercur. dulc. sublimat. ana gr. v. Syrup. Rosf. solut. q. s. m. Interea repetendum debet tum mane, tum vesperi balneum tepidum.

His nequaquam urinam cientibus, postridie, si vires ferant, iterato prius balneo, aegri corpus magna gestatione in Rheda, super vias aut salebrosas, aut lapidibus stratas, per aliquas horas, vehendum & concutiendum est, vesperi autem iteranda est Immersio in aqua tepida, & applicatis postea tibiis & femoribus vesica-

 toriis,

toriis, eodem tempore libere & largiter medicamenta dare oportet, quae ad urinam propellendam vim habeant.

Si his pro re nata factis, nil boni aegro afferatur, quin potius stupidus & comatosus evadat cum pulsu pleno & tardo, mors ipsa, ut brevi post adveniat, exspectanda est.

Alia tamen non videtur melior medendi ratio, quam persistere in usu praescriptorum, maxime in haustu largo Diureticorum, praecipue Lixivialium, simul & missione sanguinis, & medicamentis catharticis nuper dictis, pro ratione virium repetendis. Obturatis autem Ureteribus, rarissime ultra diem decimum hujusmodi aegris vita superest, plerumque enim citius, tanquam e Comate morientes; in aeternam clauduntur lumina noctem.

Nonnunquam autem accidit aegroto, qui hujusmodi urinae retentionis obstinatae patiens fuit, ut tandem sanguinem sincerum minxerit, quandocunque autem res sic se habeat, vix ulla est convalescendi spes; tanta enim fuit vis vitae, ut destructa sint vasa.

Hoc equidem in loco insuper adjungenda est cautio, Catheterem, integra urinae suppressione se palam faciente, in vesicam urinariam immittendum debere, priusquam fortia dentur diuretica; ne forsan ab inflammatione levi Sphincteris, vel ejus affectione paralytica, vel ingressu lapilli in collum vesicae, retineatur urina.

In aegris hujusmodi a retenta urina plurimum tumet

tumet veſica, ita ut aliquando externe dignoſci poſſit. In his ſanandis, Catheteris ope pro re nata educenda eſt urina, donec morbus primigenius pro ſuo genere ſanari poteſt.


Nonnunquam etiam accidit, quod adeo inflammetur veſicae ſphincter, oliove tumore comprimatur, ut catheteren in veſicam introducere profecto impoſſibile ſit, quo caſu ad Perinaei puncturam confugiendum eſt.

Pag. 106. l. 8. *Extra illum autem ſaluti conducunt.*] Hujus morbi integra ſanatio vix exſpectanda eſt, quippe lapillorum omnium expulſionem & praecautionem, ne generentur novi, poſtulat. Sufficit itaque dolorem lenire, tutam lapilli expulſionem promovere, talemque vivendi morem inſtituere, ut inde non increſcat malum, & rariores & mitiores evadant paroxyſmi.

Pag. ead. l. 10. *Cibus ex media materia.*] Si aegrotus huic morbo renali obnoxius bibat ſerum lactis, & per longum tempus ſe juſculis tenuibus nutriat, ita ut inde in diarrhoeam incidat; raro ſub tali regimine laborabit calculo. Hinc etiam fit, ut quibus mos eſt, cereviſias praecipue novas & lubricantes larga copia ingurgitare, longe minus calculo obnoxii ſunt hujusmodi homines, quam qui vinum praecipue tenue & auſterum potare ſolent.

Pag. 109. l. 23. *Calculos ex veſica exſcindendi*

di adinvenerunt] Si vero, vel ob aegri senectutem, valetudinem infirmam, lithotomo munere suo fungi non concessum est. Victu tenui, blando, leni, humectante, emulsionibus largiter haustis, pro re nata cum aqua calcis paratis, fotu, & linimento anodyno, medicamentis, quibus insit opium, simul devoratis, quiete corporis, aliisque similibus, tentanda est morbi extenuatio, quam ultra spem feliciter successisse novi, modò ab attritu calculi non adhuc erosa fuerit vesica.



CAPUT X.

De morbis oculorum.

SECTIO I.

De gutta serena.

Pag. 111. l. 8. *Guttam serenam appellant.* Cognoscitur gutta serena non ex morbo se ipsum palam & aperte faciente, sed ex visu, inopinatò & praeter naturam plus aut minus deperdito, si vero quis attente in oculum inspiciat, naturali largiorem semper pupillam percipiet, quod cum visus privatione, aut insigni ejus dimunitione, certissimum est hujus morbi signum.

Pag. 113. l. 5. *Quibus autem modis curationem aggredi.*] Valde difficilis est hujus mali medicina, variae ejus causae iterum atque iterum ad examen vocandae sunt, prae caeteris autem distinguendum est, an Plethorae, causaeque calidae, vel frigidae & pituitosae, tribuenda sit ejus origo.

Si enim juvenibus, sanguinis aut humorum plenitudine, calidove corporis habitu praeditis acci-

accidat, miſſio ſanguinis larga, etiam & idoneis vicibus repetenda, alvus potionibus catharticis iterum atque iterum ſubducenda, omnium certiſſima praebebunt auxilia; quibus ex magno uſu erit, adjungere remedia, quae humorum calorem & ſpiſſitudinem temperant & attenuant; qualia ſunt medicamenta ex ſalibus refrigerantibus, nitroſis & neutralibus dictis, atque Gummi Guiaco; ea ratione conjuncta & commiſta, qua ſymptomatum ſtatus atque gradus poſtulare videantur.

Etenim quosdam ex hujusmodi hominibus novi, qui poſt exercitationes violentas, Ingluviem, Crapulam, aliaque ſimilia, ſubito caecitate perculſi fuere, accedente nunc ſaevo, nunc ne minimo, nec praegreſſo nec comitante Capitis dolore, quibus haec medendi ratio ad Amuſſim facta, viſum integre reſtituit.

Plerumque vero ſenſim inducitur hoc malum, viſu nunc fere extincto, nunc iterum reviviſcente, dum ſubinde ante oculos volitare videantur radiantia lumina Solis, aut Muſcae, Capilli, Nebulae, aliaque ſimulacra innumerabilia, quae aegrum vanis imaginibus & inani ſpe ludere, & lactare miſere ſolent.

Cum autem eo usque invaluerit morbus, Therapeutice, quam Auctor hac ſectione inſtituit, ſedulo proſequenda eſt.

Pag. 113. l. 14. *Factis profundis inciſuris.*] Mihi in uſu fuit, ut locis pone aures maxime commodis, cauſtico medicamento inuratur cutis,

tis, quod in quamplurimis oculorum morbis inſignem uſum ſecum attuliſſe comprobavi: quippe tranſit hac via ramus arteriae carotidis ad ipſum oculi globum, unde in hujus organi fluxionibus morbidis, obſtructionibus variis, imo & in gutta ſerena, primi ordinis eſt remedium. In his autem apertis ſervandis cavendum eſt, ne ob nimiam humorum affluentiam diu in muſculorum interſtitiis ſtagnantem, fiant ſinus, fiſtulae, aliaque ſimilia, nec non & inde gangraena in cachecticis, quae, ob muſculorum exiguorum curſum intortum, ignaris pharmacopoeis & chirurgis aliquando accidiſſe novi.

Pag. 113. l. antepen. *Factam ſalivae irritationem.*] Ut plurimum ad tres vel quatuor ſeptimanas protrahi ptyalismum neceſſe eſt, eoque finito, diu inſiſtendum eſt in uſu pilularum, quales erunt, quae ad hanc normam dirigantur.

℞. Mercurii dulcis ſublimat. ℨſſ. Cinnabar. Antimon. ℨiſs. Balſam. Peruv. q. ſ. m. f. maſſa, cujus pars octava bis quotidie ſumenda eſt, ſuperbibendo aquae calcis magis compoſitae, ſeu decoct. e lignis apud pharmacopoeiam Fulleri uncias quatuor. Interea, ſingulis vel alternis hebdomadis, alvi purgationem modicam inſtituere oportet, ſedulo autem cavendo, ut a nimia ejus ſubductione, non debilitetur aeger; ſin autem per haec malum finitum non fuerit, profecto ad id auxilii genus confugiendum erit quod in ſtrumarum curatione deſcriptum habebitur,

bitur, ejus enim remedii vires in hujusmodi morbosis reliquiis exterminandis, caeteris omnibus longe antecellere, mihi usu sat frequenti, penitus notae & expertae sunt.

SECTIO. III.


De albugine oculi.

Pag. 117. l. 18. *Anceps remedium experiri quam nullum.*] De singulari prorsus virtute liquoris hepatis piscis, qui mustelae fluviatilis nomen gerit, in oculorum maculis & albugine sanandis; consulendae imprimis sunt historiae experimentis repetitis confirmatae, quas celebris Antonius de Haen medicus Vindobonensis scriptis suis publicae utilitatis causâ editis communicavit.

Odorum vires.

Pag. 118. l. 1. *Spiritu attractum sanum habitum inficere.*] Ut aliquod de nocentibus odorum viribus utile habeatur judicium, hujusmodi effluvia ad tria genera praesertim referri posse puto; nempe ad eam rem pertineant ea, quae imprimis ex vegetabilium fermentatione aut corruptione, vel 2do, quae ex animalium putredine, vel tandem tertio quae ex quorundam mineralium exhalatione ortum ducant. Verisimillimum enim videtur, quam plurimas febres

bres epidemice graſſantes, ſicut miliares, petechiales, putridas & peſtilentiales, nec non & permultos morbos colicae, hypochondriacae, hyſtericae & ſcorbuticae naturae, quibusdam ex praedictis cauſis, nunc ſeorſim nunc conjunctim agentibus, omnino adſcribi debere.



CAPUT XI.

De podagra.

Pag. 120. l. 5. *Quod ſibi inimicum eſt.*] Huic ſententiae cum noſtro auctore inſiſtunt permulti medici, ſanguinem ex faeculentis quibusdam, hujus morbi auxilio, depurari; eo quod finito paroxyſmo melius ſe habent podagrici, jucundiores ſunt, & magis hilares, cum autem more aſſueto non redit, torpidi, ſunt & ad negotia inhabiles. Hoc autem, ſi quod ipſe ſentio, proferre liceat, a vivendi cacoëthe potius pendet, ex quo fit, ut vaſa & viſcera cibo & vino onuſta & infarcta evadant, eadem autem, manente paroxysmo, per fortiorem humorum circuitum, & frequentiores reſilientium fibrarum ictus, ſimulque ob victum potumque magis modicum, ſalubrem, & abſtemium, ab adhaerente viſcidâ colluvie liberentur. Quin & eandem ſententiam confirmant, ea, quae ex obſervationibus propriis didici. Novi enim quosdam à divitiis ad penuriam redactos, qui carcere tenuiter viventes, & aquam fere ſolam bibentes à podagra immunes exiſtiterunt, laute autem & molliter ſe poſtea curantes, iterum fiebant podagrici.

Pag. ead. l. 6. *In Articulos protrudere nititur.*]

tur.] Dum Pedes, aut Articulorum vincula. Ossiumve Juncturas solum invadit hic morbus, Podagrici se medico nequaquam carere credent, neque ullis praeceptis obtemperabunt. Male itaque suo nomini consulit, qui iis alia medicamenta, praeter lenissima cathartica, subinde exhibet, quae colluviem onerosam ab alimentis assumptis & inconfectis generatam ex primis viis eliminent, cujus generis sunt Tinctura Rhabarbari vinosa aut spirituosa, Tinctura Sacra, Pil. Rufi, & similia, atque parce, frugaliter & convenienter naturae vivere ipsis imperat. Multo autem pejus, qui remedia aliqua singularia parti hoc morbo afflictae extrinsecus applicat. Si enim ex causa qualibet, à medicamento toto caelo diversa, imo post plures annos accideret materiem podagricam alio atquè alio loco exoriri, de inscitia & injuriis certissime damnabitur medicus.

Pag. 120. l. 19. *Ut in partem, quam prius occupaverat, revertatur.*] Nonnunquam enim dolor Podagricus Juncturas Ossium relinquens, Cerebrum, Pulmones, & Viscera Abdomen occupantia, petit, praecipue in Senibus, & iis, quibus, a frequentibus morbi tentationibus, multum debilitentur vires, quo casu Apoplexiam, Lethargum, Pleuritidem, saevamque Pulmonis, Ventriculi, Intestinorum & Viscerum Inflammationem mentitur.

Dignoscitur autem constitutione aegri ad hunc morbum gignendum propensa, & cor-

poris membris aut partibus aſſueti doloris vel propè vel prorſus immunibus.

His aegris uno ore laudant medici ſpirituoſa, aromatica, ſummaque calefacientia, Alexipharmaca dicta, quibus materiam morbificam ad extrema expellere proponunt, ſperantque.

Hic autem diſtinguendum eſt, an morbus ex debilitate ſola, vel ex vi febris oriatur, quae materiam quaquaverſum agitatam in aliena loca trudat.

Statum priorem adeſſe docent ſenectus, pulſus debilis, aegritudo ventriculi, ſpirituum languor tum praeſens, tum praegreſſus cum pulſu praedicto, tremor, morbi omnes praegreſſi debilitantes, exinanitiones omnes nimiae, aliaque ſimilia.

Poſteriorem denotant febris acuta, pulſus durus, dolor ingens, calor magnus, ſitis, aetas juvenilis, vel media.

In caſu priori proſunt inprimis balnea aquoſa tepida crurum tenus, quae veſperi quotidie repetenda, his vero non juvantibus admoveatur Plantis Pedum Emplaſtrum Cephalicum cum Euphorbio, aut pauco Pulvere Cantharidum inſperſum, & ſi debilitas magna adfuerit, Veſicatoria partibus dolere aſſuetis imponenda, caeteraque ab Auctore hoc loco praeſcripta ſedulo peragenda ſunt.

Pag. 120. l. 21. *Id efficiunt ſanguinis miſſio.*] Haec exinanitio propter inſigne podagricorum praejudicium, ſaepe de die in diem adeo prorogatur,

rogatur, ut tandem fiat vera partis dolentis inflammatio, & exinde cita mors. At nisi adsit summa debilitas, sanguinem imprimis mitti debere (ratione habitâ ad aegri naturam, vires & aetatem) indubie credo, eâque celebratâ, more praescripto curationem absolvere conveniat.

Pag. 123. l. 4. *Ut morbus locum quem jam tenet, deserat.*] Medicum attente in memoria servare hoc monitum oportet. Si enim caput, pulmones vel pleuram petat morbus, adsintque dolor magnus, stupor, respiratio difficilis, aliave ejusmodi symptomata, mitti debet sanguis, imo & repeti ea ratione, quâ effraenato morbi impetu opprimi videantur aegri, etiamsi debiles esse appareant; aliter periculosa equidem partium affectarum inflammatio nascetur; praemissâ autem hac exinanitione, exhibendum est medicamentum catharticum, quod etiam, prout postulet malorum symptomatum status repeti debet. Eodem tempore derivantia & stimulantia praedicta sedulo applicanda sunt, ut horum ope in partibus assuetis excitetur dolor, sine quo vix convalescant podagrici.

Pag. ead. l. 6. *Quanto cum commodo multis in casibus.*] Hoc in nullo casu magis manifestum est, quam illo, quo juvenes, vel viri athletice valentes, aut habitu corporis plethorico gaudentes, ex intemperantia, exercitationibus violentis, aliisque similibus causis prae-

gressis, quae sanguinem exaestuare faciunt, non solum se in repentinum Podagrae paroxysmum intulerunt, quin haud raro inprimis prae caeteris partibus ad ipsum Cerebrum, Pleuram, aut Ventriculum confestim & atrociter hoc malum deduxerunt.

De hujusmodi Podagricis promptissime & larga copia detrahendus est sanguis, & morbus more inflammationis verae, quae partem affectam infestavit, est curandus.

Etenim hac medendi ratione, sublata quamprimum nimia febris vehementia, profecto paulo post, naturalis & tutior multo subsequitur Podagrae paroxysmus, atque hanc rem ita se hisce morbidis prospere evenisse, ne uno quidem excepto, observavi.

Novi etiam juvenes aliquos, qui labe podagrica a parentum vel saepius suorum culpa multati, primo ejus impetu quasi Epileptici & Apoplectici cecidere, at tamen praemissae curationis ratione habita, & exinanitionibus idoneis institutis, illico ferè pedibus laborabant, & fiebant Podagrici.

Pag. 124. l. 10. *Temperanter aetatem agere.*] Vitare igitur omnino debent huic morbo obnoxii, vinum, venerem & crapulam, & prae caeteris cibos aromaticos, acidos, acres, salinos, pingues & glutinosos; instar omnium autem prorsus exulendae sunt corporis desidia, mentisque curae & inquietudines, sic enim vult, sic jubet medicorum chorus omnis à gra-

vi

vi & perſpicaci Hippocrate usque ad Cadogan ſeria facetiis miſta quàm tempeſtive ſcribentem. Apprime igitur in vita utile eſſet conſilium illud vere aureum, quod ab omnibus in perpetua obſervantia habendum praecepit Seneca. Bene & beate vivere, inquit, circumcidenda duo ſunt. „ Et futuri timor, & veteris incommodi memoria. "



CAPUT XII.

De doloribus articulorum.

Pag. 125. l. 3. *Illi dolores qui cum inflammatione & tumore articulos invadunt.*] Hujusmodi morbi nunc Articulorum Inflammatione, & dolore acri, pungente, nunc magis obtuſo & oneroſo, eoque vago vel fixo comitantur; quibus omnibus mirum in modum variantur, tam pro ratione acrimoniae, aut lentae ſpiſſitudinis, quibus materia praedita ſit, quam pro natura vaſorum, quae ſe propriis ſuis indiciis plus minusve relaxata, dura & tenſa patefiant.

Diſtingui itaque poteſt commode, licet non accurate morbus, qui Articulos invadit, in eum inflammatione & febre acuta ſociatum, eumque, qui harum expers eſt.

Oritur prior, ut plurimum, a frigore contracto, cui ſuccedit horror, rigor, aliaque febris ineuntis ſymptomata: Haec inſequuntur calor, ſitis, dolor Articulorum ſenſim auctus, cum pulſu forti & duro plus minusve pro ratione inflammationis. Interea dum dies alter & alter procedat, membrum affectum gradatim tumet, & paulo poſt miteſcit dolor, mox tamen aliud atque aliud occupat, novam quotidie excitans tragoediam.

Oritur autem ſecunda ſpecies a cauſis quamplu-

plurimis, maxime autem ab acribus & ſpiſſis humoribus, eo ſtatu vaſorum accedente, quo difficulter per vaſa aſſueta tranſire poſſunt. Cujus generis ſunt tumores, obſtructiones, contractiones & diſtentiones vaſorum & nervorum undecunque natae, aliaque ſimilia.

Pag. 125. l. 5. *His ſanguinis miſſionibus.*] In Articulorum dolore, febre acuta & pulſu duro comitato, quae ſymptomata ſunt Rheumatismi inflammati vera ſigna diagnoſtica, frequentes ſanguinis miſſiones, nunc Lanceolae, nunc Cucurbitularum, cum ſcarificatione admotarum ope, omnino inſtituendae ſunt, praeſertim in juvenibus validis & ſanguineis.

Cum enim in his omnibus cruor miſſus cruſtam inflammatam ut plurimum eructat, pro hujus lentore & craſſitudine plus minusve exinanitiones generales, ut & medicamenta, quae obſtructiones reſerant, & aeſtum ſanguinis & humorum refrigerant, & compeſcunt, adeo de induſtria poſtulantur, ut in hac medendi ratione ſolum & totum ponatur hujus morbi ſanandi arcanum.

Novi autem nonnullos ob malam curationem, & praecipue ubi in morbi initio defuerunt idoneae exinanitiones, tam ſanguinis detractione, quam alvi purgatione; quibus per plures menſes manſerunt hujusmodi dolores, qui tandem eousque aegros debilitârant, ut febre hectica laboraverint, cum cruribus quaſi Leucophlegmatiam perpeſſis, & fere hydropicis, ſeu potius talibus, quales phthiſicis contingere ſolent.

His multùm profunt Chalybeïa medicamenta, quae cum lacte afinino affumenda debent, adjectis omni Lactis Potioni Spiritus Cornu Cervi guttis quibusdam, interpofitoque femel in Hebdomada cathartico leni ex Rhabarbaro, aut fimilibus.

Illud autem animadvertere oportet, hujusmodi dolores foeminas plerumque frequentius quam viros obfidere, easque praecipue, quibus, ob menftrua retenta, aut fuppreffa, adveniat morbus, & ad quem tollendum perperam exhibita fuerint medicamenta calida, aut quae menfes cieant maxime.

Interea minime praetereundum eft, me noviffe etiam non paucos viros, artuumque dolore acuto correptos, qui medicamentis calefacientibus, fudatoriis & veficatoriis tractati, gravia juncturarum immobilium mala, feu Anchylofes nulla arte fanabiles, toto quod vitae miferae fuperfit, paffi funt.

Fugienda itaque faltem in prima hujus morbi acceffione talis curandi ratio.

Pag. 125. l. 7. *Si nulla.*] In his fcilicet diftinguendum eft, an cum vel fine tumore, exiftat dolor. Si tumor adfit, cujus fit generis, & pro ejus ratione curandus eft morbus.

Nam fi ex tactu fefe innotefcat Pus, aut Ichor, aut aliquid fimile, educendum eft, fi fieri poffit; & pars affecta, aperta, vulneris ritu, fervanda & medenda, donec materies penitus exhaufta fit, totumque, quicquid fit duri

&

& callosi, penitus abeat. Sanato autem vulnere, paulo infra fiat fonticulus latus & profundus.

Convenit quoque partem affectam contra frigus munire cum emplastro ex Cymino & similibus, praesertim tempore hyberno, aestivo autem, si multum debilitetur membrum, Aqua frigida lavare, praecipue Aqua marina non alienum est.

Quamvis de Articulorum doloribus, qui sine tumore saepe accidunt, nulla apud Auctorem facta est mentio, de his verbum unum aut alterum hoc loco addere, mihi aequum videtur.

Hujusmodi dolores ideoque ad vagos & fixos satis apte referendos posse arbitror.

Priores ab humorum acrimonia plerumque oriuntur, & leni Alvi subductione subinde repetenda, & remediis, quae ad particularum mobilium & movendarum conjunctiones minus tutas solvendas, & liberiorem circuitum promovendum vim habeant, larga simul humectantium & demulcentium copia exhibendis, ratione habita ad corporis constitutionem calidam, scilicet an frigidam, plerumque sanantur.

His etiam aegris, si acuti urgeant dolores, multum commodi adfert sanguinis detractio, modica tamen copia eam fieri necesse est; raro quippe crustam inflammatam eructat cruor, & proinde ad symptomata praesentia gradu quodam allevanda, (scilicet acrium irritationem tollendo, & fibrarum tensionem nimiam laxando) potius quam ad ea directò sananda instituitur hæc exinanitio.

Hanc morbi ſpeciem plerumque pulſus creber & debilis, cutis ſicca & aſpera, calor modum naturalem parum tranſiens comitantur, niſi forſan vel veſperi exacerbetur aeſtus, vel vehementiâ doloris aliquando extrudantur ſudores. Hoc vero rarius, atque hyſtericis, ſcorbuticis, eorumque conſimilibus, aliis magis familiares ſunt hujusmodi dolores.

Hoc loco non ab re erit monere, dolores, qui a lue venerea ſaepiſſime oriuntur, jam expoſitis prorſus contendere, ita quidem, ut difficulter a ſe invicem dignoſcendi ſint, niſi vel medico nota ſit aegri vita, vel ingenue ex ore ſuo peccati condemnatus ſit. Quisquis ille eſt, qui hoc morbo laboraverit, licet plures anni interceſſerint, de eo ſuſpicari fas eſt.

Hi autem dolores plerumque oſſis medium occupant, membra torpida & gravia reddunt, & a veſperi ad mediam noctem plerumque ingraveſcunt, & mane abeunt. Dolores autem ſcorbutici, licet veſperi & nocte exacerbentur, per diem etiam manent, & oſſium juncturas prae caeteris infeſtant.

Poſteriores autem, ſcilicet articulorum ſine tumore dolores fixi, ab iſtis cauſis praecipuam originem ducunt, quibus vel arctius juſto conſtringantur partes quaedam, vel plus aequo dilatentur, & reſiliendi vim debitam amittant, & poinde vel fit reſiſtentia nimia liquidis transmiſſuris, vel nimia in articulos humorum derivatio.

Dignoſcuntur priores craſſitie membri in articu-

ticuli vicinia siti, pituitosa, molli, alba, aequali, parum vel nihil ad tactum dolente, non tamen cum tumore prominente aut inflammato, quo plerumque comitantur illi, qui in not. ad Pag. 125. l. 3. definite designantur.

Medicamenta, quae Alvum fortiter ducunt, his aegrotis plurimum proficiunt, praecipue ea, quibus Hydrargyrum inest: Viribus interea prospicere oportet; ut certe repetenda sit iterum atque iterum talis copiosa Alvi purgatio, prout illae hujusmodi exinanitiones ferre poterunt.

Inter rem hanc agendam, per idoneas vices, Electarium e Cinnabere & herbis amaris & aromaticis compositum, una cum Haustu ex Decocto Ligni Guiaci, vel ex Aqua Calcis m. c. exhibere commodum erit.

Quin etiam ulcera, vel manu Chirurgi, vel medicamentis exedentibus, paulo infra partem morbo affectam excitare oportet; juvat simul & frictiones calidas, siccas, aromaticas, & similia omnia adhibere, quae humores pituitosos, crassos solvere, & discutere valeant.

Quum hoc modo inducias aliquot dierum cum dolore pacisci potuerimus, omni ope moliendum est, ut pars violata ereptam sanitatem recuperet, huic autem fini consequendo optime conducunt balnea frigida, nequaquam tamen exsiccanda sunt ulcera, quae prius, ut supra praecepi, instituenda deberent.

His etiam aegrotis insigniter prosunt vesicatoria, aut cucurbitulae cum scarificatione, modo parti dolenti imponantur; nec non & eam

ure-

urere Lino, Moxa & Caufticis, fingulari opere, artificioque perfectis, vel ipfo Ferro candenti.

Dolores denique fixi, ex nimis aftricta & tenfa partis compage & naturâ nati, fefe produnt ejusdem duritie, & dolore majori, acriori, ad minimam juncturae flexionem.

Sanantur hujusmodi dolores, detracto, primum quantum opus fit, fanguine, moderata alvi purgatione pro re nata repetenda, frictionibus cum medicamentis oleofis, laxantibus, disfolventibus & humectantibus dictis; balneo tepido, victu humido, molli, motu partis ipfius fenfim aucto, & fonticulis juxta pofitis.

Caeteris autem externis adhibendis, meliora funt balnea tepida, quae, vel toto corpori, vel ipfi parti applicanda fint; & cum plus emollit vapor, quam balneariis aquis fe proluere, vapores molles, tepidos adhibere praecipue convenit.

Licet in dolentibus hifce fixis curandis, parum de fluidis, feu humoribus, fui follicitus; quippe in parte affecta plerumque latet caufa, cur in hanc prae caeteris fiant humorum derivatio, partis tumor & inde dolor; nihilominus tamen nunc acrimoniâ quadam, nunc craffitudine, & non raro ambobus peccatur.

Prior ftatus pro vario ejus genere contrariis corrigendus eft, modo fatis pateat humoris indoles, fin aliter, humectantia & obtundentia generalia exhibere oportet; eo quod fingularis acrimoniae diagnoftica non raro obfcura funt,

&

& cognitu difficilia, iisque facile falli poteſt medicus. Medendi autem ratio generalis ſemper tuta & utilis, & praecipue ſi medicamentis, quae plus minusve ſanguinis motum & attritum promovendi, vel ejus craſſitudinem nimiam attenuandi & diluendi vi polleant, conjuncta fuerit.



CAPUT XIII.

De morbis cutis.

De ſcabie.

Pag. 128. l. penult. *Qui animalculis ortum ſuum debeat.*] Hac data morbi cauſa, anxia veterum medicorum ſollicitudo de humoribus praeparandis, purificandis, & expurgandis prorſus ſupervacanea videatur, attamen experientiâ frequentiſſime edoctus, quasdam cautiones in ſcabiei curatione proſequendâ adeo ex uſu obſervandas eſſe comprobavi, ut de iis paulo plura obiter memorare mihi in animo eſt. Inprimis igitur certae fidei res eſt, laudatiſſima remedia, qualia ab autore noſtro praeſcripta, vix tutò extrinſecus adminiſtrari unquam poſſe, niſi praeceſſerit modica alvi ſubductio, porrò & apta ſanguinis miſſio, ſi mala equidem fortunâ turpis haec & contagioſa lues (vermium quaſi agmine facto) multum aut diu in corpore pleno ſaevierit. Praeterea per totum morbi curationem, non ſolum laxam ſervare alvum, ſed finito penitus remediorum externe admotorum uſu, potiones catharticas, quales morbis inflammatione comitatis conveniunt, ter quaterve per idonea intervalla exhibere oportet, corpusque totum tandem balneo aquoſo tepido lavari omnino neceſſe erit.

C A-

CAPUT XIV.

De ſtrumis.

Pag. 131. l. 22. *Pertinaci itaque & periculoſo huic morbo omnibus modis occurrendum eſt.*] In curatione hujus morbi aggredienda, id primum totis viribus moliuntur chirurgi, ut medicamentorum ex argento vivo compoſitorum auxilio, hujusmodi aegros ſalivandos reddant, quod ignare, & nulla habita corporis, conſtitutionis, & naturae ratione, omnibus laudant. His quidem aegris, irritis aliis remediis, modo ſana ſint viſcera, haec medendi ratio nonnunquam utilis eſſe poteſt; hecticis autem & debilibus, aut diuturna cachexiâ laborantibus, ſaepe certe & cito exitialis evadit.

Pag. 132. l. 7. *Qui a viſcidis humoribus naſcuntur.*] Hae glandularum farturae & oppilationes raro tanto dolore comitantur, ac ſi vera inflammatio iis ſimul adſit; ſin vero ita fieret, inprimis curatione idoneâ maxima ex parte minuenda eſt inflammatio : dein medicamenta ex Hydrargyro parata, caeteraque remedia ipſi malo propria, pro re nata exhibere omnino convenit.

Morbis enim his diuturnis non tantum peccant vaſa partis, quin etiam humores per ea con-

continuo permeantes, acrimoniam, pro diversa liquorum naturâ, diversam induunt; & proinde decoctis e lignis calidis scilicet, seu temperatis, salibus acidis, aut alcalinis commistis, aliisque similibus, corrigendi & emendandi sunt. Spissi enim simplices humores omni acrimoniâ carentes rarissime quidem occurrunt, aut investigari nequeunt.

Lentam autem & acrem hanc humorum pravitatem designant glandularum tumores, parum vel non dolentes, Leucophlegmatiâ comitati, pulsus non multum a naturali aberrans, urina crassa cito putrescens, sitis, membrorum lassitudo, dolores tam fixi, quam vagi sine signis inflammationis.

Sanatur haec strumarum species mercurio dulci sublimato, parva copia, debitis intervallis per os sumpto; adjunctis decoctis humectantibus & sedantibus, quae pro gradu caloris ex radicibus Chinae, Sarsaparillae, Sasafras, Guiaci, & similium, paranda sunt.

Ex usu simul erit, ut Cathartica lenia subinde interponantur; & diebus a purgatione liberis, balneo, tepido aut fotu emolliente, cum commoda partis frictione, uti oportet; ut ibi derivetur vis mercurii dulcis, ubi maxima est vasorum oppilatio.

Hisce enim adjumentis, quae ruptura sunt, laxantur; adeo, ut non solum fartis e loco cedere liceat; sed praecavetur simul nimia globulorum sanguineorum in se mutuo attritus, ex quo hectica habitudo induci possit.

His

His ad ſatis longum tempus perductis, Aquae minerales, pro vario gradu dominantis mali, optima praebebunt auxilia.

Morbo denique maxima de parte ſubacto, & cum jam convaluiſſe videatur aeger; generalem corporis habitum cortice Peruviano, & Chalybeis medicamentis, quae caute & prudenter aſſumenda ſunt, roborare nunquam non expedit.

Quamplurimis autem aegris, qui hujusmodi morbis, porro & ſaevis articulorum doloribus, ex humorum craſſa, ſtrumoſa, aut venerea indole & natura ortis laborent, mihi jamdudum in frequenti fuit uſu, medicamentum infra praeſcriptum exhibere; quod, praemiſſis idoneis exinanitionibus, ſe ſingulari prorſus modo, exoptatiſſimis viribus eſſe praeditum, mihi extra dubium poſuit experientia non temerè & fallaciter, ſed cautè & verè inſtituta.

℞ *Mercurii calcinati* granum unum, *Florum Sulphuris lotorum*, grana quinque, conterantur ſimul ſ. a. addendo *Confections Damocratis* grana decem, *Conſervae Florum Lavendulae*, ſeu *Rorismarini* ſcrupulum unum, *Syrupi Croci*, q. ſ. m. f. Bolus; qui ſingulis noctibus, hora ſomni, ſumendus eſt, unà cum *Infuſi amari ſimplicis* unciis duabus, aut *Julepi e Camphora* unciâ unâ, vel cyatho *decocti e Lignis & Radıcibus* ex aqua, quale antea ſaepe memoravi. Haec continuanda ſunt ſpatio decem dierum, alvus ope *Rhabarbàri* vel *Infuſi Senae communis*, tantùm laxanda eſt; & quies veſperi, ſi res poſtu-


let, leni anodyno concilianda. Interposito autem die uno vel altero, eandem medendi & purgandi rationem renovare, eâque, per sex vel octo hebdomadas, perseverare convenit; seu usque quo pateat, num morbo sanando aut levando par sit curandi modus.

Si aegroti intestina boli usum malè ferentia, nimis irritata & laxa evadant, *Electarium e Scordio*, aut *Theriaca Andromachi*, satis apte fungetur vice *Confectionis Damocratis.* Rarissime autem tale quid accidisse comperi, nullas enim turbas excitat hujusmodi Bolus, qui omnes interiores corporis meatus placide ingreditur, vasorum & glandularum obstructiones reserat, simulque, ut verbo quasi dicam, eas, caeteris omnibus remediis ferè innumerabilibus, quae expertus sum, citius & tutius depurat.

Pag. 132. l. 25. *Sin autem corpus macilentum sit.*] Acrimoniae species, quae in hujusmodi aegris, ut plurimum praepollet, pravitati hecticae affinis est, eodemque fere modo curari debet, nisi quod macilentis hisce praeclaram opem non raro adferre solent aquae acidulae dictae, ut Pyrmontanae, Spadanae, Scarborogenses, interpositis nonnunquam medicamentis, quae humores diluunt, refrigerant, & alvum leniter solvunt, cujus generis sunt succi Taraxaci, Endiviae Lujulae, & id genus alii. Haec autem medendi ratio tabidis verâ febre hecticâ laborantibus funesta evadit.

Pag. 134. l. antepen. *Reges autem Galliae.*] Quando nihil quidem est, quod credere de se non

non possit princeps, cum laudatur diis aequa potestas, minime mirum est, ut Galliae rex credulus dolosâ juris divini larvâ superbe donatus, non opinione solum, sed etiam ad veritatem sibi hoc persuadeat, se morbum strumosum in fugam prorsus conjicere posse, modò manum aegro imponere, atque ex ore magna haec sonantia verba simul proferre vellet, *Rex te tangit, Deus te sanat.*



CAPUT XV.

De scorbuto.

Pag. 135. l. 12. *A foedis in ore cruribusque ulceribus.*] Haud bene sapere dicatur ille medicus, qui, morbo jam ad medium properante, tum primum advenientis signa suspicari se satagit. Certò nimis sero est sapere, cum per moras adeo invaluerit malum; ut jam lippis & tonsoribus notum se palam fecerit.

Scorbutica autem humani corporis constitutio multo citius adesse indicatur, & proditur habitu corporis, qui calorem, naturali paulò sed certo majorem, exhibet; atque variationes Caeli, quoad calorem & frigus, aliis citius percipit, iisque magis afficitur; pulsu frequenti, & saepissime debili, & cutis, siccitate plerumque conjuncto; membrorum quasi defatigatorum, & musculorum quasi lassatorum gravitate, sine ulla patenti ratione; impotentiâ, spontaneâ, artuum doloribus, lancinantibus, nunc vagis, nunc veluti a contusione fixis; & nisi alia etiam adfuerit causa, ut plurimum sine tumore; somno difficili, inquieto, qui ad vires vitales & animales reficiendas parum conducit.

His autem, ingravescente adhuc morbo, se accedunt linguae sordities, orisque faetor, gingiva-

givarum laxitas cruenta, saniosa, urina cito putrescens, sanguis ex venis missus floridus, tenuis, minus cohaerens, maculae rosei, flavi, fusci, lividique coloris circa artus praecipue erumpentes.


Pro horum symptomatum varietate & gradu, humorum acrimonia calida, frigidave, simul & crassitudo sese innotescunt; & proinde prava ex hoc morbo provenientia mala remediis humectantibus, aperientibus, plus minusve refrigerantibus, non uno atque constanti modo, sed copiâ alia atque aliâ sociandis depellere oportet.

Attamen verbum amplius addere, ut mihi videtur, vix aut ne vix quidem locus est. Quicunque enim intima hujus morbi proteiformis penetralia adire optet; consulat inprimis admirandi illius viri, olim medicinae professoris Hermanni Boerhaave Aphorismos, nunquam satis in honore habendos; nec non & Commentaria eruditissima quadripartita à celeberrimo & fidissimo eorum Interprete Barono Van Swieten (*) edita; utpote doctissimis his scriptis omnia, quae ad hujus morbi historiam, denique

(*) Ne Lectori ex iis, quae hic scripta inveniuntur in cujusdam culpae suspicionem venirem; hoc loco aequo jure admonendum est, mensem jam secundum actum fuisse ex illo, quo hasce notationes in typographi potestatem tradideram, cum primum ad Brittannos de Baroni van Swieten morte, nec non & ejus commentariorum tomo quinto, tum demum in publicum emissuro; perlata erat fama. *Additam. Auct.*

que caufas, indolem, fymptomata, denique & medendi rationem, variis fuis gradibus maxime accomodatam, pertinere queant, adeo perfpicue, adeo accurate recenfentur; ut ea decies legiffe, imo & decies adhuc renovaffe opus, non minus utile quam dulce Lectori fore, expertus affirmare in me fufcipiam,

Pag. 138. l. 26. *Diffolverentur.*] Omnes enim humani corporis humores poftquam putridi evadunt, ad alcalinorum claffem referri poffunt & debent; unde inflammationes, fuppurationes, dolores acerrimos, imo gangraenas & fphacelos inducendo, hujusmodi aegris exitiale tandem nafcitur malum.



C A-

CAPUT XVI.

De malo hypochondriaco.

Pag. 141. l. 17. *Ad hepatis uſus immittat.*] Nemini quidem dubium eſſe poteſt, qui Lienis fabricam ex ſe, & ex ſua naturâ ſecum in animo contemplari & conſiderare queat, Bili praeparandae & ſecernendae praeſertim inſervire hoc viſcus.

Situs enim eſt lien in hypochondrio ſiniſtro diaphragmate pendulus, a cujus motu, & compreſſione muſculorum abdominis, perpetuas agitationes, & omnis generis preſſus ſuſtinet, Arterias à Coeliaca, nonnunquam ab ipſa Aortâ, ideoque & purum ſanguinem ſpiritibus animalibus dictis divitem, recipit. Harum arteriarum nonnullae mirum in modum convolutae ſibi ipſis fines & terminos, ſeu compages glandulis non abſimiles, conſtituunt; dum aliae, praemonſtrantibus Gliſſon, Malpighi, & Ruyſch, ſuos ſanguinis rivos in infinitum cellularum numerum diſtribuunt.

Illud inſuper ſingulare habet hoc viſcus, quod nervi, qui ad lienem tranſeunt, una ſumpti, longe majores ſunt, quam vel ejus ſenſus vel motus ſe deſiderare teſtantur: quippe ſentiendi facultate admodum obtuſa fruitur, & motum nullum habet, niſi quem ab agitatione Diaphragma-

matis, & renixu & relaxatione musculorum abdominis reciproce agentium recipit; atque ideo necesse est ad aliud quoddam perficiendum, fieri hunc insolitum nervorum dispersum & donationem.

Quisquis autem hanc corporis humani & Lienis conformationem secum perpenderit, is sanè facilè perspiciet, istam ita designatam fuisse scilicet, ut una cum liquore tenui a glandulis praedictis secreto, laticem suum subtilissimum in cellulas deponere possent hujus visceris nervi; ubi ob frequentem Lienis agitationem, & infinitam compressionis varietatem, intime cum sanguine commisceantur, & tandem in venam Portarum deferantur ea, quae bili conficiendae idoneum praebeant liquorem.

Hoc ulterius patet ex eo, quod Lieni non datur emissarium secretion destinatum, prout in aliis visceribus res sese habet; sed omnia simul commista per venam splenicam in Portam feruntur, exitque sanguis ab hoc viscere tenuis, lymphâ & spiritibus abundans, vix concrescens, aut in crassam serosamque partem secedens, quod caeteris venis familiare; sed contra; rubore purpureo splendens ex hac venâ, longe secus quam ullis aliis emissus, in venam Portarum defertur.

Clarissimus Keil hujus visceris fabricam perpendens, sanguinisque velocitatem ibi ita diminutam inveniens, ut vix ducentesimam velocitatis partem haberet, qua per splenicam arteriam transit; hanc velocitatis diminutio-

tionem eo fieri contendit, ut attractione suâ fortius adunatae essent sanguinis particulae, & facilius se mutuo attraherent glutinosae & tenaces.

Recte quidem de velocitate diminutâ sensit vir ingeniosissimus, de materiâ autem ad morem glutinis cujusdam inde formandâ res aliter se habet; quippe sanguis tenuis, admodumque fluxus in venam splenicam immittitur, & hoc majori ratione quam in reliquis, quod ex praedicta hypothesi nequaquam eveniret.

Rectius certo conjecturam assecutus esset iste medicus, si seposita attractionis hypothesi, hujus visceris munera & potestates, quibus sanguinis crassitudo redditur naturali multo tenuior, diligentius observasset. Quamvis enim bilis, quae a sanguine secernitur, humor est fere omnium inde separatorum tenacissimus, in se tamen nihilominus amaras, acres, & saponaceas qualitates possidet; quas induere non potuisset, nisi diu calore blando fota fuisset haec humorum admistio, adeoque ei conservata fuisset fluida natura, ut particulae in se mutuo agentes vires suas exerere valuissent, quod in statu admodum viscido vix faciendum videretur.

Neque hoc tantum inde fieret incommodum, quin glandularum hepaticarum ope separanda non potuisset bilis; nisi naturâ adeo in primis fluidâ in eas propulsa fuisset, ut tandem sepositis particulis bili conficiendae minus idoneis, coirent illae vere biliosae. Cum autem liquida glutinosa, tam inter se, quam ad contactum

canalium, fortius cohaerent prope emiſſaria anguſtiſſima, qualia ſunt ea in hoc viſcere; occludi ejus vaſa neceſſe eſt, eo quod vis occludendi non pendet a ſolo preſſu canalium continentium & liquidi ſuperne incumbentis; ſed componitur ex momentis harum ipſarum Facultatum, & momento lentoris, quo illae partes ad contactum haereant.

Graviter ideo erraſſe, ſeu potius deſipuiſſe dicantur ex veteribus quamplurimi, qui bilem, ut excrementum noxium, & inutile judicârunt; cum ad hanc formandam & ſecernendam plus Artificii, (*) quam ad alium quemvis humorem, imo fere quam ad omnes alios à ſanguine ſeparandos requiritur. Nonne multo rectius de hoc liquore affirmare poſſumus, quod ſana bile ſana plerumque erunt omnia?

Pag. 141. l. 19. *Molle viſcus tumore diſtenditur.*] Exſecto liene animal ſalacius eſt, adeſtque mictus frequentiſſimus cum ingenti voracitate; quorum omnium rationem docent arteriae ſpermaticae, renalis, & coeliacae ſitus, & connexio.

Nec minus adſunt in primis diebus vagi ventris crepitus inſueti, nauſea & vomitus; quae ex prioribus, & nervorum, ſtomacho & lieni inſervientium, ſitu, comparatis ſimul, ſatis patent. Temporis autem progreſſu fit tumor in op-

(*) Vide, An Experimental Enquiry on ſome parts of the animal Structure. P. 229.

opposito Hypochondrio ob incrementum hepatis.

Cum igitur satis notum est hypochondriacos his symptomatibus, gradu licet minori, unà cum vultus pallore affici, eos Lienis obstructionem quodammodo pati, verisimillimum est.

Pag. 141. l. 19. *Pancreas ubi male habet.*] Qui pancreatem & lienem infarctos habent, iis copiosum edere sputum perpetua consuetudo est. Serosi enim latices in circuitu suo per haec vasa impediti facili via ad glandulas superiores transeant, & ibi magnâ copiâ more salivae excernuntur.

Pag. 142. l. 5. *Sanguis in vena portarum neque pro more solutus.*] Statum adeo fluidum, quem liquor possidet, qui in sinu venae portarum continetur, oleosis hisce particulis huc delatis & admistis aliquantulum deberi in confesso est: attamen haec ejus conditio adeo necessaria est mechanismi multo magis artificiosi & subtilioris totum fere opus; & quod, hac data occasione, paucis explicare haud alienum erit; praesertim cum ab omnibus Anatomicis, quantum scio, vel omnino praetermitti, vel parum intelligi videtur.

Cum sanguinis habilitas ad fluendum a motu suo progressivo praesertim pendet, eo quod hoc cessante, brevi in grumos concrescit, & in circulis suis & secretionibus conficiendis prorsus impar fit. Providens itaque natura liquoris uti-

utilissimi, bilis scilicet, separationem moliens, summâ cum sapientiâ intempestivam globulorum conjunctionem prohibet.

Quamvis ex insigni & plane admirandâ motus diminutione, quâ sanguis ad hepar defertur, clare patet, illum inde necessario fieri crassiorem, motuique minus idoneum: hic tamen singulare quoddam obtinet, quo nil minus fluidus admodum ejus status conservatur, quam si velociori cursu sine tali mechanismo propulsus fuisset.

Hoc docent anastomoses innumerae tam majorum quam minorum ramorum mesentericorum se invicem rectos ad angulos plerumque decussantium: Hoc perspicuis suffragiis ulterius confirmant varii celeritatis gradus, variaeque loci, situs, & cursus mutationes, quibus tales particulae prae caeteris subjectae sunt; utpote hâc consummatâ arte ad exitum perducitur, innumeras fieri hujusmodi globulorum in se mutuo percussiones & repulsus, sanguinemque & humores per haec vasa circuitus suos facientes, validas in intimis eorum partibus agitationes, triturasque pati, atque ex alio tenuitatis gradu in alium & tenuiorem perpetuo incidere.

Talis autem fabrica, quae tam progressum sanguinis retardare, quam ejus fluorem conservare posset, absolute esset necessaria; eo quod cum per longas ambages, diuturnum caloris fotum, & tandem non immediate ab arteriae sed venae portarum ramis, separandus erat biliosus humor; maximâ opus erat cautione, ne ido-

idoneum fluorem amitteret ſanguis, neve in grumos coiret, & inde ſecretioni impar fieret, priusquam particulae bilioſae, debitam acrimoniam, debitamque coagmentationem acquiſivisſe potuerint.

En igitur mira naturae ſolertia, ut & ipſa motus progreſſivi diminutio, quae caeteris corporis partibus ſanguinis & humorum craſſitudinem adauget, nunc peculiari artificio, eorundem, qui per anfractus admodum difficiles & intortos mox tranſituri ſunt, habilitatem fluidam conſervare deſtinatur.

Pag. 142. l. 11. *Iſthaec omnia morbi hujusce naturam patefaciunt.*] Peccantibus hoc modo in functionibus peragendis praecipuis viſceribus, obſervatu non eſt indignum, hypochondriacos pomeridiano tempore plerumque anhelos fieri.

Pag. ead. l. 16. *Cauſae autem multlplices hujus mali.*] Hic morbus inprimis eos prae caeteris mortalibus invadit, qui deſidis otia vitae coluerunt, aut curis, moeſtitiae, ſtudiisque ſe maxime dedere; unde deficit apta humorum miſtura, exhauriuntur ſpiritus, & vel ſtagnat, vel juſto tardius it ſanguis per ramos exiliores. Cum autem in vaſis meſentericis & hepaticis prae caeteris debilior eſt motus, in hiſce inprimis obtinent hujusmodi mala.

Tales aegri, ut plurimum ad negotia quaelibet inhabiles ſunt, & praeſertim conquerun-
tur

tur de ventriculi inflatione, cibi faſtidio, ructu acido, amaro, bilioſo, prout aſſumptorum natura propendeat, laſſitudine, ſpirituum inopia, & frigore extremorum; thalamis ſe componentes, ſubinde ſe ſuffocaturos fore credunt, & terrore quaſi attoniti expergiſcunt, & vel erecti ſedent, vel in cubiculo per tempus aliquod perambulant. In ſomniis etiam moleſtis ſaepe in terrores aguntur. Vigiles interea, quamvis acri polleant judicio, irreſoluti tamen ſunt & inſtabiles, nunc torvi & moroſi, nunc & laeti, hilares, & jucundi ſine datâ cauſâ aliqua ſenſili.

In hac autem ſententia fere ſolâ ſibi conſtantes ſunt, quod morbo quodam inſanabili & calamitoſo ſe laborare arbitrantur, ita ut fruſtra contra hanc phantaſiam adducuntur argumenta, nunquam enim ita ſentient, medicumque porro, qui ipſis rationes oſtendere conabitur, quibus mala allatis leviora, aut his longe diverſa, adeſſe inferre liceat, omnino ignarum & cauſae & calamitatis cenſebunt.

His ante omnia conducunt Aquae minerales, quae alvum leniter cieant, datis ſimul, horis maxime commodis, ſcilicet poſt prandium, & veſperi, medicamentis, quae ex Gummi Ammoniaco, Sagapeno, Aſafoetida, & Sapone Amygdalino, aut ſimilibus commiſcenda & componenda ſint.

Sin vero tales Aquae in promptu non ſint, ſubinde leniter ſubducenda eſt Alvus, interpoſitis praedictis, per ſatis apta intervalla, &

po-

potu morbi naturae maxime congruo, sociatis.

Ad hoc etiam propositum pertinent remedia, quibus Hydrargyrum inest, ut Cinnabar, Mercurius Alcalisatus, Mercurius dulcis sublimatus, vel Argentum vivum quocunque modo extinctum, ut facile iterum solvatur, Gummi Guiacum, aliaque similia.

Eodem tempore victu salubri & humido aeger alendus est, nec ultra semel in die carnem, eamque teneram ex animalibus junioribus comedat, cum pauco vino, eoque multâ aquâ diluto, pro potu communi.

In medicamentis autem, aliisque cujuscunque generis remediis exhibendis, ad indolem praedominantis acrimoniae respicere debemus; exempli gratia: si sola humorum crassitudo peccet, vel si adsint etiam pallor, frigus, &c. ex quibus unà cum lentore acidum conjungi suspicari fas sit. Utrisque his prosunt praescripta, sed si simul adjungatur calor, alia res est, peccat quippe alcali glutinosum; ideoque lenibus subacidis & nitrosis tractandi sunt aegroti, additis dilutissimis & pauco melle miscendis.

Interim curandum est, ut equitatione & delectamentis, quasi fortuito utantur, aliter non obtemperabunt.

Resolutis horum ope crassis primi ordinis humoribus, adhibenda sunt Chalybeïa, vel etiam in initio exhibenda, modo non nimis infarciantur vasa.

Si nolit aeger uti aquis mineralibus unà cum me-

medicamentis, quae vafa & vifcera deonerent, exhibere oportet fuccos antifcorbuticos temperatos, vel calidiores, prout poftulant vivendi mos & conftitutionis indoles.

Tempore autem hyberno danda funt Gummi praedicta cum infufo amaro fimplici vel folutivo, ea ratione, quâ petat alvus; porro & aquas deftillatas fpirituofas dictas Infufis hifce, vel Succis jam memoratis, tantâ copiâ adjiciendas effe, ut ventriculo congruant, haud alienum erit; de his autem illud infuper monendum habeo, ut portione perrara & quam modica exhibeantur.

Oritur fecundo & hic morbus ab omni caufâ, quâ vafa, vifcera, & nervorum compages plus jufto relaxentur, & debilitentur; quales funt vigiliae, morbi omnes chronici, febres continuae diuturnae, maxime intermittentes, quartanae autumnales, diu aegros infeftantes, diarrhoeae longae, fluxus fanguinis nimius per vafa uterina, hoemorrhoidalia, fluor albus, & fimilia.

In hac fpecie curandus eft morbus primitivus, interpofitis remediis antihyftericis dictis, modo primae intentioni non repugnent. Deinde danda opera eft, quantum fieri poteft, ut habitâ ratione & virium & morbi, roborentur aegroti corporis compages & fabrica; videlicet, fi ex caufa frigida, aut labe fimili proveniat morbus, amaris calefacientibus, maxime autem Chalybe & Cortice Peruviano, aquis Batho-

thonienſibus cum equitatione forti et diuturna tractandus eſt.

Sin vero a cauſa calidâ, ab humorum acrimoniâ, morbo acuto praegreſſo oriatur hujusmodi malum, adſitve febris hectica cum calore ſicco, pulſu frequenti, &c. obtundentibus & lenientibus, lacte aſinino, aquis mineralibus acidulis dictis, equitatione modica, in aëre ſubfrigido, ut calorem non augeat, curandum eſt, adhibitis perparce medicamentis antihyſtercis, quoties vel hujusmodi adſint paroxysmi, vel languor, aegritudinis nimis frequens tentatio, ſpirituum moeror, vera virium debilitas, aliave conſimilia ſymptomata urgeant.

Haec morbi ſpecies foeminas teneras delicatas, quibus rari & acres ſunt humores, prae caeteris obſidet.

Levatis autem hoc modo humorum calore & acrimonia, his etiam ad fibrarum habitum roborandum proſunt medicamenta ex cortice Peruviano, radice Quaſſi, & Chalybe confecta, at his tamen minori copia quam prioribus exhiberi debent; ſimulque eodem tempore in diaeta tenui & levi, lacte aſinino ſociata, ad humores ulterius demulcendos & leniendos perſiſtendum eſt.

Oritur & tertiò morbus hic hypochondriacus ab exinanitionibus aſſuetis ſuppreſſis, vel copia diminutis, praeſertim cum iis foeminis muliebrium fluxum ſubito clauſum pati contigerit, quibus, menſtruis abundare & effluere, in conſuetudinem cadebat.

In hac ſpecie bene conſideranda ſunt tum copia & natura humoris ſuppreſſi aut retenti, tum ipſius habitus, an ſcilicet calidus vel frigidus, aſtrictus vel laxus, & an debilitate & languore, vel febre & dolore conjunctus ſit morbus.

Illud autem inſuper ſcire oportet, quod foeminae, quibus validae ſint vires, a menſibus acrive aliquo humore inopinatò retentis, ſaepe vel miris nervorum diſtentionibus torquentur, vel doloribus ſaevis excruciantur; etiam atque his praeſentibus, novi & non raro, ſimul adesſe febriculam.

Haec autem ſymptomata miſſione ſanguinis ex brachio vel ſaphaena pro ratione virium, moderata alvi ſubductione, ſcilicet ope Salium refrigerantium cum pulvere Rhabarbari aut infuſo Senae commiſtorum, nec non & interpoſitis pro re nata anodynis, aliisque febri necesſariis, tractanda ſunt.

His demum morbi cauſis ſubactis, aut ſatis domitis, ad principem tollendam reſpiciendum eſt, ut in ſtatum naturalem reducantur exinanitiones ſuppreſſae, niſi plane perniciosae ſint; tunc enim vel moderandae ſunt, vel aliae eorum vice ex arte inſtituendae: ſin vero eadem res foeminis laxo & frigido corporis habitu praeditis accidat; ſeu materia parvâ copiâ retenta, indolisque lenis ſit; raro hujusmodi malis percelluntur & affliguntur tales aegrotae; de torpore autem & membrorum ſegnitie, dolore gravi, & debilitate, &c. plerumque conqueruntur.

His

His nunquam non adest pallor vultus cum carne molli, fibris laxis, & tumore livido & flaccido sub oculis, unà cum pulsu tardo, humili, & depresso.

His quam maxime prosunt remedia amara, aromatica, Gummi acria, medicamenta ex Cinnabere composita, & similia omnia, quae humorum vitalium cursum promoveant, & diluendi & attenuandi vi polleant.

Dein roborandae sunt fibrae more prius praescripto, Chalybe scilicet & cortice Peruviano, amaris & calefacientibus sociato; datis, quoties opus fuerit, lenibus catharticis, ex tinctura sacra, & similibus, ut & anodynis, & aromaticis, pro symptomatum varietate & exigentia.

Pag. 142. l. 20. *Nunc consistit fere sanguis, nunc vehementius incitatur.*] Cum in hoc morbo circuitus sanguinis per vasa majora satis bonus manet, pulsus minus a statu sano aberrat, quam a symptomatum saevitie expectare fas sit: ut plurimum fere paulo tardior est pulsus, & in ipsâ paroxysmi accessione adhuc segnior, at in ἀκμῇ paulo major, frequentior, & inaequalior, nec non & laboriosior invenitur.

Hinc itaque Diagnosticon maximi momenti habemus, quod hunc affectum ab aliis morbis longe periculosioribus distinguit: aliter ob ingentes aegrorum querelas, languores, & timores, qui cum pulsu laudabili se brevi morituros credunt, quotidie turpiter falleretur medicus.

Hoc equidem fundamento nituntur omnia ista signa, diagnostica dicta, quibus mala hypochondriaca ab aliis omnibus distinguenda sunt; comparando scilicet symptomata, quae obviam veniant, praecipue arteriarum pulsus, cum veris morbi simulati signis: exempli gratia, morbus hic saepissime indicatur adesse per largum urinae tenuissimae, insipidae, & aquosae profluvium, & hoc cum pulsu satis bono; nisi forsan à dolore quodam atroci, gradu aliquo paulum turbatur; comparatis autem inter se diagnosticis, a diabetico urinae profluvio sat commodè distingui possit; quippe in posteriore adsunt pulsus creber & debilis, sitis ingens & inexplebilis, linguae siccitas & ardor, aliaque similia: Urina etiam quamvis limpida saporis subdulcis est & melliti.

Conqueruntur alii aegroti de Dyspnoea, oppressione, & gravitate pulmonum; imo & his symptomatibus, aliquando adjungitur Tussis, nunc cum, nunc sine sputo: quae symptomata non paucos fefellerunt medicos; qui morbos pectoris, praesertim phthisin pulmonariam, inde brevi subsecuturos expectaverunt.

Verum enimvero si hisce ex inscitiâ errasse contigerit, proh pudor, non defuit omni aevo genus quoddam hominum, quibus ex hac morbi insidiosâ larvâ occasionem captantibus, sese de tabidorum sanatione primos apud nimis credulum vulgus ubique semper gloriari mos fuit; magno equidem cum aegrorum incommodo sua comparant commoda.

At

At ridentem dicere verum quid vetat? Nonne hi medicamentorum quondam tritores, ſe per orbem huc & illuc palantes *Opiferos* exhibuerunt? Nonne in patriam tandem reverſi, ſe omnia poſſe, omnia, praeter ſeipſos, noſcere, ſpeciem prae ſe tulerunt? Quid iſtuc tam mirum ſit, ſi medicum agere, ſi calamum rapiente dextra, quidlibet curandi aut audendi in ſe ſuſciperent poteſtatem? ſibilent licèt omnes noti atque vicini, ſibi ipſis tamen plaudunt, ſimul ac nnmmos contemplantur in arca.

Caeterum ſi res ipſa rite perpendatur, omnibus ad viſendum patebunt ſymptomata, quae paulo ante expoſita fuerunt, atque aegris quibusdam aliquando familiaria ſunt; ut ut ipſum pulmonis habitum reſpicere videantur, ſpaſticis cauſis ſaepiſſime tribuenda eſſe: Haec enim ſeſe a propriis pulmonariorum morborum, & tuſſis vere hecticae indiciis diſtinguenda & ſecernenda reddunt; eo quod abeſt febris tam hectica, quam inflammata: nec minus eandem rem demonſtrat ipſius pulmonis habitus; eo quod vel penitus deeſt Sputum, vel tenue eſt, & larga copia fere ſponte profluit; & hoc non raro, tuſſe non antegreſſâ, quin potius aegritudine.

Pag. 142. l. 21. *Neque tamen violentiora cathartica.*] Alvi ſubductionem fere ſemper petunt hypochondriaci, valida tamen purgatio ſemper nocet. Petunt tamen ſtrenuò, quia alvi exinanitione ordinatim tantum factâ ſe meliores & alacriores ſentiunt.

CAPUT XVII.


De animi affectibus.

Pag. 145. l. 10. *Plus minusve nos movent affectus.*] Animi pathemata, praesertim iracundia, & terror, humorum congestum versus cor, caput, praecordia & viscera abdomine sita, adeo repentinum adeo inimicum efficere valent, ut ea non solum morbos numero fere infinitos, nunc leniores, nunc graviores, sed ipsam mortem subitaneam induxisse notissima res est.

Pag. 148. l. 5. *Et hac quidem via venientibus his malis occurritur.*] In hisce morbis curandis oleum & operam perdes, nisi vel sublata vel saltem diminuta sit causa primigenia. seu moestitia, cogitatio, aliudve simile sit, ideoque semper delectandi sunt aegri, praecipue equitatione, venatione, &c.

Pag. ead. l. 7. *Singula sibi convenientia postulant.*] Si enim ex vigiliis assiduis, tristitiâ, acri studio, aut similibus ortus sit morbus, ad contraria sensim deducendus est aeger, atque ea simul exhibenda sunt remedia, quae humores diluant & resolvant, alvum laxent, somnumque inducant. Denique si ab immodico animi aestu diu

diu perseverante, & humores inspissante, ortum sit malum, aperientibus blandis, sero lactis vaccini, lacte asinino, aquis mineralibus, balneis tepidis emollientibus, atque aliis ejusmodi, diluendi & emendandi sunt humores, interpositis pro re nata simul salibus nitrosis & subacidis.



CAPUT XVIII.

De morbis mulierum.

SECTIO I.

Menstruorum suppressio.

Pag. 149. l. ult. *Vultus color vividus in viridem mutatus.*] Hic morbus virgines eo tempore praecipue obsidet, quo ad incrementum perveniat corpus, & plus sanguinis conficiatur, quam ad solum nutritum requiratur.

Cognoscitur adesse ab aetate sexus hanc exonerationem postulante; unà cum pallore, fibrarum plerumque laxitate, spirandi difficultate, praecipue ad motum, membrorum gravitate & tarditate, dorsi & inguinum dolore, aliisque ejusmodi consimilibus signis.

Friend, celebris ille medicinae professor, sententiam suam de pulsu, qui hunc morbum comitatur, promulgans; illum segnem seu tardum esse pronunciavit, cui rei medici uno quasi ore assenserunt: at eam procul a verâ abesse perpetuo inveni. Ictu autem debili & crebro digitum ferit arteria, quippe putrescunt & acres fiunt humores omnes retenti; unde febre qua-

quadam languidâ afficiuntur hujusmodi foeminae aegrotae, & cor ob spirituum inopiam ad circuitum licet imbecillem procurandum solito frequentius vires suas exerere cogitur; & hac fortasse ratione inducti, febrem albam seu virgineam veterum nonnulli vocârunt hunc morbum.

Observavit etiam Sanctorius virorum corpora, singulis mensibus, gradu quodam ponderosiora fieri; idque incrementum ad nihilum, & corpus ad statum priorem redire certis temporum intervallis: quod fit, quolibet scilicet mense, vel diarrhoeâ, vel auctâ materiae per cutis meatus expellendae copia, vel majori urinae profluvio, aliisve similibus exinanitionibus quasi sponte obortis.

Hanc autem exinanitionem in foeminis, per vasa uterina facile aperienda, fieri destinavit natura; tam ob foetus nutrimentum, quam quod harum vasa virilibus debiliora sunt & laxiora; quo circa non tantum major humorum retinetur copia, quinetiam ea ipsa, propter debiliores cordis vires, nisi difficulter aut aegre, circuitum suum per varia vasa conficere non potest; & proinde hac exonerationis consuetudine, quacunque de causa perturbatâ, vel prorsus impeditâ, varios supervenire morbos prorsus necesse est.

Praeterea rebus sic se male habentibus, & muliebri tempore praefinito reversuro, saepe per vias praeternaturales fit sanguinis eruptio, ex quacunque fere corporis parte, maxime

vero è naribus, pulmone, ventriculo, intestinis, viisve urinariis.

Hinc itaque innumeri fere morbi ex hoc fonte profluunt, ita quidem, ut vix detur morbus, qui ex eo emanare nequeat; dum vel obstruatur, vel disrumpatur hoc vel illud corporis viscus.

Pag. 150. l. 3. *Huic malo illa remedia conveniunt.*] Si virgini vel mulieri laxum & pallidum corporis habitum possidentibus, & quibus per aetatem muliebria possent, aliud, quod natura cupiebat, contingat, scilicet, vel ut non omnino erumpant menses, vel parcâ nimis copiâ, aut longo interposito intervallo non satis fluant, vel ex aliâ quacunque causâ (praeter sanguinis inopiam solam ab exinanitionibus largis inductam) supprimuntur, canales clausos reserare, & inclusis aperire fugam tentandum est. Hoc optime fit 1°. solvendo humores crassos aut nimis cohaerentes, & pro re nata eos expurgando. 2*do*, Laxando vasa obstructa. 3*tio.* Derivando liquida impetu majori in vasa uterina, & denique totum corpus medicamentis amaris & praesertim chalybeïs stimulando & roborando.

Pag. ead. l. 7. *Quae ferrum suppeditat.*] Novi quasdam virgines & mulieres, quibus, partim ex remediorum idoneorum negligentia, partimque ex nimio ferrugineorum usu, vasa uterina adeo adstricta & valde obstructa reddita fue-

fuerunt, ut inſolita duritie affecta fuerit haec corporis regio; quarum aliquas ope fotuum emollientium mane, & eorundem, unâ cum cataplasmatibus, veſperi, nec non & exhibendo interna ſaponacea Cinnabere & Emenagogis conjuncta; in ſtatum muliebrium naturalem reduxi. His inſuper per reliquum diei convenit, abdomen pannis laneis, vel emplaſtro ex Theriaca Andromachi probe tectum ſervare.

Priusquam autem dictis his, de ſanguine menſtruo, nunc aliquatenus retento, nunc penitus ſuppreſſo, quae res virginibus prae caeteris accidunt, finem imponere aequum ſit; liceat mihi, hocce monitum ſolummodo ſubjungere: nempe quibus ſenectutis adventus curſui menſtruo ex toto attulit finem, his, ſingulis annis per paucos, bis terve ſanguinem detrahere oportet; aliter in morbos graves incidere ſolent.

Sanguinis autem detrahendi quantitas & repetitio determinari debent, non ſolum ab habitu corporis plus vel minus pleno; ſed à copia & frequentia ſanguinis ſingulis menſibus jampridem emiſſi; quippe calida & acri humorum conſtitutione urgente, nulla interea accedente Plethora, ſaepe nimis emittitur: proinde etiamſi conſiderationem primam ſemper mereatur copia excreta, tamen ad ſalvam hujusmodi fluxus quantitatem aeſtimandam & ſtabiliendam, certa & unica regula ab ejus copia ſola profecto non eſt petenda.

Pag. 150. l. 8. *Antecedere debet ſanguinis detra-*

tractio.] Appropinquante plena Luna vel nova, sanguis ex Saphaena mitti debet; his enim temporibus prae caeteris se patefacere solent menses. Interim nullo modo mane & vesperi negligendae sunt crurum, pedum, & abdominis fricationes; cui negotio plurimum proficere & valere possunt panni lanei calidi satis fortiter admovendi; simulque idoneae corporis exercitationes, (praesertim equitatio) pro virium ratione adhibendae sunt.

Sin autem his non cedat malum, vix aliud ad menses ciendos magis conducet, quam balnea tepida ad lumbos porrigentia, interpositis subinde catharticis attenuantibus, adjuncta simul prius Mercurii dulcis sexies sublimati parva portione, quam Emenagoga dicta assumenda sunt.

Ad hunc finem etiam in diuturnis & obstinatis obstructionibus conducunt fonticuli in femoribus; quippe tum humores deorsum derivant, tum plethoram minuendo, mala inde futura gradu aliquo praecavent.

Neque id praetermitti debet, quantum ad felicem exitum adducendum praestent Emplastra leniter stimulantia & attenuantia, quae abdomini imponi debent.

Si vero in aliquo morbi tempore & statu, propter impetum sanguinis auctum, & vasa uterina obstructa ac contumaciter resistentia, supervenerint dolores laterum, capitis &c. praeter eos, qui menstruos cursus confestim erupturos denunciant; ut sunt Dorsi, Inguinum, Pu-

Pubis, & similium cruciatus; mittendus est sanguis vel ex brachi venis, venis, vel ex vena Saphaena, maxime autem ex ea, quam proximè nominavi, prout res postulat.

Si vero immanes dolores has partes obsiderent, ad hos levandos ex brachio imprimis mitti sanguis debet; ne simplex obstructio ex humorum nimio impetu in veram inflammationem convertatur. His demum sedatis & interposito die uno vel altero, menstruis non erumpentibus, incidenda est saphaena.

Hoc vero non faciendum, nisi cogente necessitate, hi enim dolores mensium eruptionem praecedere solent; & proinde fomento humido & calido, vel hujusmodi balneo, sine sanguinis missione, optime ut plurimum lavari possint.

Si vero foeminae, penes quam plenus & sanguineus est habitus, ex frigore contracto, aliâve simili causâ contigerit subita mensium retentio, nec non & urgentibus symptomatibus aggrediens; qualia sunt Cephalaea, Pleuritis, Convulsiones, &c. unà cum signis quae febrem vel comitantem, vel brevi adfuturam indicent. Curandus dein est morbus pro ratione symptomatum, quae tum temporis adsint, plerumque vero larga copiâ, scilicet ad uncias decem vel duodecim e brachio seu saphaena, detrahendus est sanguis; & exhibenda sunt nitrosa Borace Veneto, & pauco Castoreo, aliove simili attenuante & parum calefaciente medicamento conjuncta; & dein impetratis induciis à symptomatibus

tibus multa ac metuenda minantibus, fomentis idoneis, balneis, & missione sanguinis, ex venis inferioribus, profligandus est morbus.

Hoc autem casu non simpliciter considerandus est morbus, ut ordinaria mensium obstructio; sed ut febris inde proveniens, & ideo pro ejus more & natura, tractanda; habita semper ratione ad causam primigeniam. Quamobrem si non obstante sanguinis detractione, gravia adhuc urgeant symptomata; pro re nata repeti debet haec exinanitio.

Si vero ex minima frigoris, sub dio licèt tolerantia; vel virgini, vel foeminae hecticae & imbecilli; de cutis siccitate, de palmarum manus aut plantarum pedum calore acri, maxime post prandium, aut in lecto, conquerentibus, subito fieret menstruorum suppressio; hoc casu, detracto imprimis sanguine ex saphaena ad uncias quatuor vel sex, moderanda est stimulantium & emenagogorum portio pro gradu acrimoniae & caloris; ita quidem, ut si parva adfuerit febris, vix aestimanda est; erumpentibus enim mensibus sponte cessabit: sin autem magna, ex toto omittere convenit calida emenagoga & Chalybeïa medicamenta, usque eo dum domari possit calor hecticus.

Ad hanc rem pertinet etiam observare, quod hujusmodi foeminae imbecilles & hecticae medicamenta, quibus ferrum insit, licèt male tolerantes, Aquis Chalybeïs tamen saepe multum levantur; atque eorum usum per longum tempus bene

bene ferunt, quippe tum humores diluunt, & attemperant, tum corpus corroborant.

SECTIO II.

Immodicus menſium fluxus.

Pag. 150. l. ult. *Non raro nimis magna copia fluunt menſes.*] Cognoſcitur hic morbus praecipue narratione aegrotae, quae haec ſymptomata plerumque comitantia habet, qualia ſunt pallor cum calore, ſanguis licèt venaeſectione detractus, rutilus, vividus, minus aequo cohaerens, pulſus frequens, debilis, dolor dorſi & lumborum fere perpetuus, menſibus autem mox erupturis magnopere exacerbatus, membrornm impotentia, praecipue genuum & lumborum, leipothymiae, aut ſaltem ſpirituum languor & defectus frequens.

Pag. 151. l. 3. *Cum ea, quae ſanguinem cogunt & inſpiſſant; tum quae fervorem ejus minuunt.*] Hinc patet, quod etiamſi theoretice in plurimas claſſes diſtingui poſſit immodicus menſium fluxus; quoad praxim autem, revera referri debet tantùm in duas: ſcilicet, ratione caliditatis, quae hecticam ponit intemperiem; vel tenuitatis; ex humoris aquoſi frigidi abundantiâ, quae aegrotam ad hydropem pronam indicet. Nimius enim ſanguinis fluxus fibras nimis laxas vaſaque uterina nimis hiantia & aperta ſemper relinquet. Id-

Ideo in prima humorum constitutione, detracto è brachio, pauco sanguine, exhibere convenit remedia, quae humores acres emendant, & obtundunt; interpositis pro re nata inspissantibus & astringentibus; una cum diaeta levissimâ, demulcente, & sanguinis aestum refrigerante. Decoctum etiam Corticis Peruviani, Elixire Vitrioli conjunctum in hoc casu saepe multum prodest.

Hic autem omnino distinguere debet medicus inter mensium fluxum naturali majorem, debitis temporibus & intervallis solùm occurrentem, & eum; qui ingenti copia, & perpetuâ ejus fere praesentiâ vires insigniter debilitat.

Prior curatione praedictâ, usuque balnei frigidi, ut primùm occasio data sit, plerumque sanatur.

Posterior autem valentiora petit remedia. Ideoque si detur fluxus nimius, ingens, & assiduus; exhiberi debent astringentia, qualia praecipua sunt Alumen, Terra Japonica, Crocus Martis Astringens, Sanguis Draconis, aliaque innumera in Pharmacopoeis promulgata.

Interea abdomini inferiori & pudendis applicentur spongiae, vel Panni lintei, Epithemate, ex aceto destillato & Alumine communi, confecto imbuti; cavendo simul, ut per vices citò successivas frigidissimi imponantur.

Haec medendi ratio convenit tam mulieribus quam virginibus. Frustra enim virginibus medicamenta injectu administranda proponimus, nun-

nunquam enim auſcultabunt: & revera mulieres, niſi ſumma urgente neceſſitate, talia immittenda non ſinent.

Praeterea ſi nimis fluant menſes, cucurbitulas ingentes ſimplices mammis apponito, inquit Hippocrates, quod rationi valde congruum eſt; forti enim ab utero derivandi vi pollent mammae, ut in mulieribus lactantibus facile videre eſt; quibus, niſi valde ſint plethoricae, vel ingenti acrimoniâ inquinati ſunt humores, raro fluunt menſes.

Secunda ſpecies ſeri ſanguinis abundantiam nimiam ponens, oritur ut plurimum a globulis ſanguineis non ſatis valide cum ſero agitatis; unde lente putreſcunt humores, laxantur fibrae, & debiles fiunt; perſaepe ſimul obſtruuntur quaedam vaſa & viſcera, dum ruptis aliis variae fiunt haemorrhagiae; ut ictericis, hydropicis, ſcorbuticis, & hypochondriacis frequenter accidiſſe compertum fuit.

Haemorrhagiae autem uterinae hinc productae, eodem fere modo quo priores ſanantur, niſi quod aſtringentia paulo calidiora hic ex uſu ſunt: & ſi his non cedat malum, tum profecto tutiſſimae & utiliſſimae mixturae ex aſtringentibus praedictis petendae; & dein accommodae ſyringis ope injiciendae ſunt.



SECTIO III.

Fluores albi mulierum.

Pag. 151. l. 15. *Foedus morbus eſt tetra iſta colluvies.*] Foedus hic morbus tam virgines quam mulieres occupat, maxime autem eas, quae morbis diuturnis debilitatae fuerunt. Hunc morbum comitatur mucoſa materia e vaginae glandulis excreta aut profluens, cui ut plurimum ſe conjungit dolor dorſi & lumborum.

Pag. ead. l. 16. *Quae colore albo.*] In cachecticis autem haec colluvies non prorſus alba eſt, ſed flaveſcit, & haud raro viridem colorem etiam induit, adeoque acris nonnunquam fieri ſolet, ut vicina corrodat, inflammet & dyſuriam inferat.

Pag. ead. l. antepen. *Habitus praecipue habenda eſt ratio.*] An ſcilicet hectico corporis habitu & acrimoniâ congeneri laboret aegrota, vel an adeo pinguis & flaccidae ſit temperationis & naturae, ut fibrarum laxitati, & humorum craſſitudini potius tribuendum ſit malum.

Pag. 152. l. 3. *Vomitum igitur plerumque primo ciere oportet.*] Si nil obſtet, alternis ſeptimanis repetendum eſt emeticum, ſaepe etiam, ſi ingens ſit fluxus, & in ſingulis id fieri conve-

venit, denique pro certo habendum eſt, omnes hujusmodi aegras aquâ frigidâ & praeſertim mari ſeſe immergere, atque aquas acidulas chalybeïas dictas pro potu affatim bibere debere.

Pag. 152. l. 19. *Aut aquam aluminoſam Bateanam aut*, &c.] Irritis his omnibus, mulieres aliquas emeticis, & miſturis balſamicis injectis, & ad hunc modum praeſcriptis ſanavi.

℞. Terebinth. Venet. ℥ß. Vitell. Ov. recent. No. 1. conterantur ſimul ſ. a. in mortario, dein add. Aq. Calcis ſimplic. vel Aq. Aluminoſ. Batean. vel Aq. Ferrar. ℔j. f. Miſtura, cujus cochlearia quaedam ter quaterve de die in diem ope Syringis idoneae in Vaginam immitenda ſunt.

Hoc loco aliud etiam monitum ſubjungere non alienum fore puto: nempe quod in curatione fluoris albi, licèt moeſtas dolentesque extremis medullis querelas proferant hujusmodi aegrotae, vitandum eſt de induſtria opium; neque ullo modo adhibenda ſunt ejus generis remedia, niſi nimis dura doloris ſaevities, aliis vinci neſcia, opii uſum reddunt omnino neceſſarium.

Anodyna enim ex opio confecta, proprias vires, quibus ad ſeſe conſtringendas & contrahendas à natura praeditae ſunt fibrae, & quibus denuo excitandis inſervirent auxilia praedicta, maxima ex parte deſtruunt; totamque meden-

di rationem revellendi diſciplina fundatam incaſſum reddunt.

SECTIO IV.

De morbo hyſterico.

Pag. 153. l. 4. *Haec puellarum, nuptarum, viduarumque communis eſt.*] Affectio hyſterica morbo hypochondriaco valde affinis eſt, plurima cum eo ſymptomata communia habet; easdem fere cauſas ſimilemque medendi rationem agnoſcit. Differentia equidem inter haec mala, qualis ſit, potius ſexus conſtitutioni & fabricae, quam morbi naturae & generi attribuenda videtur.

Foeminas enim, quae otium ſegne aut deſidiam lautam coluerunt, prae caeteris invadit haec affectio; & cum a dapibus opimis, aut victu pleno ſimul orta ſit; nunc acrimoniam, nunc craſſitudinem inertem, nunc ſummam pravitatem ex ambobus genitam, humoribus inducens; ventriculum, digeſtiones, concoctiones, & ſecretiones omnes perturbat, fibras vellicat, dolores, tremores & motus convulſos cujuſcunque fere generis in medium affert.

Morbi interea fomes nunc in primis viis; nunc viſceribus ſtagnando & putrefaciendo, vaſa & viſcera diſtendit, vicina comprimit; & vel in corporis receptaculis coacervatur, vel exci-

excitato, à vi ſua ſtimulante, aeſtu inteſtino, tandem quaſi factâ criſi, per varios corporis meatus, pro varia partis fabrica, foras expellitur; atque vomitus bilioſos, porraceos, diarrhoeas virides, tormina, & infinita alia producit: aut denique nervorum actiones turbando, imaginationibus abſurdis & ridiculis, vel phantaſiis horrendiis, & terroribus moleſtiſſimis ſexum amabilem vexat.

Ex praemiſſa hujus morbi deſcriptione, haud quisquam a vero aberrabit; qui propriam & particularem humorum acrimoniam eorundem craſſitudine quadem & fibrarum laxitate conjunctam, inter primas ejus cauſas numerandam judicabit.

Talem autem corporis habitum indicant pulſus frequens & debilis, calore & ſiti comitatus; unà cum vultus pallore & laxa fibrarum compage, aliisque ejusmodi ſignis antea paſſim recenſitis.

Expoſitis hujus affectionis cauſis & ſignis, animadvertere liceat; quod in hujus curatione; parce omnino procedendum eſt ratione medicamentorum, quae attenuandi & incidendi vim habeant; aut quae ſanguinem multum exagitare & incaleſcere ſolent; qualia ſunt quamplurima antihyſterica dicta; haec ipſa autem demulcentibus & humectantibus ſociata, inter quae lac aſininum primum locum tenet, concordi & quaſi unanimo niſu aptiſſima praebebunt auxilia.

Poſtremo id nequaquam praetermittendum, eſt, quod ſimul ac morbus his modis ſe quieſ-

cat; ea remedia dein exhibenda ſunt, quae calorem corporis haud ultra aequum augendo, ejus fibras etiam interea roborare valeant. Cortex Peruvianus, Radix Quaſſi vel ſimpliciter vel conjunctim, adjecta Chalybis perparva portione, aliis omnibus ut plurimum palmam praeripient.

Pag. 153. l. 5. *Et ſi non magnum periculum.*] Pulſus in affectione hyſterica, eandem fere, ac in morbo hypochondriaco, rationem ſervat; in diverſum enim a ſtatu naturali vix abducitur, niſi in cauſa ſint importunus dolor, ſpirandi operoſus labor, aut ſimilia; quae functiones vitales & animales miſere turbent.

In his ipſis autem doloribus & anguſtiis longe minus inde mutatur pulſus, quam quod ex ſymptomatibus expectandum eſt; ſi medico per haec tantummodo judicium facere licitum eſſet.

Quamplurimas enim foeminas videre fors mihi ſortem objecit, quae hoc morbo laborantes, & conquerentes de conſtricto faucium ſtrangulatu, pro muſculorum ſpasmis commeante, miſere ſeſe ploravere: attamen cum iis deeſſent febris, tumoris & inflammationis ſigna, inter hanc affectionem & veram anginam dijudicare haud ardua res foret.

Conqueruntur etiam aliae ex hujusmodi aegrotis, de reſpiratione difficili, anhela, fere ad ſuffocationem uſque: haec autem a pulmonis gravitate, quae ex vaſorum inflammatione, aut humo-

humorum coacervatione opprimente orta ſit, profecto ſatis diſtingui queat; eo quod in utrumque latus, ſine tuſſis augmento in paroxysmorum intervallis, pari facilitate decumbunt tales aegrotae; niſi in quantum ad dormiendi habitum pertineat: haec conſuetudo autem, paucis noctibus, lateri minus aſſueto aeque ac alteri familiaris fit; dum poſterioribus morboſis in latus ſanum decumbentibus, perpetuo increſcit malum, utcunque diu id ſuperare contendant.

Hyſtericae etiam foeminae, nec non & viri hypochondriaci, opio parva tantum copia exhibito, a Dyſpnoea non parum levantur; dum poſteriores ab exigua portione moleſtias mox ingraveſcentes ſentiunt.

In his tamen morbis, ubi pulmo, partesque contiguae vinciri & conſtringi videantur, ſemper ad veram Phthiſin praecavendam ſatis opportuno tempore ſpectare, aegrosque medicamentis lenioribus & magis humidis tractare, debet medicus: eo quod a fibris frequenter conſtrictis perturbatur ſanguinis circuitus, & gradu quodam ſiſtitur; ita quidem ut vaſa humoribus farcta reddi, & obſtructiones periculoſiſſimas naſci non raro compertum fuit.

Hoc autem loco paſſim annotare non alienum erit, quod quamplurimae foeminae hyſtericae mihi obviam venerint, quae quamlibet opii particulam ſtrenuo refugere ſolebant, licet iis, ex uſu haud parvo, eſſet hoc remedium; quo caſu fallendae ſunt.

His igitur, quoties opus fuerit, anodyna an-

tihystericis conjuncta perquam modice exhibenda sunt. Proinde ut id, quod vellem, consequar, ejus generis remedia adeo certe horis quibusdam, antequam se in lectum reciperent hujusmodi aegrae, assumenda curavi; ut se quiddam opii devorasse, ne minima iis insideret suspicio.

Interea multis exemplis constat quantacunque prudentia exhibeatur opium, id genus remedii quibusdam foeminis nullo modo conciliasse somnum; iisque prae caeteris, quibus sunt animi, qui ad irregulares & tumultuosos musculorum motus excitandos facillime aguntur.

His autem, adhibita praedicta cautione, ipsum opium non raro dedi, summo cum ipsarum bono. Praestat autem Diacodion dictum imprimis praescribere; hoc vero non ex voto respondente, opium parca copia addendum est; sin vero hoc modo assumpta noceant Anodyna, prorsus repudianda sunt; & lenibus & demulcentibus, aëre libero & sereno, cum levi defatigatione (modo sinit aegrae status) inducendus est somnus.

Conqueruntur similiter hujusmodi aegrotae de dolore quodam nunc oneroso, nunc magis acri & acuto, totum caput aut tempora occupante, quasi clavus ibidem esset infixus: nunc de dolore, quasi frigore glaciali occiput, aut capitis verticem obsidente, praesertim cum lenissime vellicentur capilli, vel retrorsum tantum moveantur: nunc, & non raro, de crudeli temporum pulsatione cum strepitu murmurantis aquae,

aquae, aliisque innumeris; quae in hujusmodi aegris ejusdem ſunt generis; & abſentibus febris & ſymptomatum indiciis quae caput ſpecialiter & primo affici oſtendunt, a gravibus & acutis ipſius capitis morbis dignoſcenda ſunt.

Pari modo, de caeteris hujus morbi ſymptomatibus ſpecioſis habendum eſt examen; ea ſcilicet diligenter comparando cum propriis morbi ſimulati ſignis: vix enim ullum datur morbi genus, cujus formam non induit affectio haec hyſterica, malorum & morborum peſſimorum nec ſtulta nec ignava imitatrix.

Pag. 153. l. 10. *Ubi incidit in eam mulier.*] Sanatio generalis hujus affectionis, ut mihi videtur, in paroxyſmis, nullis regulis ſatis indicari poteſt, quippe cum ſymptomatum diverſitate, diverſa medendi ratio neceſſario proſequenda eſt.

Interea certiſſima conſtat experientiâ, ipſa ſymptomata numero eſſe fere infinita, ideoque infiniti fere requirerentur labores & diſtinctiones. In hujusmodi igitur paroxyſmis medicus ſuum ſat fecerit officium, ſi non tam morbi ſanationis, quam malorum urgentium leniminis, revera ſe ſategerit.

Verum enimvero ut morbi curatio interea recte inſtituenda ſit, regulas ſubſequentes mihi ſemper bene ceſſiſſe comperi.

Si adſint dolores immanes, vel nervorum diſtentiones morbo comitiali maxime ſimiles, praeſertim ſi iis antea non prona aut proclivis fue-

rit aegrota; ſemper mittendus eſt ſanguis pro gradu mali & viribus aegrae, minori tamen copia, quam in aliis morbis, iisdem ſymptomatibus comitatis, niſi a praegreſſis nimiis exinanitionibus oriantur, tunc enim refocillandae ſunt vires, & anodynis cardiacis, antihyſtericis, aliisque cauſae adverſis tractandus eſt morbus.

Sin autem poſt idoneas, in primo caſu, exinanitiones factas non remittant ſpasmi; carpis & cruribus, partibus ſcilicet a mali fonte remotis, applicanda ſunt veſicatoria, ut alio derivetur irritatio; his vero incaſſum peractis, ipſi parti admoveantur.

In paroxysmis, diarrhoea, vomitu, aut dolore inteſtinorum comitatis, iterato hauſtu demulcentium & humectantium, vel clyſteribus ex iisdem, pro mali indole & gradu repetendis; diluendi & expurgandi ſunt humores; & dein dato anodyno cardiaco, conciliandus eſt ſomnus.

Si vero in his auxilii parum eſt, experiri oportet, ſi fotu anodyno, aromatico, adjecto ſpiritus vini pauxillo, vel cataplasmate ſimili, (demulcentibus anodynis ſimul interne ſumptis) potuerit quies ſymptomatibus & parti dolenti impertiri, necne? Finito autem paroxysmo, medicamentis, principi morbo adverſis, curanda eſt hujusmodi affectio hyſterica; habita ſemper ratione tam ad viſcera roboranda, quam ad debitam recrudeſcentis materiae lenem expulſionem; ne vel a ſubitanea nimis

nimis exinanitione, vel acris materiae retentione, novus excitetur paroxysmus.

Pag. 153. l. 10. *Si satis virium est.*] In omnibus affectionis hystericae speciebus, eâ solâ exceptâ, quae a subita vasorum expletione orta sit, exinanitiones largae, vel repente, vel acri stimulo productae, fugiendae sunt, etiam & in hac specie, nisi ex suppressis, quae prius largè excernendae debuerunt, recens fiat foeminae morbus, aegraque dolore ingenti, nervosis distentionibus, aliisque affectionibus spasmodicis correpta sit.

SECTIO V.

De partu difficili.

Pag. 154. l. 5. *Mulieribus difficulter parientibus.*] Plurima dantur partus impedimenta, tam ratione mulieris, quam infantis; horum praecipua, quae matri competunt, sunt 1°. virium defectio. 2°. Internum os uteri nimis durum & angustum, quod linimentis laxantibus scilicet unguento *altheae*, &c. compositis, subveniendum est. 3°. Tumor in vagina natus, cui arte chirurgicâ pro variâ ejus specie opitulandum est. 4°. Labia coalescentia, quae, si cognita ante partum, discindenda & sananda arte chirurgica, sin minus, similiter jam

jam tractanda eſt. 5°. Oſſium nimis ſtricta compages, cui manu chirurgi, & linimentis mollibus ſuccurratur. Cum autem prima ſpecies medico praecipue incumbat, de ea pauca hoc loco dicenda ſunt. Vires ideoque parientis excitandae ſunt cardiacis uterinis dictis pro ratione debilitatis urgentis, interpoſitâ inter ſuam cujusque vicem, horâ unâ vel alterâ, ut inde cognoſcatur, quod ex priori remedio expectare debemus. Etenim illud & ſemper & ubique ſervandum eſt, ut hujusmodi medicamenta neque frequentius quam par ſit, exhibeantur, ne finito partu ingens ſequeretur profluvium, neque prius quam foetus expulſio in promptu ſit, aliter nihil efficiendo, niſi nimium ſanguinis fluxum poſt partum inducendo, peſſime ſui ipſius famae & exiſtimationi & parturientis ſaluti conſulet medicus.

Pag. 154. l. 15. *Cum irritis conatibus.*] Dum inani matris conatu partum plus juſto accelerant obſtetrices ignarae, accidiſſe nonnunquam novi, ut cum immineat ipſe partus, defecerunt omnino vires.

His vero re ipſa deficientibus, haec praecipua ſunt, de quibus quam diligentiſſime ab obſtetrice ſe certum facere debet medicus: ſcilicet, quot horis, modo in partu fuerit mulier, an mater antea bonus vigor, an dolores antea acuti & validi fuere & jam prorſus ceſſaverint, & quamdiu? An uterus apertus, an aqua effluxerit, an in ore uteri poſitus ſit infans, an frons

frons ad os corcygis verſus? Quae omnia ſi ita ſint, promovendus eſt partus medicamentis cardiacis, anodynis debita copia ſociatis.

Neque tamen ex ſolo vitio matris, quin etiam infantis impeditur partus; praecipue vel per ſitum ejus non naturalem, quo caſu per pedes maxime educendus eſt; propter ejus ſtatum immobilem, formamve monſtroſam, hydropicam, aliamve naturae contrarietatem, de quibus videantur Mauriceau & Deventer; vel tandem ob ejus mortem.

Signa autem foetus mortui haec ſunt; ſi inſtar ponderis ingentis premat, ſi arteriae umbilicales prope ejus corpus non pulſent, ſi mulier laboret teneſmo, ſyncope, horrore, halitu graveolente, & vultus colore livido; ſi, dein elapſis aquis, nondum peperit; ſi ſanioſa & foetida ab utero defluant, ſi epidermis cutis prompte a foetus cute ſecedat, tum etiam ſi cutis ejus flaccida & facile ſeparanda reperiatur. Horum autem quaedam ex primis ſignis foetum mortuum at adhuc incorruptum ut plurimum denunciant; quaedam vero ex iis quae deinde recenſui, eum jam corruptum eſſe indicant.

Nulla autem ad foetum mortuum extrahendum mora facienda eſt. Hoc fit operatione manuali, vel medicamentis emenagogis dictis. Prior curandi modus anteferendus eſt, poſterior ſine periculo vix fieri poteſt.

CAPUT XIX.

De morbis venereis.

Pag. 155. l. 19. *Humoris mucosi destillatio.*] Profluvium hoc indecorum ac debilitans diu durare, summasque medicorum ac chirurgorum artes viresque eludere ac contemnere notissima res est: & nil mirum, cum glandularum Cowperianarum, prostratarum, & vesicularum seminalium sphincteribus laesis aut erosis, humoribus inde effluxuris quaquaversum panduntur portae.

Hoc opprobrio autem non obstante, operae pretium semper erit; liquoris excreti indolem & naturam probe examinare; priusquam vel auctoris medicamentum efficacissimum dictum, vel remedia balsamica astringentia, quibusdum aliis scriptoribus adeo decantata, in usum vocanda sint; quippe post validissima cathartica, imo post longam salivae proritationem peractam; virus venereum in hoc profluvio adhuc latere, saepissime novi; cui, incongruis his artificiis, nunc aliquo modo cohibito, & intro suscepto, pessima mala denuo excitandi, novasque tragoedias exhibendi, ampla & haud aequa data fuerat potestas.

Aliquid hujusmodi indolis huic fluxui adesse, suspicari semper fas erit, si quando humor, qui ex

ex genitalibus deſtillaverit, nec pellucidus, nec recentis ovi albumen referens, ſed e contrario flaveſcens, virideſcens, ſanioſa, foetens, nunc dyſuria, nunc membrorum partiumque contiguarum doloribus, nunc inflammationibus, roſionibus & exulcerationibus comitatus exierit. Hanc autem querelam gemitu commiſtam, indubio equidem jure, edat hujusmodi aegrotus, „ Pol me occidiſtis amici, non ſervaſtis." cui ſic reſervata lues, & demptus impurus per nociva pharmaca fluxus.

Pag. 155. l. 21. *Tam ex veſiculis ſeminalibus quam ex glandulis proſtratis.*] Illud autem hoc loco animadvertere ex uſu erit, quod hoc malum non ſolum partibus hiſce ſedem habeat, ſed inquiſitione rite inſtitutâ compertum fuit, profluvium hocce urethrae aut vaginae glandulis, prope fraenum in illâ, aut collum in hâc, ſitis & ulceratis, multo ſaepius, quam vulgaris fert opinio, deberi; ideoque cum res ſic ſe habere pateat, quis non videat iſtam medendi rationem, quam medicis, chirurgisque adeo commendavit auctor, non ſolum ſine ullo levâmine poſſe exhibendam, utpote huic propoſito omnino imparem, quin quod pejus eſt, neceſſe eſſe, ut progreſſu temporis exinde conſequantur effectus prorſus exitiales. Huic malo cum ſpe felici ſanationis integrae occurrendum ſolummodo eſt medicamentis hydrargyri vires poſſidentibus, nunc balſamicis, nunc detergenti-

tibus, sociatis, & in urethram aut vaginam injiciendis; interdum & externe partis affectae ambitum iisdem fricare, quantum fieri queat, magnopere convenit. Dum haec fiunt, victu tenui, caeterisque remediis luis venereae sanationi specialiter inservientibus, simul sedulô perseverandum est.

Pag. 156. l. 29. *Pustulae per corpus.*] Ulcera enim venerea sunt ut plurimum in initio superficiaria, & in membranâ adiposâ tantum sita. Ablatâ quippe squamâ à tali pustulâ statim fundus se cinerei coloris visui obfert, parum profundus, inaequalis, & fungosus mucum pinguem, subflavescentem aut subviridiscentem stillans.



C A-

CAPUT XX.

De morbis, qui aliis superveniunt, aut in alios mutantur.

Pag. 158. l. 21. *Capitis & ventriculi consensus.*] Ut dolor capitis vomitum non rarò ciet, ita ventriculus male se habens, sive a flatibus, sive ab acribus humoribus, imo & jejunio, diuturnam saepe cephaleam excitare solet. Interea notatu dignum est, licet hoc, saepe sic se habere inveniatur, ventriculi ipsius tamen male affecti non est signum certum & definitum.

Pag. 159. l. 7. Συμπαθείας *instrumenta sunt.*] Tristissima hujus veritatis exempla praebuerunt globi ictus ex sclopeto expulsi, & plurium animalium morsus venenati; at instar omnium morsus canis rabidi, ubi a vulnere admodum levi inflicto, summâ licet peritiâ curato, & demum sanato, nunc ocyus, nunc serius, horrenda plane mala supervenisse, nemo est, qui ignorat.

Pari etiam ratione patet, quod si circa ganglionem haereat acre aliquod malum, omnes rami inde nati, & forsan multi alii convelluntur, & hoc quam citissime. Si vero Ramulus

tantum singularis afficiatur, more aurae frigidae, secundum nervi progressum, ad ganglionem tendit iste ipse de hac re sensus, & statim omnes musculi, qui ad eum pertineant, se convulsos exhibent; & dein ab horum spasmis, irritata stirpe nervosâ, per totum corpus diffunditur malum, & hoc tam celeriter, ut vix nisi ex aegri ore cognoscendum potuerit.

Pag. 159. l. 12. *Partium autem vicinia.*] Quocirca in gravi ophthalmiâ licèt unus tantum oculus afficiatur, convenit ambos obtenebrare, motus enim sani dolentem turbat. Similiter ex anatomicis scriptoribus patet arterias phrenicas multos ramos ad hepar dimittere, unde inflammato hepate laborat diaphragma, cui nisi cito succurratur, cito fit paraphrenitis; & vice versa diaphragmate inflammato, aut spasmis graviter affecto, hepatis morbos modo acutos, modo longos supervenire satis notum est.

Pag. ead. l. 21. *Qui aliis superveniunt, aut in alios mutantur.*] Huc spectat materies purulenta, biliosa, acris, melancholica ab Hepate, Pancreate, vel Liene in alias partes expulsa; quae dolores, inflammationes, diarrhoeas, dysenterias inducendo, varios morbos excitat.

Interea nec id praeterire oportet, quod vix ullae in tota arte medendi majores difficultates sese medico obviàm praebuerint, quam quae nonnunquam aut symptomatibus, per vices omnino inexpectatas, in alia & diversa quidem

mu-

mutatis, tribuendae sunt, aut quae nonnunquam a morborum metamorphosi, quasi novas species atque formas prae se ferentium, ortum suum habuerunt.


Horum unum aut alterum exemplum hoc loco memorasse non alienum erit. In malimoris variolis, quae perpetuis vigiliis, delirio, aliisque ejusmodi symptomatibus comitatae erant; si post idoneas exinanitiones, quae ad haec mala allevanda necessario institutae fuerant, placide & diu dormiat aegrotus, tandemque expergiscens ad se redeat; res in vado poni videtur: at acutissimi hic opus est judicii; etenim, si aeger ille per plures horas placido somno fruens, & demum, vigil ad somnolentiam videatur proclivis, simulque largi, licet calidi adfuerint sudores; talis symptomatum mutatio, ut ut fausti ominis spes alat, admodum anceps est & lubrica; eo quod hujusmodi aeger, nisi jusculis idoneis, temperatis cardiacis, aut, si opus sit, & fortioribus stimulantibus, atque impositis vesicatoriis, illico succurratur, circa tempus abscessus persaepe autem citius, morietur.

Porro nec minus falli viros quosdam, medicamentariorum potius quam medicorum nomine dignos, mihi vidisse contigit: qui sub pleuritidis vigore crediderant morbum leniri, quia lenior evasit dolor; fiebat autem interea malum priori pejus: utpote pleuritis nunc in peripneumoniam transierat: quae per signa sibi propria cognoscatur; qualia sunt respiratio frequens & difficilis, thoracis gravitas anxia, pulsus mol-

lis, creber, & debilis cum genis rubentibus; quae omnia ſanguinem in pulmone ſiſti clare docent.

Pari etiam ratione, ſi quando ſymptomata teſtentur morbi cujusdam inflammati cauſam materialem ſe in fauces tranſtuliſſe poſſe, nullo tumore externo apparente, nullisque interea praeſentibus ſignis ſuppurationis benignae in his aut vicinis locis brevi futurae; anginam periculoſiſſimam & plerumque lethalem inſtare; periti eſt medici officium, ſine mora, pro certo annuntiare.

Pag. 159. l. 27. *Liberationem morbi promittunt.*] Similiter jecinore & ejus veſicâ ſeu bile nimiâ oneratis, ſeu alia ratione modoque obſtructis, lien fit tumidus & hebes; reſtituto autem fortè fortuna humorum fluxu, obtuſe dolet. Bonum itaque hoc ictericis ſignum praecipue iis ſpecie inflammatâ laborantibus. Neque alio modo evenit in phrenitide, ubi ſtupor, gravitas, vel dolor in brachiis repentinò orti, materiam fluxam reddi, eamque ad cor per venas ferri indicant, & proinde felicem mali terminationem praeſagiunt.



CON-

CONCLUSIO.

De vitae regimine.

Pag. 162. l. 20. *Senſim igitur quaecunque mutationes faciendae ſunt.*] Hanc regulam perpetuo in honore & memoria ſervare debet medicus, & praeſertim quando ex apta medendi ratione inſtitutâ, pateat remedia ſenſim & lente actura, alterantia dicta, in uſum neceſſario vocanda eſſe. His enim in exhibendis nunquam non devitanda eſt feſtinatio, quippe ſummâ cum curâ, diligentiâque ad ſingularem humorum craſin habendus eſt reſpectus, & ad contrariam ſenſim & quaſi furtim deducendus eſt aeger; nam quemquem ſuo modulo metiri oportet, & officio ſuo turpiſſimè deeſſet, iſte medicus, qui hujusmodi morbidis, niſi cautè & gradatim, medicamenta directò ſpecialia exhibere auderet.

Pag. ead. l. penult. *Commodiſſima eſt equitatio.*] Super inſigni autem hac medendi ratione, illud porro monendum habeo; perſaepe erraſſe medicos, perpetuam fere per mare per terras peregrinationem aegris, praeſertim phthiſicis, indiſcriminatim imperando.

Hujusmodi enim exercitationes eo tantum valent, quo fibris corporis concuſſis, ita roboretur ejus habitus; vel ut congeſta quaedam onerosa

rosa excutiantur, & expurgentur; vel ut excernenda omnia eum servent modum, quem ultra, citraque nequit consistere vera sanitas.

Ubicunque igitur acrimonia calida & putris humoribus inhaereat, atque correctioni & emendationi inprimis sese obviam offert, noxiae ut plurimum sunt pleraeque ex propositis hisce equitationibus & exercitationibus, ut ut laudatis; praesertim eae, quae aut corpus fatigent, aut ejus calorem adaugeant. Cum autem dura haec rerum & humorum conditio, prae caeteris omnibus aegris, phthisicos premit, medico perattenta cautio esset, ne hujusmodi morbidis quaelibet data sit occasio, quae, se specie recti deceptos, plus plusque in dies, in immedicabile malum inducat.

Pag. 163. l. 8. *Verriculis.*] Cum de rebus ipsis a nostro auctore traditis, non de verbis sollicitus fui, sat admodum habeo, si de *verriculo* admoneam tantùm, hoc vocabulum apud bonos Latinitatis scriptores nusquam eo in usu fuisse, quo ei hic tributum est. Sensus sane vocem quandam, qualis est scopula in *verriculi* locum substituendum postulare videtur. Quibuscunque autem aegris talis adsit infirma valetudo, quâ idoneae exercitationes fieri nequeant, illud insuper scire oportet, quod caeteris succedaneis longe praestantius & tutius remedium aut praesidium in parcâ semper, ac pro rei ratione nonnunquam curtâ victus copia habendum est.


Pag. 163. l. 23. *Aliquid tamen consuetudini dandum eſt.*] In alimentis enim exhibendis bene perpendendus eſt ventriculi & primarum viarum ſtatus, eaque licet minus efficacia, prae caeteris eligenda ſunt, quae iis minime repugnent, exempli gratiâ, ſi mulier gulae dedita, dapiumque appetens, caenaque deſurgere dubiâ gaudens, ſe iteratis doloris colici paroxysmis obnoxiam reddiderit, non ſtatim hujusmodi aegrotae, acrimoniâ humorum calidâ haud raro & putri ſimul laboranti; cibis atque potibus maxime refrigerantibus aut ſucco limonum, vel acidis fortioribus admiſtis aggredienda eſt curatio, acriter etenim dolebit ventriculus; ſed blandis & inſulſis, lacte aſinino, & ſimilibus, cum pauco aromate ſociatis tractanda eſt; nec non & aquas Bathonienſes pro varia ventriculi conſtitutione exhibere, ex indubio & incolumi uſu erit; denique ex his ſenſim ad magis refrigerantia progrediendum eſt. Neutiquam autem haec cautio neglectui eſt medico, ne novo & inſanabili ut plurimum morbo exinde oborto, ipſe tanquam magni hujus mali aut forſan ipſius mortis citò futurae opifer, non caecis & vitioſis, ut promiſcue & communiter fieri ſolet, ſed perſpicacibus & veriſſimis vicinorum ſuffragiis damnatus, tota vituperabitur urbe.

F I N I S.

MEDICA SACRA:
SIVE, DE
MORBIS
INSIGNIORIBUS,
QUI IN
BIBLIIS
MEMORANTUR,
COMMENTARIUS.

AUCTORE
RICHARDO MEAD,
Colleg. Medicor. Londin. & Edinburg. Socio, Reg. Societat. Sodali, & Medico Regio.

Editio nova Correctior.



LUGDUNI BATAVORUM,
Apud THEODORUM HAAK,
MDCCLIX.

Πάντα δοκιμάζετε· τὸ καλὸν κατέχετε.

D. Paul. 1 Ep. ad Thessal. V. 21.

VIRO

CLARISSIMO AC *EXPERIENTISSIMO*

RUDOLPHO SCHOMBERG,

MEDICINAE DOCTORI.


S. D.

PETRUS MORTIER.


UM illustrissimi Viri R. Mead musteum libellum, qui Medica sacra ab eo inscriptus est, typis mandare constituissem, ac circumspicerem, cuinam illum rite nuncuparem: TU mihi primus occurrebas Vir Experientissime, cujus nomini illum dicandum esse rebar. Debetur autem id Tibi a me, tum quod Tua munificentia eum nactus sim, cum pauca vel potius nulla ad nos essent adlata exempla, tum etiam quod summi Viri praeclara in rem medicam merita Tu optime nosti & jure maximi facis, unde haud vane colligebam me Tibi rem non ingratam esse facturum, si hanc occasionem arriperem, qua tibi pro Tua comitate gratias agerem ani-

mumque meum gratum teſtarer. Verum cum tanta ſit nominis Meadii celebritas, ut illud ſolum pro omni commendatione ſufficiat; reprehendes Tu forte ipſe, quae eſt Tua modeſtia, quod libello huic Te patronum quaerere adlaboraverim. Verum nolui officio meo deeſſe aut pati temere mihi ingrati notam inuri, in primis cum non haberem, cui rectius eum obferrem, & huic meo facinori aequitas ſatis patrocinetur. Conſtare etiam hac ratione volui noſtratibus, quam praeclare Tu eorum commodis inſervire ſtudeas, nec ſatis fuiſſe arbitreris, quod Doctiſſimi Barkeri librum, qui duorum ſplendidiſſimorum inter veteres medicae artis luminum medendi morbis acutis methodum, cum illa quam bini ejuſdem artis antiſtites recentiores nobis tradiderunt, comparat, feliciter ac culte in Gallicam linguam transtuleris; ſed praeterea iis invidere nolis, quae Anglia Tua, magnorum ingeniorum ferax, ad artis ſalutaris incrementum indies profert, atque ſic ejus theſauros his in oris mire amplificare. Accipe igitur hilari fronte hancce animi mei grati teſtificationem ac mihi inſignium Tuarum dotium cultori obſervantiſſimo fave. Dabam Amſtelaedami ipſis Calendis Septembr. MDCCXLIX.

PRAE-



PRAEFATIO.

Cum aetas ingravescens missionem jam fere mihi dederit a medicis laboribus, in quibus bono publico, uti saltem spero, quinquaginta circiter annos memet exercui; tantillum, quod mihi restare poterit, in vita temporis ita in otio transigere decrevi, ut nec mihi gravis, nec aliis inutilis videar. Otii enim sui etiam reddendam esse rationem viri boni putant, & id semper honestum esse volunt.

A prima pueritia literarum amore captus, postquam ad artem medendi animum appuleram, nunquam tamen intermisi doctrinae studia, assiduorum negotiorum taedium hisce oblectamentis, quasi curarum dulcibus alloquiis, subinde levans. Inter haec dum Scripta Sacra, ut hominem Christianum decet, frequentius evolvi, secundum ea, quae ad vitam aeternam & pietatis praecepta spectant, historias morborum & variarum aegritudinum, quae in illis traduntur, in primis perpendere solebam; has cum iis conferens, quae aut ex libris medicorum, aut propria experientia di-

diceram. Et id quidem eo feci libentius, quod animadverterem theologos ſuper his, rerum medicarum inſcitia, ſaepe in diverſas ſententias abire; praeſertim cum daemoniaci, Jeſu Chriſti, Servatoris noſtri, potentia ſanati, quaeſtioni locum praebeant. Hos enim multi revera a daemonibus obſeſſos fuiſſe volunt, & in illis expellendis quam maxime eluxiſſe divinam ejus virtutem. Mihi profecto longe alia mens eſt, quam ut doctrinae Chriſtianae fundamenta diruere; aut prava Oraculorum Sacrorum interpretatione Dei Filium divinitate ſua, tot tantisque operibus contra naturae leges peractis comprobata, privare ſtudeam. Erroris autem patrocinio non indiget veritas, uti nec vultus natura nitidus ſucum requirit. Et certum eſt opinionem iſtam, quae jam per multa ſaecula invaluit, de potentia ad corpora mentesque humanas vexandas daemonibus adhuc permiſſa, variis aſtutorum hominum praeſtigiis, cum maximo rei Chriſtianae damno & opprobrio, anſam praebuiſſe.

Quis non merito irridet ſolennes iſtos Romae pontificum ritus, quibus exorcizantur, ut loqui amant, daemoniaci; dum homines geſtus quosdam & furores, quales a malis geniis provenire putantur, ſimulare docti, aqua luſtrali & precibus quibusdam, quaſi incantamentis, ſui compotes fieri, & a cacodaemonibus liberari ſeſe fingant? Verum iſtae praeſtigiae, quantumvis oculis & mentibus ignarae plebis illudant; paulo tamen ſagaciores non modo offendunt, ſed & revera ipſis nocent.

Hi

Hi enim, dolo perſpecto, ad impietatem proni ducuntur; & omnia ſacra eodem loco habentes, poſtquam didicerint

Religionibus atque minis obſiſtere vatum (*a*),

plus ultra pergunt, & auſu nefando omnem Supremi Numinis ſenſum, ae metum, ex animis ſuis radicitus evellere ſatagunt. Qua in re haud aliter faciunt, ac ſi quis de Indis, an revera ſint, eo dubitare velit, quod multa de iis ficta & falſa a peregrinantibus narrentur. Hinc evenit, ut apud gentes nimis ſuperſtitionibus deditas plurimi occurrant athei, etiam inter literatos; quos hoc mentis errore doctrina, & rerum ſcientia, immunes praeſtare debuit. Hac igitur ſtultitia caruiſſe ſapientia prima eſt; huic proxima, res veras opinionum commentis non contaminare.

Et ſaepe quidem mirari ſoleo, cur fidei noſtrae antiſtites daemonas in ſcenam producere tantopere contendant, quo ſcilicet divinum Chriſti numen de victis hiſce infernis hoſtibus triumphos agat. An divinam Chriſti virtutem graviſſimorum morborum ſanationes, juſſu illius momento temporis peractae, minus patefaciunt, quam malorum geniorum ex hominum corporibus expulſiones? Omnia profecto miracula in humani generis commodum ab illo facta, dum caecis viſum dedit, nervis reſolutis robur, contractis flexilitatem ſuam reddidit, mortuos in vitam revocavit, elementorum proprietates aliis mutavit, & caetera id genus ope-

(*a*] *Lucret. Lib.* I. *verſ.* 110.

opera, mundi Conditoris omnipotentiam teſtata ſunt, praeſentemque Deum demonſtrarunt: qui ſolus univerſae naturae imperat, & fixum a ſe rerum ordinem pro arbitrio immutat & invertit. Qui haec igitur praeſtitit, quin daemonas etiam, ne beniguum ejus propoſitum in Patris voluntate hominibus declaranda, pravisque eorum moribus corrigendis, impedirent, ſubjectos ſibi habuerit, nemo certe dubitare poteſt.

Ut redeam autem ad daemoniacos, non mea eſt profecto, ſed aliorum ante me pietate & doctrina praeſtantium virorum ſententia, quam hic propono. Et proximo quidem ſaeculo inter noſtrates etiam Joſephus Meadus, theologus rerum ſacrarum cognitione nulli ſecundus, luculenta Diſſertatione eam propugnavit (*a*). Cum ex eadem igitur ac ille familia, quod honori mihi duco, ſim oriundus; patreque etiam Matthaeo Meado, ſummo theologo, natus: ſtudia haec, jure quaſi gentilitio, me quodammodo vindicare poſſe ſemper exiſtimavi.

Non ſum autem neſcius, quam ſit res ardua communes errores, illos in primis, qui ad religiones ſpectant, depellere. Novimus enim omnes, quantam vim ad mentem opinionibus imbuendam primae vitae habeat inſtitutio; quas adulta jam aetate delere eſt difficile. Pueri in tenebris nocturnos lemures & larvas metuunt, hinc per omne ſaepe vitam eadem formidine trepidant. Cur ergo miramur, ſi falſa quaedam dediſcere, atque animis excutere,

(*a*) *Works of Joſ. Mede*, *Lond.* 1677. *Diſc.* 6.

re, etiam ſeneſcentes aegre poſſimus? Neque parvi ſane momenti hanc rem eſſe is exiſtimabit, qui ſecum reputet, in quam ſeria mala levia haec, utpote puerorum tantum & muliercularum terriculamenta, ut nonnullis videantur, haud raro ducunt. Horret enim animus meminiſſe, quot hominum innocentium myriadas poſt Chriſtum natum varias apud gentes flammis damnaverit veneficiorum ſuſpicio: dum ipſi forſan judices, aut vanis opinionibus caecarentur; aut ab irata plebe ſibi metuerent, ſi, quos illa reos praejudicaverat, ſententiis ſuis abſolviſſent. Ecquis credat quemquam ſanae mentis voluiſſe, id ſibi laudi ducere, quod nongentos circiter veneficii reos, intra annos quindecim, in unica Lotharingiae provincia, ipſe capitis damnaſſet (*a*)? Et tamen ex permultis, quas idem narravit, hiſtoriis illorum, qui poenas dederunt, manifeſtiſſime apparet eos omnes non, ut ipſi imaginabantur, cum daemonibus pacta habuiſſe, ſed revera fuiſſe mente captos; adeo ut palam confiterentur ea ſe facinora perpetraſſe, quae ipſa rerum natura fieri non patitur. Sed ita fit, ut error ſuperſtitionem, ſuperſtitio ſaevitiam plerumque pariat. Magno igitur gaudio afficior, quod jam ab aliquot annis leges de ſagis & veneficis morte plectendis apud nos prorſus ſint abolitae; quum barbaram hanc crudelitatem exteri adhuc retinent, eoque pertinacius, quo minus rerum veras cauſas intelligant. Et certum eſt profecto ita a vulgo accipi doctri-

nam

(*a*) Vid. *Nic. Remigii Daemonolatreiam*,

nam de daemonibus, quasi pro numine quodam habendus sit diabolus; aut saltem, seposito illius metu, nullus satis constare possit cultus divinus: cum tamen diserte dixerit Apostolus, *Ideo patefactum esse Dei Filium, ut diaboli opera aboleret* (*a*).

ATTAMEN non ab re erit lectorem semel admonere, interpretationem *Bibliorum* a Sebastiano Castalione factam me ubique fere adhibuisse; quippe quam, habita multis in locis collatione, non modo Latinissimam, sed etiam accuratissimam, & ad sensum mentemque dictorum, tam in Hebraeis quam Graecis, maxime accommodatam deprehendi.

ΒΕΒΗΛΟΙΣ autem haec non scripsi; sed iis tantum, qui aut sacris theologicis, aut medicis, initiati sint & eruditi. Eaque de causa Latino potissimum sermone in lucem edere placuit; quem per multa jam saecula docti homines ad ea inter se communicanda, quae aut nova, aut praeter vulgarem opinionem dicta viderentur, ubique fere adhibuerunt. Si quis igitur libri hujusce Anglicam versionem susciat, non tantum, me invito, id se facturum sciat; sed etiam contra jus illud aequabile, quo de re sua, prout libeat, statuere unicuique conceditur.

SED ut finem praefandi faciam, fidem Christianam ab omnibus suis cultoribus id in primis exigere liquet, ut quaevis humanitatis ac benevolentiae officia sibi invicem praestent. Quapropter omnino cavendum est, ne tam benefi-

ca

(*a*) *Johan. Epist.* I. *Cap.* III. *vers.* 8.


ca animi affectio modis quibusvis corrumpatur; quod opiniones de bonitate divina minus consentaneae maxime faciunt. Proinde, cum ea sit temporum nostrorum calamitas, ut non tantum licitum, sed & laudabile multis habeatur, fidem & auctoritatem Christianae Religionis oppugnare, modisque omnibus elevare; nulli mirabilium narrationum explicatus, modo sint verisimiles, rerumque, de quibus agitur, naturae conveniant, intempestivi censeri debent.

Caeterum non in animo habui singulos morbos, qui in Sacris Literis occurrunt, describere: sed illos praesertim, quorum natura vulgo minus cognita videbatur, vel saltem contra quos singularem aliquam medicinam ipse proponendam haberem; idque eodem ordine, quo illic traduntur, Jobi calamitate solum excepta, cui ob summam antiquitatem primum tribui locum. Multa autem tam corporis quam animi mala, praeter ea, de quibus hic meminerim, ut divinam suam virtutem hominibus manifestam faceret, sanavit ὁ τοῦ κόσμου Σωτὴρ; quorum omnium naturam & causas siquis scrutari vellet, rei medicae corpus necesse esset conscribere, quod quia non praesentis erat instituti, olim fortasse, nisi mihi

Frigidus obstiterit circum praecordia sanguis,

plura ad hanc rem spectantia, reipublicae medicae causa, in medium proferre non pigebit. Tu interim, Lector, haec candide accipias. Mihi autem satis erit bene collocatae operae, rectique animi conscientia frui. Vale.

CAPI-



CAPITUM ARGUMENTA.

MEDI-



MEDICA SACRA.



CAPUT I.

Jobi morbus.


EMORABILEM faciunt Jobi morbum res nonnullae praeter solitum circumstantes & consequentes; cujusmodi sunt viri dignitas, subitanea status immutatio, res supra modum adversae, incredibilis in his patientia, restitutio in felicitatem priori longe majorem, aegritudinis denique, qua percitus fuit, singularis natura.

SEDEM is habuit in regione Husa, quam in Arabiae Desertae parte septentrionali, versus Euphratem & Mesopotamiam, collocatam

 fuisse

fuiſſe cenſet eruditiſſimus Fridericus Spanhemius (*a*). Vir admodum fuit illuſtris, omnium Orientalium locupletiſſimus, filiis filiabusque beatiſſimus, vitae integerrimus, & cultus Dei obſervantiſſimus. Ad probandam autem integritatem ejus, ut Satanas illum modis omnibus, ſalva tamen ipſius vita, affligeret, Jova permiſiſſe dicitur. „ Hic itaque diriſſimas illi „ calamitates intulit; captis primum a Sa„ baeis bobus omnibus, & aſinis, deinde ba„ lantibus & ſervis, lapſo de coelo fulmine, „ incenſis; camelis abactis; filiis filiabusque „ a vento in domum, in qua epulabantur, im„ pingente, ea collapſa, mortuis; affecto „ denique ſcabie foedisque ulceribus toto ipſius „ corpore, ita ut, ſumpta teſta, ſedens in „ medio pulvere ſeſe ſcaberet. " Hinc ex ditiſſimo pauperrimus, ex fortunatiſſimo miſerrimus evaſit. Neque tamen haec omnia mala illum ab animi ſui conſtantia, & pietate erga Deum, vel minimum dimoverunt (*b*); quapropter Jova ab eo ſupplicante exoratus calamitatem omnem depulit, omnia, quae habuerat, conduplicavit, & fortunatiorem fecit (*c*).

ANTIQUISSIMUS autem omnium, quos quidem extitiſſe novimus, jure merito cenſeatur liber Jobi; quem nonnulli etiam patriarcharum temporibus, plurimi circa Moſis aetatem, & quidem ab ipſo Moſe, pauci poſt illum

(*a*) *Hiſtor. Jobi, cap.* IV.
(*b*) Vide *Jobi Cap.* I. & II.
(*c*) *Ibid. Cap.* XIII.

lum ſcriptum eſſe volunt (*a*). Mihi vero perplacet doctiſſimi Lightfooti conjectura, qui illum ab ipſo Elihu, collocutorum uno, confectum eſſe opinatur; hac praecipue ratione adductus, quod hic vir de ſe, ceu hiſtoriae hujus ſcriptore, loquitur (*b*). Id ſi ita ſit, ante Moſis aetatem exaratus fuiſſe videbitur. Caeterum utcunque haec ſe habeant, manifeſta ſummae vetuſtatis librum hunc prae ſe ferre indicia certiſſimum eſt; ex quibus, quae maximi momenti eſſe videntur, hic breviter attingam. Nusquam in eo de exitu Iſraëlitarum ex Aegypto, de Moſe, aut lege Moſaica, quidquam dicitur. Patriarcharum more, tanquam familiae princeps, privatis in aedibus pro peccatis liberorum ſuorum expiandis hoſtias Jobus immolabat (*c*). Cum integritatem ſuam declararet, illius fere ſolum idololatriae meminit, quae fuerat antiquiſſima, ſolis nimirum lunaeque cultus (*d*); quem apud vicinos Chaldaeos & Phoenices primum obtinuiſſe, & vetuſtiſſimum fuiſſe ſcimus. Aetas denique ipſius longe ſupra eam provecta, quae Moſis tempore ſtatuta fuit mortalibus, fidem facit antiquitatis. Vixit enim a tempore reſtitutionis ſuae annos centum quadraginta, ita ut ad annos plus quam ducentos vitam protraxiſſe facile credi poſſit. Seniorem enim fuiſſe, cum cala-

(*a*) Lege de his docte more ſuo differentem laudatum Spanhemium, *Lib. citat. Cap.* VIII. & IX.
(*b*) *Oper. Tom.* I. *p.* 24.
(*c*) *Job. Cap.* I. *vſ.* 5.
(*d*) *Ibid. Cap.* XXXI. *vſ.* 26, 27.

calamitates eum oppresserunt, inde colligere licet; quod, quanquam senes dicantur tres ipsius amici (*a*), ipse tamen inter argumentandum nullum, ut Elihu, ob aetatem honorem iis deferre videtur. Ne longior sim, cum Spanhemio statuendum censeo, Jobi tempora incidisse in servitutem Israëliticam in Aegypto, ita ut neque posteriora populi illius ἐξόδῳ, neque εἰσόδῳ anteriora fuerint.

DISPUTANT autem gravissimi auctores, fabula sit, an vera historia, haec narratio. Si mihi sententiam meam hic interponere liceret, dicerem non παραβολὴν per ὑποτύπωσιν fictam, sed ex vera historia concinnatum esse dramaticum poëma; & eum fortasse in finem, ut exemplo viri illustris & integritate clari, afflicti tamen & miserrimi, omnia ista mala, quae in captivitate sua Aegyptiaca perpetiebatur populus Israëliticus, aequo animo ferre condisceret. Metricum sane esse hunc librum, pariter ac Davidis *Psalmos*, *Proverbia*, *Ecclesiasten*, *Canticum Canticorum*, confessa res est. Personae autem in scenam productae & interloquentes sunt, Deus, Satanas, Jobus, cum uxore, tres ipsius amici, & Elihu. *Est ergo*, inquit Hugo Grotius, *res vere gesta*, *sed poëtice tractata* (*b*). Antiquissimum certe scribendi genus erat poësis, & historias veras suo modo ornare solebant poëtae, ut in vetustissimis apud Graecos & Romanos videmus. Et inter

(*a*) *Job. Cap.* XXXII. *vs.* 6.
(*b*) *In loc.*

inter Hebraeos quoque longe poſt haec tempora Ezechiël hiſtoriam eductionis ex Aegypto carmine dramatico complexus eſt, unde *Judaicarum tragoediarum poëta* a Clemente Alexandrino appellatur (*a*). Neque ſane, ut mea fert opinio, ſtyli ſublimitate & elegantia, ſermonum gravitate & ſapientia, rerum naturae deſcriptionibus, morum denique ſingulis perſonis convenientium proprietate (quae quidem omnia ſunt in fabula maximi momenti) quidquam in hoc ſcribendi genere poteſt eſſe admirabilius, & ad animos commovendos accommodatius.

Quo propius ſtes,
Te capiet magis.

Sed finem hiſce imponam, poſtquam de viri hujus illuſtris morbo conjecturam fecero. Illud autem in anteceſſum obſervare convenit, non Jobum, aut Jobi amicos; ſed ipſum libri hujus auctorem, calamitatem hanc Satanae acceptam referre. Mundum nempe Supremi Numinis providentia regi, & ſicut angeli ſancti, quorum miniſterio in largiendis beneficiis ſuis Deus utitur, ipſius imperio omnia procurant; ita Satanam ipſum cum miniſtris ſuis ſub Dei poteſtate eſſe, neque ſine permiſſu divino quaevis mala hominibus infligere poſſe, egregio exemplo oſtendere voluit. Hinc

(*a*) Ὁ τῶν Ἰουδαϊκῶν τραγῳδιῶν ποιητής. *Stromat. Lib.* I. *p.* 414. *ed. Oxon.* 1715.

Hinc cum *angeli convenirent ; & apud Jovam adſtarent Satanas una cum iis adeſſe* dicitur. *Aſtare* autem, ut obſervat Rabbi Moſes Majemonides (*a*), eſt accingi ad mandata Jovae accipienda, Satanas vero injuſſus, & ſponte ſua, ſe illis immiſcuit.

Verumtamen quod ad morbum attinet, cutis vitium fuiſſe liquet. Certum eſt autem, ut foedis in ſumma pelle ulcerationibus ab omni aevo quam maxime patuerunt Hebraeorum corpora, unde carnis ſuillae eſu illis interdictum fuiſſe putant eruditi, (quippe quae craſſum, & aegre perſpirabile nutrimentum ſanguini ſubminiſtrans, iſtiusmodi corporis conſtitutionibus minime convenit) ita eo gravius ſaeviiſſe haec incommoda, quo calidiores regiones incolebantur, qualis eſt Arabia Deſerta. Atque ob hanc cauſam auctores exteri, quibus deſpectui & inviſus erat populus Judaeus, illum ex Aegypto pulſum fuiſſe tradunt; nimirum ne ſcabies & vitiligo, morbus illis communis, lepraque dictus, ad plures ſerperet (*b*). At vero alius eſt morbus iſto longe deterior, in Aegypto adeo frequens, ut illic vernaculus eſſe dicatur (*c*), qui in torrida hac terra etiam naſci facile potuit, elephantiam

(*a*) *More Nevochim*, *Par.* III. *cap.* XXII.

(*b*) *Juſtin. Hiſt. Lib.* XXXVI. *C.* 2. & *Tacit. Hiſt Lib.* V. *ab initio.*

(*c*) *Lucret. Lib.* VI. *vſ.* 1112.

Eſt elephas morbus, qui propter flumina Nili
Gignitur Aegypto in media.

tiam intelligo. Is, leprae fere congener, viri hujus integerrimi corpus forſitan corruperat, de quo in capite proxime ſequenti plura dicemus.

Ad ſummam igitur Deus, beneficus ſemper & miſericors, cultotis ſui conſtantiam animi, & patientiam in adverſis, auctis in immenſum ejus facultatibus, cum felicis etiam familiae incremento, tandem remuneravit.





CAPUT II.

Lepra morbus.

ATROCISSIMUS erat, qui Judaeorum corpora frequenter foedabat morbus, lepra dictus. Ejus ſigna in ſacris literis expoſita hujusmodi erant (*a*). „ In cute oriebantur papulae; pili in album colorem mutabantur; affectus facies cute erat depreſſior; cum morbus inveteraverat, tumor albus fiebat in cute, cui inerat caro viva; creſcebat indies haec labes, & per corpus ſerpebat." Proinde non tantum corpora, ſed & veſtes, imo (quod mirum videatur) utenſilia pellicea, quin & ipſos aedium parietes, occupare dicitur hoc malum." Idcirco de his etiam purificandis praecepta traduntur.

DE contagione hujus morbi diſſentiunt auctores medici. Et, quoniam de tam peſtifera illius vi, quae veſtes atque aedium parietes occupare poſſet, nec Arabes nec Graeci medici, qui multa de illo ſcripſerunt, memoriae aliquid tradiderint; num ea, quae Judaeos infeſtabat, a communi lepra diverſa plane fuerit, diſputant doctores Hebraei; omnes.

(*a*) Vid. *Levitic. Cap.* XIII. & XIV.

nesque affirmant, *nunquam in universo mundo inventam esse lepram vestium & domorum, nisi in sola Judaea, & solo populo Israëlitico* (*a*).

Ego super hac re, quae veri mihi simillima videntur, proponam. Contagium aliud alio est subtilius. Est enim, quod halitu solo in corpus recipitur; quale in peste, variolis, aliisque febribus malignis, observamus. Est etiam, quod non nisi tactu contaminat; aut interno, ut luis venereae virus; aut externo, ut scabiei noxa, quae pannorum laneorum vel linteorum fricatione immittitur. Potuit ergo lepra, quae scabiei species est, hoc modo in hominem sanum transire. Fortasse etiam vitae consuetudine, pariter ac tabem, *contagiosam esse, & convictu cum phthisico contrahi, corruptis putrefactisque pituitis in pulmonem hominis sani delabentibus*, notavit Fracastorius (*b*). Neque aliter de elephantia, leprae congeneri morbo, sententiam dicit Aretaeus; qui *cum morbo hoc affectis versari atque vitam agere, non minus, quam cum pestilentia contaminatis, metuendum esse monet, contagionem, enim per inspiratum aërem communicari* (*c*).

At nodus difficilis hic solvendus est. Dicit enim Moses, *Si in leprae affectu animadvertatur tumor albus in cute, factaque sit pilorum in illa in album mutatio, & insit in cute caro viva; le-*

(*a*) Leg. *Critic. Sacr. ad Levit. Cap.* XII.
(*b*) *De morbis contagiosis*, *Lib.* II. *Cap.* IX.
(*c*) *De causis diuturnorum morborum, & de curationibus eorundem, Lib.* II. *Cap.* XIII.

lepram esse in corporis cute inveteratam. Sin autem lepra effloruerit in cute, & totam morbidi cutem a capite ad pedes occupaverit; tum morbidus purus judicandus erit (*a*) Manifestum est igitur, ut opinor, duas hic designari morbi hujusce species; unam, in qua cutis erosa exulcerabatur, ita ut caro viva subtus appareret; alteram, quae in summa cute tantum efflorescebat, quae & ipsa quasi squamis quibusdam exasperabatur. Ab isto igitur discrimine evenit, ut ille morbus contagiosus esset, hic non item. Squamae enim furfuris instar, aridae & leves, in cutem non penetrant; at materia purulenta, ex ulceribus ejus effluens, corpus summum corrumpit. Sed de morborum differentiis, qui cutem foedant, operae pretium erit legere, quae congessit vir rei medicae & linguae Romanae studiosissimus, Joannes Manardus (*b*).

Nullo non tempore notus fuit hic morbus; saevior vero semper erat in Syria & Aegypto, utpote regionibus calidioribus, quam in Graecia & aliis Europae locis; quin etiam hodie frequens est in iis nationibus. In Damasco enim, ut a viatoribus accepi, duo sunt nosocomia leprosis sanandis destinata. Et Edessa fontem habet, in quo lavantur quotidie, ut antiquitus in more fuit, magno numero hac cutis foeditate affecti.

Quinimo praecipuas, quae in leprae Mosai-

(*a*) *Levit. Cap.* XIII. vs. 10. &c.
(*b*) *Epist. Medicinal. Lib.* VII. *Epist.* 2.

ſaicae deſcriptione occurrunt, notas, exceptis duntaxat veſtium & aedium inquinamentis (de quibus mox dicam) a medicis Graecis memoratas legimus. Ipſe Hippocrates λεύκην appellat Φοινικίην νȣ̃σον, *morbum Phoenicium* (*a*). Φοινικίη enim pro φθινικὴ legendum eſſe ex Galeni *explicatione linguarum Hippocratis* manifeſto apparet; apud quem Φοινικὶη νȣ̃σος eſt morbus, qui *in Phoenicia & aliis orientalibus regionibus frequens eſt* (*b*). Congeneres autem morbos eſſe *leucen* & *elephantiam* in capite praecedente dixi (*c*); unde, ut idem obſervat, alter altero interdum mutatur (*d*). Caeterum qualis ſit uterque affectus, ex nullo auctore melius diſcemus, quam ex Celſo. Is circa imperatoris Auguſti tempora praecipua omnia, quae Graeci, tam medici quam chirurgi, ad artem medendi ſpectantia ſcripſerant, collecta & in ordinem digeſta, in ſuum, hoc eſt, in Latinum ſermonem elegantiſſime & ſapientiſſime convertit. De *leuce* autem verbo ejus ita ſe habent. *Vitiliginis*, inquit, *tres ſpecies ſunt.* Ἄλφος *vocatur, ubi color albus eſt, fere ſubaſper, & non continuus, ut quaedam quaſi guttae diſperſae videantur; interdum etiam latius, & cum quibusdam intermiſſionibus ſerpit.* Μέλας *colore ab hoc differt, quia niger eſt, & umbrae ſimilis, caetera eadem ſunt.* Λεύ-

κη

(*a*) *Prorrhetic. Lib.* II. *ſub finem.*

(*b*) Ἡ κατὰ Φοινίκην, καὶ κατὰ τὰ ἄλλα ἀνατολικὰ μέρη πλεονάζȣσα.

(*c*) *Pag.* 10.

(*d*) *De ſimpl. medicam. facult. Lib.* XI.

κη habet quiddam ſimile ἄλφῳ, ſed magis albida eſt, & altius deſcendit; in eaque albi pili ſunt, & lanugini ſimiles. Omnia haec ſerpunt, ſed in aliis celerius, in aliis tardius. Alphos & melas *in quibusdam variis temporibus oriuntur & deſinunt.* Leuce, *quem occupavit, non facile dimittit* (*a*). *In* elephantia *vero*, ut ſcribit, *totum corpus afficitur ita, ut oſſa quoque vitiari dicantur. Summa pars corporis crebras maculas, crebrosque tumores habet; rubor paulatim in atrum colorem convertitur. Summa cutis inaequaliter craſſo, tenuis, dura, mollisque quaſi ſquamis quibusdam exaſperatur; corpus emacreſcit; os, ſurae, pedes intumeſcunt. Ubi vetus morbus eſt, digiti in manibus pedibusque ſub tumore conduntur* (*b*). Hiſce congruentia ſunt, quae apud Arabas medicos leguntur. Avicenna, horum princeps, *lepram* eſſe dicit, *quaſi cancrum communem toti corpori* (*c*). Ex his igitur omnibus manifeſtum fit, lepram in Syria non natura, ſed gradu tantum, ab illa in Graecia, quae λεύκη ibi vocabatur, diverſam fuiſſe; & ipſum hunc morbum interdum apud Graecos, maxime vero inter Arabas, elephantiae affinem fuiſſe. Caelum enim, & victus ratio, morbos omnes in cute prorumpentes in pejus evehunt.

Quod ad veſtium autem contagia attinet, certiſſimis experimentis compertum eſt non, tan-

(*a*) *De medecina*, *Lib.* v. *Cap.* xxviii. §. 19.
(*b*) *Lib.* ipi. *C.* xxv.
(*c*) *Canon. Lib.* iv. *Fen.* 3. *Cap.* i.

tantum in peste, & aliis nonnullis febribus; in quibus per cutem pustulae malignae protruduntur, ut in variolis & morbillis, sed & in ipsa vulgari scabie morbidam vim in rebus quibuslibet pelliceis, laneis, linteis, & sericis exceptam diu haerere, & hinc in sana corpora transire. Potuit igitur facile per talia leprosum virus in illos, qui haec gestabant, aut contrectabant, seminis ad instar spargi, & cutem labe sibi propria corrumpere. Summa enim corporis, pars quantumvis mollis & laevis videatur, foraminibus tamen pervia, & sulcis aspera, nidum praebet particulis ex tabo spirantibus, minutissimis quidem illis, sed maxime actuosis. Sed haec in libro *De peste* fusius exposui (*a*). Contagiosum autem istud seminium humore acri & salso, a sanguine derivato, commiscetur; qui, cum natura partim in nutrimentum cedere, partim per cutem exsudare debuisset, hujus squamulas corrumpit; quae aridae factae, & albae, interdum etiam niveae, a cute resolvuntur, ac furfuris ritu decidunt. Et licet morbus hic apud nos, quibus caelum est frigidius, rarus admodum & insolitus sit; vidi tamen ipse rusticum quendam ita miserabiliter toto corpore illo occupatum, ut cutis quasi nive cooperta splenderet; squamae vero furfuraceae assidue defricabantur, subtus apparente carne viva. Miser iste in loco uliginoso vitam omnem transegerat, pravo victu & aqua corrupta sordidum corpus sustentans. At

(*a*) Cap. 1.

At difficilior multo eſt de domibus pollutis quaeſtio. Vix enim natura fieri poſſe videtur, ut in parietibus ſiccis, & ex dura materia coagmentatis, naſci & ſe diffundere potuiſſent maculae leproſae. Subiit tamen aliquando mentem meam evenire potuiſſe, ut in muris aedium, qui ex materie admodum varia, calce fortaſſe, lapidibus, terra bituminoſa, pilis animalium, & ſimilibus commiſtis, conſtructi erant, exaeſtuando *ſcrobes virides aut ruffos intra ſuperficiem* parerent (*a*); qui, cum leproſam in corpore humano ſcabiem quodammodo referrent, *lepra in domo* vocabantur. Facillime enim effervefcunt corpora natura diverſa, cum permiſcentur & coëunt. Humor igitur iſtiusmodi prorumpens paulatim in pariete ſerpſiſſe, & licet non eſſet contagioſus, foetido tamen & inſalubri halitu incolis noxam & perniciem adtuliſſe conſeatur. Nec diſſimile quiddam haud raro noſtris in domiciliis obſervare licet, ubi in muris, gypſo parum idoneo obductis, ſales calcarii & nitroſi niveo fere colore propullulant. Sacerdotibus autem domus eorum data fuit inviſendi poteſtas; qui, ubi hanc foeditatem animadverterent, muros primum circumradere; deinde, ſi perſtitiſſet adhuc vitium, etiam domum diruere, & totam extra oppidum in locum immundum exportare jubebantur.

Scio hoc ita enunciari, quaſi Deus ipſe domum hac peſte affeciſſet. At notum eſt in Ju-

(*a*) *Levit. Cap.* XIV. vſ. 37.


Judaica hiſtoria iſtum loquendi morem haud inuſitatum eſſe; ut in calamitatibus & rebus malis, quae nec opinato eveniunt, & terrorem incutiunt, illa interdum a Deo fieri dicantur, quae a cauſis naturalibus proveniant. Nec id facile credam, quod tamen nonnullis videtur, Deum ipſum, qui populum ſuum omnibus immunditiis immunem ſemper eſſe juſſit, foediſſima hac poena, edito miraculo, quenquam multare voluiſſe. Illud extra dubium eſt, ita conſtituta fuiſſe legis Moſaicae praecepta, ut populum ab idololatria & vanis religionibus averterent, ſimulque ab omnibus immunditiis purum praeſtarent (*a*). Huc ſpectabant ſanguinis in cibo, morticinorum, carnis ſuum, & aliorum quorundam animalium interdictio (*b*). Haec enim omnia nutrimentum craſſum, quod in morbis, qui cutem occupant, incommodum eſt & noxium, corpori ſuppeditant.

Ut theologicis autem hiſce medicum aliquid adjiciam, experientia compertum habeo, non aliud dari adverſus foedum hunc morbum praeſtantius remedium *tinctura cantharidum*, qualis in *Pharmacopoeia Londinenſi* proponitur. Haec ejus vis inſigni illi virtuti urinam movendi, qua pollent illa inſecta, debetur. Magnus enim renes inter & cutis glandulas conſenſus, ita ut humores in has delati per illos fa-

(*a*) *Moſ. Majemonid. More Nevochim*, *Part.* III. *Cap.* XXXIII. XLVIII.

(*b*) *Lev. Cap.* XI. & XVII.

facile viam inveniant, & urinae profluvio expurgentur; contra vero, ubi renes diutius officio ſuo quacunque de cauſa defuerint urinoſus liquor per cutis meatus interdum tranſudat. Interponenda tamen per vices erunt medicamenta ejus generis cathartica, quae craſſis & acribus humoribus foras ejiciendis ſunt maxime accommodata.



C A-



CAPUT III.

Regis Sauli morbus.

Cum „ Saulus rex Jovae ſpiritu deſtitutus „ à malo ſpiritu, auctore Jova, vexa- „ batur; ſuaſerunt ejus aſſectatores, ut ſuis „ famulis negotium daret, ut aliquem tan- „ gendae citharae peritum conquirerent, qui „ eum malo Dei ſpiritu correptum pulſandis „ fidibus mitigaret." Quod cum, accerſito Davide, factum eſſet, „ quandocunque ac- „ cidebat Saulum divino illo ſpiritu corripi, „ David correptam citharam manu pulſabat; „ atque ita reſpirabat Saulus, &, faceſſente „ ab eo malo illo ſpiritu, mitigabatur (*a*)."

Manifestum mihi videtur regis hujus morbum veram inſaniam fuiſſe, ex eo ſcilicet genere, quae in triſtitia conſiſtit, & quam atram bilem contrahere dixerunt medici veteres. Haec autem incertis vicibus illum occupabat, ut ſaepe fit in iſtiusmodi generis malis. Neque latere poterat aegrimoniae illius cauſa, utpote qui Jovae mandato regno ſuo nuper erat exutus. Aptiſſimum autem erat, quod adhibebatur remedium, citharae nimirum pulſatio. Jam olim enim medici ad diſcutienduas triſtes

(*a*) Vid. *Regum Lib.* I. *Cap.* XVI.


triſtes cogitationes ſymphonias, cymbala, ſtrepitusque proficere docuerunt (*a*); quorum virtutem juxta leges geometricas nos alibi expoſuimus (*b*) Hinc etiam clarius patet cauſas naturales habuiſſe iſtum affectum, qui enim alias poſſet citharae cantus illum depellere? Conſilium autem in homine & prudentia Dei ſpiritus, eis vero deſtitutus a malo ſpiritu vexari, hoc eſt, mente capi, ex Hebraicae linguae uſu dicebatur.

NON ſum neſcius Judaeos loquendi modo ſibi familiari ad angelorum malorum, Jovae miniſtrorum, potentiam hujusmodi morbos referre ſolitos eſſe; quin & nunc dierum viros quosdam doctiſſimos eandem ſententiam tueri. Mihi vero, ſi libere id, quod cenſeo, profari liceat, non recte videntur ad iram divinam referri morbi, quos cauſas naturales habere oſtendi poteſt; niſi diſerte denuncietur illos divinitus immitti. Cum enim in delictorum poenam proveniant, fruſtra eſſet Summi Legislatoris propoſitum, nullo dato documento, quo vindicta ejus ab eventibus vulgaribus diſtingueretur; quoniam inſontes etiam funeſti ejusmodi caſus inceſſere poſſunt. Porro rationi conſentaneum videtur, ut inflicta ab Omnipotenti Judice damna aut immedicabilia ſint, aut ab ipſo ſolo tollantur; quo clarius eluceſcat ejus cum aequitate juncta potentia. Tali diſcrimine ea, quae miraculo fiunt,

(*a*) Vid. *Celſum*, *Lib.* III. *Cap.* XVIII.
(*b*) *Mechan. Acc. of Poiſons*, *Eſſay* II. 4. *ed.*

fiunt, ab iis, quae contingunt natura, dignoſcuntur. Neque enim credere par eſt, id velle rerum Opificem ter Optimum Maximum, ut irrita ſint opera ſua. Idcirco notatu dignum eſt, caveri ſemper in ſacris hiſtoriis, ut in iſtiusmodi caſibus divina vis manifeſtiſſima ſit, & omnibus compareat. Ita cum Jova ob peccatum commiſſum Mariam lepra contaminavit, & illam, Moſe veniam deprecante, ſanam reddere voluit, poſt ſeptem demum dies id factum eſt (*a*) Gihezis lepra in ipſo ſuaque progenie perpetuo haeſit (*b*). Azarias rex, quod ſacella non demolitus eſſet, lepra ad mortem usque adfectus eſt (*c*). Ananias & conjux ejus, Petro miraculum id edente, examinati ſubito corruerunt (*d*). Elymas magus, in poenam fraudis ſuae & ſceleris, a Paulo caecitate ad tempus percuſſus eſt (*e*) Cum ergo comminationes & indicia morborum, inſolito modo inferendorum, nunquam non proferantur; quidni, ubi illa deſunt, nihil ſupra naturam eveniſſe dicamus? Et hoc quidem de aliis etiam calamitatibus ſemel in univerſum dictum velim.

(*a*) *Numer. Cap.* XII. vſ. 14.
(*b*) *Regum Lib.* IV. *Cap.* V. vſ. 27.
(*c*) *Regum Lib* IV. *Cap.* XV. vſ. 5.
(*d*) *Act. Apoſt. Cap.* V.
(*e*) *Ib. Cap.* XIII. vſ. 11.




CAPUT IV.

Jorami regis morbus.

De Joramo Judaeae rege narratur, quod, cum is Jovam ostendisset, „ Jova eum „ tam insanabili intestinorum morbo affecit, „ ut continuatis diebus, peracto biennii spa- „ tio, ejectis cum morbo intestinis, mortuus „ sit morbo gravissimo (*a*). " Hunc eundem interitum habuisse perhibentur impii reges duo, Antiochus Illustris & Agrippa, de quibus id dictum fuit: Εἰς τί τὰ σπλάγχνα τοῖς ἐ σπλαγχνιζομένοις (*b*).

Non alius autem, ut mihi videtur, fuit hic morbus, quam gravis dysenteria. In hac enim intestina exculcerantur, ex quibus cruor manat, cum stercore aliquo semper liquido, & quibusdam quasi mucosis; nonnunquam etiam carnosa quaedam ramenta simul descendnnt, ita ut ipsa intestina ejici videantur.

(*a*) *Paralipomen. Lib.* II. *Cap.* XXI. vs. 18.
(*b*) Vid. *Grotii notas ad hunc locum.*



C A-




CAPUT V.

Ezechiae regis morbus.

„ CUM Jovae mandato Ezechiae lethaliter „ aegrotanti nunciasset Esaias vates, il„ lum moriturum esse, neque revaliturum; „ Jova, precibus ipsius exauditis, Esaiam re„ verti jussit, & dicere, se illum sanaturum „ post triduum. Jussit autem Esaias *massam* „ *ficuum*-sumi, eamque ulceri imponi; quo „ facto, ille convaluit (*a*)."

ID mihi verisimillimum videtur, febre laborasse regem, quae in abscessum desinebat. In hujusmodi autem casibus ea semper conveniunt, quae suppurationem promovent, cataplasmata in primis, quae digerunt & resolvunt; neque aliud fere praestantius est illo, quod ex *ficubus aridis* conficitur. Ita, cum verbo solo poterat, maluit Omnipotens remediorum naturalium efficientia morbum hunc depellere. Quo certe docemur in rebus adversis, adjunctis ad Deum precibus ut incepta secundet, usum illorum, quae beneficus nobis indulsit, non negligere.

(*a*) *Regum Lib.* IV. *Cap.* XX.



CAPUT VI.

Senectus morbus.

SENECTUS *ipsa est morbus*, ficut recte dixit poëta (*a*). Cum itaque elegantissimam ejus descriptionem, a regum sapientissimo Salomone factam, cum voluptate saepe perlegerim; non alienum esse puto a proposito meo, si dilucidius illam, prout potero, exponam atque illustrem. Sunt enim quaedam intellectu non adeo facilia, quod ἀλληγορικῶς omnia exprimere voluit facundus concionator. Primum autem ipsam orationem lectoris oculis subjiciam, quae ita se habet.

„ MEMENTO Creatoris tui, dum juvenis
„ es, antequam veniant mala tempora, ac-
„ cedantque anni, quibus te delectari neges:
„ antequam tenebrescat sol atque lux & luna
„ & sidera, redeantque post pluviam nubes;
„ tum quum domus custodes trement, & nu-
„ tabunt milites, & cessabunt imminutae mo-
„ lae; & caligabunt spectantes per meatus;
„ & claudentur fores extrinsecus, cum exili
„ sonitu molae, & surgetur ad avis vocem;
„ & cassae erunt omnes musicae puellae:
„ quum etiam alta & illisus in via timebuntur;
„ & florebit amygdalus; & convenient cica-
„ dae;

(*a*) *Terent. Phorm. Act.* IV. *Sc.* I. *vs.* 9.

„ dae; & peribit appetitus, discedente homi-
„ ne in aeternam domum suam & circumeun-
„ tibus in vico lugentibus: antequam abrum-
„ patur argentea catena; & quassetur guttus
„ aureus; & urna frangatur ad scatebram; &
„ conquassetur ad foveam currus; redeatque
„ pulvis in terram, qualis fuerat; & spiritus
„ ad Deum redeat, qui eum dedit (*a*)."

A MENTIS erroribus incipit enumeratio malorum. *Tenebrescit*, inquit. *sol atque lux & luna & sidera.* Perceptiones animi in senibus sunt minus vividae, rerumque ideae & imagines confunduntur, ac memoria deperditur, unde intellectum vim suam paulatim amittere necesse est. Sapientia & intelligentia *lumen* saepe in sacris literis vocantur (*b*); contra vero *tenebris obduci*, & caecutire dicuntur, quibus rerum notitia eripitur (*c*). Recte enim Cicero, *Ratio*, inquit, *est quasi quaedam lux lumenque vitae* (*d*). Hinc Deus Optimus Maximus *Pater luminum* appellatur (*e*). Deficientes igitur animi virtutes sunt quasi obumbrata mundi lumina. Scio hæc cum complurium doctissimorum interpretum sententiis pugnare, qui *luminum obscuritatem* ad nativum & proprium verborum sensum explicant, & *visus defectum* intelligi putant. Miror autem illos non advertisse, omnia in hoc capite, etiam

(*a*) *Eccles.* XII. 1-7.
(*b*) *Job.* XVIII. *vs.* 5, 6, 7.
(*c*) *Matth. Cap.* VI. *vs.* 23. 1 *Joh. Cap.* II. *vs.* 11.
(*d*) *Academ.* IV. 8.
(*e*) *Jacob. Epist.* I. 17.

etiam minima quaeque, verbis translatis efferri. Etenim ut in depingendis ſenum calamitatibus actionum mentis laeſiones, quae ſunt omnium graviſſimae, non erant praetermittendae; ita non poterant hae clarius exprimi, quam per lucidorum caeli corporum obſcurationem, quae orbem regunt, & temporum viciſſitudines faciunt. Quod praecipue autem hic obſervandum venit, *viſus vitia* in numerum malorum mox refert*, neque eandem rem certe iterare voluit.

At pergit interim, proximeque adjungit, quae cum jam dictis bene convenire videntur. *Redeunt poſt pluviam nubes.* Curae nimirum & moleſtiae aliae alias inſequuntur, & aſſidue ſenio confectos premunt. Sicut in humidis regionibus & tempeſtatibus obnoxiis, etiamſi exhauſtae videantur nubes, ſuccedunt mox aliae, & pluviae recentes perpetuo fere ingruunt. Haec autem incommoda eo fiunt graviora, quo vires animi ad ea ſuſtentanda aut depellenda minus nunc, quam olim, idoneae reddantur.

Sed a mente ad corpus jam rex tranſit. *Domus*, inquit, *cuſtodes trement, & nutabunt milites, & ceſſabunt imminutae molae.* Membris etiam, ac firmiſſimis corporis partibus ſua dies adfert damna. Nervorum ſcilicet reſolutio manus ac genua infeſtat. Hinc illae injuriis propulſandis, & innumeris vitae uſibus, ad quos natura ſunt inſtructae, inhabiles evadunt; haec vero oneri ſuo ſuſtinendo imparia agilitatem ſuam amittunt; flexuque vacillant.

Den-

Dentes item molares aut excidunt, aut corrupti pereunt; ita ut pauci ad cibos duriores conficiendos amplius restent. In vocis Hebraicae interpretatione, quam hic *dentes molares* reddidi, Ariam Montanum secutus sum, qui recte, ut opinor, ita transtulit. Numero enim plurali hic ab auctore usurpatur, qui postea in singulari, sed diverso plane sensu, adhibet, ubi de gustandi sensu agit; ut mox ostendam, cum ad locum istum deveniam. Singulorum enim sensuum defectus, qui senectuti fere obrepunt, quin Solomon hic describere voluisse, nequaquam mihi dubium esse videtur.

Ad hos itaque jam progrediens a *visu* initium capit. *Caligabunt*, inquit, *spectantes per meatus.* His autem verbis deficientem oculorum aciem designari manifestum est, quam plerique omnes affecta aetate experientia sua percipiunt.

Sequitur *gustatus*, quem ita describit: *Claudentur fores extrinsecus, cum exili sonitu molae.* Sicut senes propter appetitus imminutionem labra sua rarius, quam olim, aperiunt: ita ob dentium ad cibos comminuendos defectum sonitu etiam minori id faciunt. Horum autem posterius incommodum eleganter admodum verbis *exili sonitu molae* designari videtur. Etenim voce *mola*, quae Hebraice hic numero singulari adhibetur, ciborum confectio denotari potest; quae cum a senibus non dentium, qui jam perierunt, sed gingivarum fiat opera, sonitu leniori peragitur.

Dulce laborum lenimen, viriumque fractarum reparatio, somnus est. Appetitus autem imminutio, cibique fastidium, plerumque hunc aufert. Hinc damnum illud senilis aetatis priori subjungens ait: *Surget ad avis vocem*, hoc est, ad primum galli cantum senex expergiscitur. Quare cum imbecillum corpus longiorem desideret quietem, brevior & interrupta ei contingit.

Sed redit ad sensus, inter quos tertio loco *auditum* memorat; ad cujùs beneficia percipienda aurium usum nobis praebuit Creator. Hunc autem aufert interdum, raro non minuit, aetas ingravescens, quod verbis sequentibus rex indicare voluit: *Cassae erunt omnes musicae puellae.* Sic enim auriculas appellare placuit, quibus tunc temporis non tantum sonorum oblectamentum frustra quaeritur; sed, quod multo est molestius, voces etiam alloquentium haud facile percipiuntur: quo cum jucunditas, tum maxima simul vitae commoditas, sensim perit. Hinc in *Historia Judaica* Berzellaeus, octoginta annos natus, conqueritur se *fidicinum fidicinarumque cantus audire* amplius non potuisse (*a*).

Haec aurium damna, quae *tangendi* sensus patitur, proxime excipiunt. *Tactus* autem, ut ait Cicero, *in toto corpore aequabiter fusus est, ut omnes ictus rerumque appulsus sentire possimus* (*b*). Ad corporis igitur, tutamen, & com-

(*a*) *Reg. Lib.* II. *Cap.* XIX. *vs.* 35.
(*b*) *Nat. Deor.* II. 56.

complurium malorum, quibus perpetuo fere objectatur, depulsionem, hic sensus inter alios ejus usus plurimum confert. Id quod auctor sagacissimus hoc loco potissimum respicere censeatur, cum dicit: *Alta & illusus in via timebuntur.* Etenim ut senes, in via plana & aequali ambulantes, membrorum imbecillitate instabiles agunt gressus; ita in asperam & fragosam incidentes, sensus hujus torpore haud tempestive satis praesentiunt, quin si depressior sit titubandi, sin altior cespitandi ac pedem offendendi, periculum adeant. Non immerito, ut timore isto perculsi, hic repraesentari videntur.

E SENSUUM numero restat *olfactus*, ad quem postremo deveniens, imminutionem ejus in senibus non minus eleganter, quam breviter, hoc pacto describit: *Florebit amygdalus.* Quibus verbis indicare videtur, senes tanquam in perpetua hieme constitutos, verni & aestivi temporis gratissimos odores, ex plantis ac floribus emissos, haud amplius percipere. Hieme autem florere hanc arborem ex Plinio discimus, qui de illa tractans, *Floret*, inquit, *prima omnium amygdala, mense Januario* (*a*). De canitie haec a plerisque interpretibus explicari haud ignoro, quam, ut certissimum fere senectutis signum, per albos amygdali flores denotari volunt. At enim, cum quatuor sensuum defectus per indicia tam clara & perspicua scriptor prudentissimus depinxerit, quin-

(*a*) *Lib.* XVI. §. 42.

quintum silentio penitus praeterire voluisse quis credat? Quid, quod crines albi pro certo & indubitato senectae indicio minime censeri debent; cum non paucos, qui vel in media aetate, viribus corporis nondum affectis, canescunt, repetire liceat? Praeterea, quod de amygdali floribus ajunt, huic rei minime convenire videtur, qui non album sed purpureum colorem exhibent. Sed hactenus de sensibus, ad reliqua pergamus.

Longa aetate provectis commune malum est *hernia*, tam illa, quae devoluto in scrotum intestino, aut omento fit; quam quae, distrahente eam humore, nascitur. In utraque autem tumor exoritur. Infestum hunc morbum cum locusta comparare voluit concionator. *Oneri*, inquit, *erit locusta*. Sic enim melius, quam *convenient cicadae* (ut vertit eruditissimus Castalio) verbum verbo redditur phrasis Hebraea. Et versio quidem vulgata habet *impinguabitur locusta*. Septuaginta interpretes Παχυνθῇ ἡ ἀκρίς. Versio etiam Arabica, Latine reddita, *pinguescit locusta*. Nostra vero Anglicana, *The grashopper shall be a burden* Scimus linguam Hebraicam semper esse verecundam, & scriptores sacros in iis exprimendis, quae ad partes naturales pertinent, inhonestis & obscaenis vocibus abstinentes alias mutuari, atque a rebus quibuslibet, ne castas aures offendant, similitudines ducere. Quod in regis hujusce *Cantico Canticorum* quam maxime observare licet. Deforme autem animalculum est locusta, ex solo fere abdomine

con-

ſtans; quam, in primis cum ovulis ſuis graveſcit, ſcrotum, hernia tum efactum, cum parte virili referre quodammodo dici poteſt.

PARTIBUS hiſce tali modo affectis, *appetitum perire* addit vir ſcientiſſimus; non tam ad cibos hic reſpiciens, quam ad illa, quae vigenti congruunt aetati. Nam, ut dixit *artis amandi* magiſter: *Turpe ſenilis amor* (*a*).

TANTO igitur malorum cumulo ſenes oneratos ad mortem deprimi; & ſuorum luctu *aeternam domum ſuam*, qua corpora conduntur, *diſcedere*, nemini mirum eſſe poteſt. Caeterum intra hos fines aerumnas eorum, dum vivunt, haud ſemper conſiſtere, ſed alias quoque nonnumquam accedere, in reliqua orationis parte monemur.

NON enim membris tantum atque artubus decreſcit per aetatem ſuum robur, ſed & ſpina dorſi, imminuta indies muſculorum & ligamentorum vi, aliquid de ſua ſtabilitate deperdit: hinc ſenex erectus ſtare nequit, & pronum in terram, qua brevi tegendum erit, corpus inclinat. Haec *catenae argenteae* aſſimilatur, quae *abrumpi* dicitur. Vertebrae enim, ex quibus conſtat, quaſi annuli ſunt, & in poſteriorem partem, incurvato corpore, prominent. Quin etiam medulla, quae per has fertur, *argentei* ſive albidi coloris reperitur.

QUAE hactenus dicta ſunt, difficillimos explicatus non habent. Tria autem, quae concionem concludunt, incommoda revera ſunt

ac-

(*a*) *Ovid. Amorum Lib.* I. *Eleg.* IX. vſ. 4.

aenigmata, & Oedipi conjectoris indigent; qui tamen cum, saltem me judice, nondum repertus sit, ipse pro viribus ea solvere conabor. *Quassatur*, inquit, *guttus aureus: urna frangitur ad scatebram: & conquassatur ad foveam currus.*

DESTILLATIONES humoris ex capite in nares, fauces, & pulmonem senes vexant; quae profluenti ex quassata ampulla, vel *gutto*, aquae assimilantur. Propter dignitatem vero capitis *aureus* dicitur *guttus.*

NEQUE a capite tantum defluit pituita, sed & aliae partes liquorem suum ordinate effundunt. A renibus enim (quorum cavitas etiam nunc ab anatomicis *pelvis* dicitur) quod in iis secernitur ex sanguine, in vesicam profluit; quae ad debitum tempus propter resolutum suum sphincterem, quasi *fracta ad fontem urna*, id retinere nequit. Hinc foedum urinae stellicidium assidue molestiam creat.

ET hae quidem noxae singulas partes premunt; postrema vero, cum in hac oratione, tum in senibus calamitas, est universi corporis afflictio. Sanguinis ipsius cursus interrumpitur; hinc spiritus difficultas, apoplexia, aut lethargus misellos occupat. Cor etiam, vitae principium & fons, vi sua defectum jam concidit, *& in foveam labitur quassatus currus.* Ignorabant quidem veteres sanguinis circuitum; at vitalem hunc humorem huc illuc per corpus aliquo modo moveri, viscera & membra calore suo fovere, frigidum denique circum praecordia in morte concrescere, nescire non poterant.

No-

NOTATU autem maxime dignum eſt effatum illud, quo res ſapientiſſimus concionem ſuam concludit. *Redit*, inquit, *pulvis in terram, qualis fuerat; & ſpiritus ad Deum redit, qui illum dedit.* Quibus verbis, ut videtur, ignorantiae illorum, qui animum ſimul cum corpore interire putarunt, occurrere, & immortalitatem ejus aſſerere voluit.





CAPUT VII.

Nabuchodonoforis regis morbus.

Adeo mirabilia & praeter naturam videntur ea, quae de Nabuchodonofore Babiloniae rege narrantur, ut illum in beftiam revera transformatum fuiffe fomniarint nonnulli interpretes. Haec autem illi contigerunt: „ Ab hominibus per annos feptem de-
„ pulfus inter beftias verfabatur, herbis mo-
„ re boum paftus; corpus rore caelefti tin-
„ gebatur; pili, & ungues ut alitibus, incre-
„ verunt. Exacto tandem illo temporis fpa-
„ tio, ad fe rediit, regnique fui majeftas,
„ aucta etiam dignitate, ipfi reftituta eft.
„ Crimen autem ejus fuerat fuperbia, & Dei
„ contemptus (*a*). "

Haec omnia ita homini infano & melancholico conveniunt, ut certum mihi videatur regem hunc mente captum in agros migraffe; cumque fe in bovem mutatum effe imaginaretur, pecudum ritu herbas comediffe. Eft enim, ut infra expofiturus fum (*b*), laefae imaginationis morbus omnis infania, qua ille la-

(*a*) Vid. *Dan. Prophet. cap.* IV. & V.
(*b*) Vid. infra, *cap.* IX. *De Daemoniacis.*

laborans septem annos vitam infelix transegit. Cultus autem corporis negligentia pili & ungues in longitudinem ultra modum creverunt, unde hi crassiores facti & incurvati avium ungues referebant. Hanc autem insaniam *lupinam*, aut *caninam*, appellarunt medici veteres; eaque affectos λυκανθρώπως, aut κυνανθρώπως. Quos noctu exire dicebant, imitantes in omnibus lupos, aut canes; monumenta etiam mortuorum praecipue aperire; tibiasque habere penitus exulceratas propter casus assiduos, & caninos morsus (*a*). Simili modo insanivisse Proeti filiae narrantur; quae, ut ait Virgilius:

Implerunt falsis mugitibus agros (*b*).

Nam, ut Servius notat, *Juno hunc furorem earum immisit mentibus, ut putantes se vaccas in saltus abirent, & plerumque mugirent, & timerent aratra.* Has autem, teste Ovidio, Melampus medicus.

Per carmen & herbas
Eripuit furiis (*c*).

Neque nostris temporibus ignotus fuit hujusmodi affectus. Cujus insigne exemplum in agri-

(*a*) Vide *Aetium*, *Libr. medecin. Lib.* VI. *cap.* II. & *Paul. Aeginet. Lib.* III. *cap.* XVI.
(*b*) *Eclog.* VI. 48.
(*c*) *Metam.* XV. 325.

agricola Patavino memorat Schenckius; *qui fibi lupus videbatur, multosque in agris infiluit trucidavitque, tandemque captus conftanter affeveravit fe verum effe lupum, difcrimen folum exiftere in pelle cum pilis inverfa* (*a*).

Nostrae autem fententiae illud forfan obftare videbitur, quod regi praedictum fuerat hoc infortunium, ita ut mores fuos corrigendo id praecavere potuiffet; ideoque fecundum naturam contigiffe non fit verifimile. Scimus autem tum ea, quae per vindictam exequitur Deus, faepe caufarum naturalium adjumentis peragi. Sic Ezechiae mortem comminatus; precibus ejus victus, vitam illi reddidit, &, ficubus tumori fuperimpofitis, fecit morbo medicinam (*b*). Herodem regem propter fuperbiam vermium erofionibus confumi juffit (*c*). Peftes denique, quae ad iram divinam ab omnibus fere referuntur, corrupti aëris vitio plerumque originem debere nemo dubitat.

(*a*) *Obfervat. med. rar. de Lycanthrop. Obf.* 1.
(*b*) Vide fupra *cap.* v. *p.* 24.
(*c*) Vide infra *cap.* xv.



C A-



CAPUT VIII.

Paralyſis.

Tres in ſacris Evangeliis memorantur paralytici à Chriſto ſanati (*a*). Ex his unius, qui tertio loco recenſetur, morbum, quoniam in eo ſingularia quaedam occurrunt, ſpeciatim referam. Narrat itaque Divus Johannes, „ Hieroſolymis apud oviaricam piſcinam jacuiſſe ingentem aegrotantium multitudinem, caecorum, claudorum, tabidorum, aquae motionem expectantium. „ Angelus enim certo tempore deſcendebat „ in piſcinam, aquamque turbabat; poſt quam „ turbationem qui primus deſcendebat, ſanus evadebat, quocunque tandem morbo „ teneretur. Erat autem illic homo quidam „ annum agens in morbo duodequadrageſimum. Tunc ut vidit Jeſus decumbentem, „ & jam diu decubuiſſe cognovit, dicit ei, „ *Vis ſanus fieri?* Cui aegrotus, *Domine*, inquit reſpondens, *hominem non habeo, qui me*, „ *dum turbata eſt aqua, conjiciat in piſcinam;* „ *interim vero dum eo eo, alius ante me deſcendit.* Tum Jeſus, *Surge*, inquit ei, *& am-*

„ *bu-*

(*a*) Vide *Matth. cap.* VIII. & IX. *& Johan. cap.* V.

„ *bula.* Atque homo confestim sanus evasit, „ & sublato suo grabato ambulabat.

Stagnum hoc, vel quoddam certe ejus loco, religiosi incolae etiam hodie viatoribus ostendunt (*a*). Sed &, quod magis ad rem facit, Eusebius suo adhuc tempore extitisse eam piscinam, & geminas paludes habuisse testatur, quarum utraque, ut ait, anniversariis imbribus replebatur, altera vero mire rubentem praebebat aquam (*b*). Causam hujus coloris refert juxta vulgarem opinionem ad sacrificia, quae olim in ea mundabantur. At minime dubito, quin a terra miniata, sive ochra, quae in balneis frequens est, a pluviis certis temporibus decidentibus e fundo sursum lata, & cum aqua commista, ortum habuerit.

Non una res hic torquet interpretes. Disquirunt enim primo, qualis esset ista aqua; deinde cur non sine turbatione vim suam exerere poterat; tum quaenam esset ista turbatio; denique de angelo, quisnam ille foret, inter se diffident. Ego, quae de hisce singulis dicenda habeo, brevitur exponam.

Primum igitur utilissimae habebantur ad multos morbos usu tam externo, quam interno, apud veteres aquae naturam metallicam secum ferentes; quae pro varia indole venarum metalli,

(*a*) Vide *Cotovici Itinerarium Hierosolymitanum*, *Lib.* II. *cap.* II. & *Maundrell's Journey from Aleppo to Jerusalem*, *pag. m.* 107.

(*b*) *Onomasticon urbium & locorum Sacrae Scripturae*, *in voce* Βηζαθά.

li, per quas fluebant, aliis atque aliis morbis accommodabantur. Hinc in resolutione nervorum *natationes [in aqua] marina, vel salsa, potissimum si quo loco eae naturales, vel etiam manufactae sint*, commendat Celsus (*a*) Et Plinius, *Est autem*, inquit, *utilis aqua sulphurata nervis, aluminata paralyticis, vel simili modo solutis.* Quin & subjungit, *Utuntur coeno fontium illorum utiliter; sed ita, si illitum sole inarescat* (*b*). Idem auctor de fontium quorundam scaturigine mira tradit. *In Boeotia*, ut ait, *duo sunt fontes, quorum alter memoriam, alter oblivionem affert* (*c*). *In Macedonia duo rivi confluunt, alter saluberrimi potus, alter mortiferi* (*d*). Et alia consimilia. His addi potest, quod de fluvio Adonide in terra Bybliorum refert testis oculatus Lucianus. *Ille quotannis colorem amittit, & quasi cruore infectus ipsum pelagus; in quod influit, purpureum efficit;* cujus rei hanc causam addit, quod *per montem Libanum, cujus terra miniata est, deferatur* (*e*). Neque alienum est observare, in regionibus quibusdam reperire miras aquarum eruptiones. Connachiae in Hibernia fons est dulcis aquae, in vertice montis excelsi, qui marinos aestus imitatur, bis die deficiens, bisque exundans (*f*). Lunarem virtutem sentit

(*a*) *Lib.* III. *cap.* XXVII.
(*b*) *Lib.* XXXI. §. 32.
(*c*) *Ibid.* §. 11.
(*d*) *Lib.* XXXI. §. 19.
(*e*) *De Dea Syria.*
(*f*) Vide *Ortelii Theatr. orbis terrarum.*

tit fons quidam Hungariae, in ComitatuS a-ros; quem crescente luna augeri, deficiente minui, & in interlunio prorsus deficere compertum est (*a*). Denique haud rari erant in Palaestina fontes medicamentosi, quorum historias collegit vir literis orientalibus doctissimus, Hadrianus Relandus (*b*).

ATTAMEN qui pro miraculo hic contendunt, nulla balnea reperiri ajunt, qui omnibus quiscunque morbis medeantur, nec quae unico tantum singulis annis mense virtutem suam exerant; addunt etiam hanc aquam, ab angelo demum turbatam, salutarem fuisse. Qui aliter autem sentiunt, plurimas aquas, quae salibus metallicis gravidae certis anni temporibus sunt, memorant, quarum limus a fundo sursum evectus multis morbis fuit auxilio. Quae natura igitur per se efficere potest, ad vires supra eam positas haud recte referri dicunt. Quantum autem de contrariis his sententiis dijudicare valeam, media quaedam inter utramque mihi vero proxima esse videtur.

CENSEO enim piscinae hujus aquam vim medicatam a coeno, in fundo suo haerente, acquisivisse; quod salibus metallicis ex sulphure forsan, alumine, aut nitro, gravidum erat. Haec autem, quum aqua causa aliqua na-

(*a*) Vide *Geo. Vuernberum De admirandis Hungariae aquis.*

(*b*) *Palestina ex monument. vet. illustrata pag.* 300. &c.

naturali, calore forſan ſubterraneo, aut imbribus, turbaretur, ſurſum elevata ei miſcebantur, illis profutura, qui, antequam ſubſediſſent particulae metallicae, in piſcinam deſcenderent. Minime ergo mirum eſt in porticibus, quas quinque habuiſſe dicitur hoc lavacrum, conveniſſe ſemper *ingentem aegrotantium multitudinem, aquae motionem expectantium;* iisque praecipue morbis laborantium, ad quos illa utilis erat, caecitate nimirum, nervorum reſolutione, & tabe. Neque aliter fieri potuit, quin omni ope contenderent quamprimum immitti; ne forte, limo deorſum lato, de ſpe ſua deciderent. Qui *primus* itaque *deſcendit*, aquae virtutem experiebatur.


Illud autem proxime notandum venit, *Cum eſſet feſtum Judaeorum*, Pentecoſte nimirum, contigiſſe id, quod dicitur. Et anniverſariam tantum fuiſſe hanc ſanationem ex Euſebio diſcimus (*a*). Notum vero eſt feſtum illud menſe Majo, vel circa initium menſis Junii, celebratum fuiſſe; quod tempus aquarum ſalubrium virtutibus opportunum eſt. Idcirco eo majori ſtudio confluebant huc aegrotantes, ut medicamen arriperent, quo ſemel omnino quotannis uti licebat.

Denique quod ad angelum ſpectat, qui *certis temporibus aquam turbaſſe* dicitur; ſalutarem hanc ſtagni virtutem ei tribuunt, qui pro miraculo contendunt. Judaeos autem, ſi quid

(*a*) *Loco citato.*

quid rarum & stupendum accideret, cujus causam investigare nequibant, id ab *angelo Dei* factum esse dicere solitos, antea observavimus. Verumtamen iis, quae a natura provenerunt, miraculum istud addere potuit Deus; ut certo solummodo anni tempore, eoque praesertim, quo ad festum solenne celebrandum gens universa conveniebat, salutare esset hoc stagnum; eique tantum, qui primus ingrederetur. Cujus rei (si de consiliis divinis conjectari liceat) ea forsan causa fuisset; quod signo adeo manifesto delectum sibi populum Deus, ut promiserat, antequam Messias advenisset, se non prorsus deserturum, testari dignaretur.

Ad summam igitur, salutaris haec aquae vis, quae natura sua esset medicinalis, a Deo ita disposita fuisse videtur, ut simul praesentiae suae populo Judaico tesseram praeberet. Sed clarius illa remedium, verbum suum ἀλεξίκακον, huic infirmo subministravit Christi potentia. Quae eo tunc erat opportunior, quoniam malum id, quod tot annis inveteraverat, naturali remedio vinci non poterat; unde clarius effulsit divina ipsius virtus.



C A-



CAPUT IX.

De Daemoniacis.

DAEMONIACOS, *δαιμονιζομένους*, in Evangeliis memoratos morbo revera naturali, & illo quidem difficili laborasse, ex descriptis eorum historiis mihi verisimillimum esse videtur. Varie quidem afficiebantur. Nunc enim „ laceratis vestibus nudi incedebant, obviis „ quibusque terrorem incutientes, sua etiam „ corpora saucientes; ita furiosi, ut catenis „ licet compedibusque vincti, ruptis vinculis, „ in locis maxime desertis, & inter sepulchra „ mortuorum vagabundi errarent. Quinetiam „ a multis daemonibus obsessos se esse interdum clamabant, quos etiam ex se in alia „ corpora posse migrare credebant (*a*)." Alias „ ingenti cum clamore „ aut lacerabantur (*b*); „ aut ex prostratis, at illaesis, daemonium „ exivit (*c*).

INSANORUM sunt haec omnia; utrum vero a daemoniis, an vi morbi provenerint, discepta-

(*a*) Vide *Matth. Cap.* VIII. *vs.* 28. *Marc. Cap.* V. *vs.* 2. & *Luc. Cap.* VIII. *vs.* 27.
(*b*) *Marc. Cap.* I. *vs.* 23-26.
(*c*) *Luc. cap.* IV. *vs.* 33-35.

fceptatnr. Id certum eſt, Judaeorum animis iis temporibus vulgo inſediſſe opinionem, occupare ſaepe homines malos genios, illosque miris modis excruciare, & quaſi furiis agitare. Neque enim alius quisquam inter omnes, qui humanum genus infeſtant, morbus tam naturae vim excedere videtur; utpote qui commotionibus animi efferatis, motibusque corporis validiſſimis ſimul & non voluntariis, miſerabiliter divexat. At nihil profecto hic ſacrum, nihil, quod ex male affecta corporis ſanitate oriri non poſſit, reperimus. Illud ut liquido pateat, de inſania quaedam breviter dicenda ſunt; non ea quidem, quae febri acutae conjuncta eſt, illaque remittente deſinit, quam φρενίτιδα vocant, & brevis ſemper eſt; ſed illa, quae corpori inhaeret, & morbum facit diuturnum.

Est igitur omnis inſania laeſae imaginationis morbus, qui a mente primum una aliqua in re nimis diu defixa originem trahit. Hinc enim ſequuntur ſollicitudines, & de futurorum eventu animi angores. Et quo majoris in vita momenti ſint illa, in quibus imagines verſantur, eo vehementius homines conturbant; ut in amore & religione fieri videmus, ubi ſpes, metus, deſperatio, aliaeque contrariae animi commotiones, ſibi invicem ſuccedentes, diverſe pertrahunt. Hoc ita ſe habere nemini dubium erit, qui inſanientem ſaepe memoria conſtare; res ſuas, niſi quatenus vanae ſpecies mentem percellunt, ſatis prudenter agere, quin & interdum etiam cum aſtu-

aſtutia quadam ſolito majori; depulſis denique medicamentorum vi imaginationibus, ſui compotem vitam tranſigere, animadverterit. In hac igitur aegritudine terrificae primum imagines hominem opprimunt, quas ira & furor anxietatem comitantes inſequuntur; unde appropinquantibus dira omnia minatur & intentat, ſibi etiam prae angore non raro manus inferens; ſubinde iterum moeſtus agit, & invicem ſe excipiunt rabies animique demiſſio; multoties vero, praeſertim cum morbus fuerit diuturnus, in loca deſerta & ſola migrat procul ab hominum conſuetudine.

Ipſe ſuum cor edens, hominum veſtigia vitans (*a*). Qui morbo iſto afficiuntur, vitam diutiſſime haud raro protrahunt. Omnibus enim inſanis commune eſt, ut inediam, frigus, caeli inclementiam, quaſcunque denique noxas facillime ſuſtineant, ultra quam facile credi poſſit, corporis robore pollentes. Saepe etiam evenit, ut poſt longum tempus dementiae ſuperveniat epilepſia. Sunt enim affines hi morbi, neque in hoc caſu ſpes ulla ſalutis affulget, ut uſu compertum habemus. Denique obſervare oportet, prout corpus huic vel illi noxae magis ſit opportunum; ita vel furioſi, vel melancholici, ſpeciem praebere illum, qui hoc morbo laborat.

Daemoniorum autem ejectiones eſſe ſolum-

(*a*) *Cicero Tuſcul. Diſp. Lib.* III. 26. *Qui ex illo Homeri vertit*, Ὃν θυμὸν κατέδων, πάτον ἀνθρώπων ἀλεείνων. *Il. Z. vſ.* 202.

lummodo insaniae depulsiones multi ideo non credunt; quod ea, quae hominibus ita affectis contingunt, vi naturae fieri posse nequaquam videantur. At illi sane in re medica nimis hospites sunt; neque animum satis ad ea attenderunt, quae in aliis aegritudinibus non minus mirabilia quotidie occurrunt. Annon hominem pessundare vehementes animi affectiones saepe experimur? Subitus terror multos interemit, & ipsa quandoque supra modum exultans laetitia fuit exitio. Morbus periculosus ex una corporis sede in aliam ictu oculi citius interdum transit. A morsu canis rabidi venenum humoribus instillatum aliquandiu delitescit; & post aliquot hebdomadas, interdum & menses, vim suam exerens, mala iis vix minus gravia progignit, quae daemones inferre perhibentur. Quid mirabilius iis, quae in graviditatibus non raro contingere videmus? Foemina in utero gestans, si forte quid appetiverit, & frustra sit, interdum rei concupitae figuram quandam, aut similitudinem, in hac aut illa corporis parte, foetui suo imprimit. Imo, quod majus est, & prodigii instar, subita partis alicujus laesione perterrita matre, ipsa illa pars in infante noxam sentit, & nutrimenti defectu marcescit. Scio hujusmodi omnes historias a medicis nonnullis, quoniam, qui talia fieri possint, haud percipiunt, in dubium vocari. At multa, quae ipse vidi, exempla mihi hac in re scrupulum omnem ademerunt. Tam stupenda autem est facultatis imaginandi vis, ut non minus falsae quam verae imagines afficiant, ubi mens iis affi-

assidue sit addicta. Id enim in mulieribus, quae sagae dicuntur, usu comperimus, quae consimili mentis errore captae, cum daemonibus non tantum consuetudinem habere, sed & pacta cum iis se inivisse, saepe imaginantur; idque animo adeo obstinato, ut etiam in judicium vocatae se facinorum, quae nunquam perpetraverint, reas confiteantur, cum ob ea ipsa jam mortis supplicium subiturae sint. Proinde omnibus notum est, quam mirabilibus modis in melancholicis mens perturbatur. Hic ex vitro caput sibi fictum putat, &, ne frangatur, foras prodire metuit. Ille se mortuum esse credit, & cum mortuis sine cibo debere versari. Talia sexcenta memorantur. Memini me novisse virum literatum, qui se in ventre infantem gestare affirmaret, de quo in lucem edendo valde sollicitus erat. Duos etiam vidi, qui, cum soli essent, voces sibi in aures loquentium audire putabant. Neque alia, ut opinor, conditio est illorum, qui larvas & spectra oculis cernere sibi persuadent. Sunt enim deliria quasi somnia vigilantium, & in utrisque pariter mens, pro natura specierum objectarum, diversimode corpus agitat.

Quam diversis igitur modis laesiones imaginationis, ubi diu inhaeserint, hominem afficere, totumque calamitose admodum pervertere possint; ex iis, quae diximus, manifesto apparet. Nulla autem re tantum perturbari humanas mentes, quantum formidine, nemo ignorat; cujus causa est amor sui ipsius omnibus ingenitus. Quare cum, ut rectissime animad-

madvertit Cicero, *Nulla gens tam fera, nemo omnium tam ſit immanis, cujus mentem non imbuerit deorum opinio* (*a*); nil mirum eſt, ſi homines ſcelerum conſcii numinum timore percellerentur, quorum imperium in res omnes mundanas agnoſcebant. Etenim ut bona omnia, & vitae beneficia, diis accepta referebantur; ita mala, & calamitates, in criminum poenam putabantur ab iis immitti. Idololatria autem, ut ſupra dixi (*b*), apud Chaldaeos ortum habuit, quae primum quidem in ſolis lunaeque cultu, deinde vero & in daemonum adoratione conſiſtebat (*c*). Hi autem miniſtri divini credebantur; & erant primitus animae heroum & magnorum virorum, qui ob collata in genus humanum aut patriam ſuam beneficia colebantur. Et a Chaldaeis quidem ad Phoenices, poſtea ad Aegyptios propagata, ad Graecos deinde, hinc ad Romanos, aliasque demum gentes temporis progreſſu daemoniaca iſta religio pervenit.

Judaei autem, ſi quid miri faceret natura, ad angelorum ſupremi Dei miniſtrorum operam referre ſoliti, facile in animum ſibi inducere poterant, ut diras quasdam crederent aegritudines, quae mentem ſimul & corpus laederent, & quarum cauſas cognoſcere nequirent, ab angelorum malorum ἐνεργείαις exoriri. Diſcimus enim ex Philone Judaeo cui

(*a*) *Tuſc. Quaeſt. Lib.* 1. 13.
(*b*) *Cap.* 1. *p.* 3.
(*c*) Vide *Iſ. Newton. Chronolog. pag.* 160.

(*a*), cui etiam consentit Fl. Josephus, *credidisse illos tam malos quam bonos esse angelos; bonos Dei ministeriis fungi erga homines, irreprehensibiles & beneficos; malos autem execrabiles, & modis omnibus noxios* (*b*). At illustrius hujus rei testimonium dari nequit narratione morbi, quo correptus est Saulus (*c*), de quo superius egi (*d*). Neque maniam tantum & epilepsin, sed & alios etiam morbos nonnullos ad daemonas pariter illi referebant. Ita cum *Jesus hominem mutum furiosum* liberasset *ejecto daemonio*, id fecisse dicitur (*e*) Cumque alium *furiosum, caecum, & mutum sanasset*, calumniantes dixerunt Pharisaei, eum non nisi per Beelzebulem *daemoniorum principem, ejicere daemonia* (*f*). Et Christus ipse, cum *mulierem quandam spiritum habentem debilitatis jam annos duodeviginti, eamque sic incurvam, ut se erigere non posset, ab illa infirmitate solvisset*, more loquendi tum communi dicit, *Satanam illam annos duodeviginti vinctam habuisse.* (*g*)

At non Judaeis tantum, sed & aliis etiam gentibus, in usu fuit insanos pro daemoniacis habere. Hinc apud Herodotum rex Cleomenes dicitur *non ab ullo daemonio ad insaniam redactus, sed consuetudine cum Scythis ebriosus fuisse*,

(*a*) *Lib. De gigantibus.*
(*b*) *De bello Judaic. Lib.* VII. *cap.* 6.
(*c*) Vide *Regum Lib.* I. *cap.* XVI.
(*d*) *Cap.* III. *pag.* 19
(*e*) *Matth. cap.* IX. vs. 32.
(*f*) *Matth. cap.* XII. vs. 22.
(*g*) *Luc. cap.* XIII. vs. 16

fuisse, & inde furiosus (*a*). Cumque δαιμονᾷν idem significet ac δαιμόνιον ἔχειν, hoc verbo pro *furere* utitur Xenophon (*b*). Quin & Aristophanes de eodem morbo gravius urgente vocem κακοδαιμονᾷν usurpat, & deterrimum insaniae gradum non μανίαν, sed κακοδαιμονίαν esse pronunciat (*c*). Hinc etiam, ut notat Aretaeus, *sacer* apud illos dictus est hic morbus, *quoniam daemon aliquis in hominem ingressus esse putabatur* (*d*). Medici igitur falsae isti opinioni fortiter obsistere necesse habuerunt. Morbos enim a malis geniis inferri sacris ritibus & ceremoniis, non arte medica, depellendos esse vulgo persuasum fuit. Idcirco princeps medicorum Hippocrates, aut aliquis certe ex ejus discipulis, scripto perutili libello (*e*), nullos morbos divinitus accidere docuit; magorum ac praestigiatorum loco habendos esse monens, qui talia in populum spargendo inscitiam suam specie sanctitatis obvelarent.

Caeterum quod ad daemonum hanc in corpora humana potentiam, a Judaeis pariter ac aliis gentibus creditam, spectat, vim divinam in morbis inferendis, ubi causas naturales habere possint, ad partes trahi non debere, nisi diserte denuncietur eos divinitus immitti, jam

(*a*) *Lib.* VI. *cap.* 84.
(*b*) *Memorabil. Lib.* I.
(*c*) Vide *Plutum*, *Act.* II. *Scen.* 3. vs. 38. & *Act.* II. *Scen.* 5. vs. 15.
(*d*) Διὰ τῆς δόξης δαίμονος ἐς τὸν ἄνθρωπον εἰσόδου. *De causis morbor. diuturn. Lib.* I. *cap.* 4.
(*e*) *De morbo sacro.*

jam antea dixi (*a*). Nulli enim, quibus miseri mortales cruciantur, tam miri ſunt & viſu terribiles, quin ex corporis male affecti vitiis ortum habeant. Proinde Deus ipſe, ſi velit, tam cauſarum naturalium, quam bonorum angelorum, virtute ad mala cujuscunque generis hominibus infligenda uti poteſt. Et nemo, opinor, exiſtimabit daemonibus conceſſum eſſe, ut homines pro libitu ſuo furiis exagitent. Sed plura de hac re dicere eo minus neceſſarium videtur, quod duo apud nos doctiſſimi theologi tam plene & copioſe illam jam antea tractaverint (*b*).

Ut finem igitur morbis his daemoniacis imponam, quibus modis eos tractare oporteat, nunc breviter oſtendam. Et illud quidem ante omnia eſt agendum, ut mens cogitationibus iis, quae antea occupaverant, contrariis exerceatur; aliae enim imagines aliis locum cedunt, & mutatione facta, animus ab eo ſtatu, in quo fuerat, abducitur; ad quod non ſatis attendunt plerique medici. Ubi id fieri poteſt, prompte interdum ſuccurritur. Cum autem propter moram diuturnam, quam traxit aegritudo, aut aliam aliquam ob cauſam, hoc non conceditur; idearum ſaltem, quae in praeſentia ſollicitant, vis omnibus modis minui ac frangi debet. Quorundam vani metus ſunt levandi, triſtesque cogitationes diſcutiendae.

(*a*) *Cap.* III. *pag.* 19.
(*b*) Vide *Works of Joſ. Mede*, *edit.* 1677. *Diſcourſe* VI. & *Enquiry into the meaning of Demoniacs*, &c.

dae. Aliorum vero audacia eſt coërcenda, in quem finem objurgationibus & minis haud raro opus eſt. Subiti etiam terrores, qui mentem diverſo modo, quam quo agitata eſt, vehementer perturbent, pro tempore ſaltem interdum profuerunt. Veteres tormenta quaedam, ut vincula & plagas, praecipiebant (*a*). Et vincire quidem eos interdum oportet, qui violentius ſe gerunt, ne vel ſibi vel alteri noceant. Tormenta vero & plagae ideo minus ſunt neceſſaria, quod animi tam puſilli, & imbelles ſunt omnes inſani; ut etiam acerrime furentes, ſemel aut iterum vincti, quaſi victi ſe dedant, & in poſterum meticuloſi ab injuriis inferendis deſiſtant.

Ad medicinam quod attinet, humores craſſi attenuari, & ſpirituum animalium motus inordinati compeſci debent. Sanguinis igitur detractionibus, vomitionibus, purgationibus, veſicatoriis, & ſetaceis dictis, capitis interdum refrigerationibus, uti oportet. His adjungenda ſunt ea, quae foetido odore nares feriunt; in primis vero *aſa foetida*, *myrrha*, & *galbanum*. Neque raro *camphora* in efferatis ultra modum motibus, & vigiliis, auxilio fuit. Plus autem prodeſt, praeſertim ſi calor febrilis urgeat, *nitrum*, quantum ſtomachus ferre poterit, frequenter adhibitum. Victu denique tenui, & corporis exercitiis, pugnandum eſt. Ea vero moderatio in omnibus exinanitionibus tenenda eſt, ut ne in morbum, quem, inſaniae

(*a*) Vid. *Celſum*. *Lib.* III. *Cap.* XVIII.

niae contrarium, *cardiacum* dixere veteres (*a*), hoc eſt, corporis imbecillitatem, incidat aeger. Id enim cum fit, reſolutis viribus, nullus deinceps medicinae locus eſt; ſed homo in perpetuum moeſtus vitam protrahit, heu! nimis plerumque longam.

(*a*) *Celſ. Lib.* III. *Cap.* XIX.





CAPUT X.

De lunaticis.

UT medici quidam veteres morbum comitialem ad divinam quandam potentiam, ita insaniam ad lunae vim retulerunt. Lunaticus tamen, hoc est, σεληνιαζόμενος, cujus morbus in Evangeliis describitur, morbo comitiali afficiebatur (*a*). Is igitur (nam unus tantum disertim memoratur) aut insanus simul erat & epilepticus, quod non raro fit; aut epilepsia ad lunae circuitus revertente, quod frequentissimum est, laborabat. Breviter enim de eo narratur, quod *saepe in ignem, saepe in aquam cadebat.* In hac autem aegritudine homo subito concidit, & quasi mortuus aliquandiu jacet; aut distentis totius corporis nervis, oculis distortis, motisque ex ore spumis, agitatur. Tempore vero interposito ad se redit, mali, quod passus fuit, ne minimum quidem sentiens, perinde ac si nihil sibi accidisset. Sed enim *Jesus increpuisse daemonium* dicitur, *quod exiit, & puer sanatus est.* Clarius autem epilepsiam passum fuisse hunc puerum ex eadem historia, ab evangelista medico de-

(*a*) *Matth. Cap*, XVII. *vs.* 15. *&* 18.

depicta, apparet; qui *aegrum, ſimul ac corripuit ſpiritus, clamare, ſpumasque agentem lacerari & dilaniari*, tradit (*a*).

Caeterum quod ad illos ſpectat σεληνιαζομένες, quos cum daemoniacis conjunctos, quaſi morbo diverſo laborantes, Jeſus etiam ſanaſſe dicitur (*b*); ii aut inſani erant, aut inſani ſimul & epileptici, quod, ut modo diximus, non raro contingit. De daemoniis autem jam ſatis dictum eſt. Ad lunam vero quod attinet, minime dubium eſt, quin acceſſus ejusmodi, ad certa menſis tempora recurrentes, homines impulerint, ut lunarem eſſe hanc aegritudinem crederent. Revera enim tantam virtutem in eo morbo habet hoc aſtrum, ut ſaepe non alio tempore, quam nova vel plena luna, homines illo corripiantur; planeta nimirum vim ſuam iis cauſis adjiciente, quae ad noxam hanc inferendam ſunt aptae. Id autem qua fiat ratione, alias explicui; ubi aetherem noſtrum, pariter ac mare in aeſtus ſuos, iisdem vicibus intumeſcere manifeſto oſtendi (*c*).

Et cauſas quidem naturales habere, minimeque divinum eſſe hunc morbum, jam olim docuit magnus Hippocrates (*d*). Quanquam enim illis temporibus nondum ſatis pate-

(*a*) *Luc. Cap.* IX. *vſ.* 39. & *ſeqq.*
(*b*) *Matth. Cap.* IV. *vſ.* 24.
(*c*) Vid. *Lib. De imperio ſolis & lunae, Cap.* I. & II.
(*d*) *Lib. de morbo ſacro.*

tefactae essent animalis corporis sedes interiores, neque bene perspectae sanguinis & humorum, liquoris praesertim, quem nervi ferunt, proprietates; sagaci tamen ingenio & usu instructus plurima, tam ad naturam gravis hujusce mali cognoscendam, quam ad ejus sanationem pertinentia, recte proposuit. Hanc enim aegritudinem in cerebro ab humorum copia oriri, sapientissimus ille senex monstravit; ideoque sine incantamentis & magicis artibus, quae ad eam depellendam tunc in usu erant, illa, quae exsiccant, & exuperantem materiam minuunt, in primis ei mederi docuit.

Postquam autem saeculis sequentibus crebrior medicamentorum usus invaluerat, contra terribilem hunc morbum excogitata sunt remedia, & nonnulla quidem foeda nimis & horrida; qualia sunt jugulati gladiatoris epotus calidus sanguis, carnes humanae vel equinae, animalium quorundam testes & veretra, aliaque his similia (*a*); quasi, quae naturae sunt adversa, tanto ejus vitio contraria esse debeant. Ita enim saepe fit, ut, ubi deest rationalis medicina, inepta quaevis & temeraria tentetur. At circumforaneis tantum medicis, & aniculis, istiusmodi experimenta conveniunt. Quanquam ne nostris quidem temporibus a sordibus in hisce casibus ars

(*a*) Vid. *Cels. Lib.* III. *Cap.* XXII. *&* *Cael. Aurelian. Lib.* I. *Cap.* 4.

ars noſtra ſatis abhorrere videtur; cum ſtercora adhuc avium quarundam, & ungulae quadrupedum, aegrotis ſaepe devoranda praebeantur. Mirari autem ſubit, cum chemia jam ex corporibus ſalia & principia ſua maxime actuoſa elicere docuit; cur pura haec potius in uſum adhibere, quam craſſam ſimul & faeculentam, cui inhaerent, materiam, ſtomacho ſemper ingratam, nonnunquam & noxiam, in os ingerere medici nolint. At majora his auxilia expetit difficillimus iſte morbus, nec eadem ubique, ſed pro temperamentorum corporis diverſitate alia atque alia. Ea autem, quae plerumque conferunt, breviter hic tradam.

Sanguis, prout vires ferent, iteratis vicibus mittendus eſt, quo impetus ejus coërceatur. Vomitu interdum, purgatione per alvum crebrius, uti decet. In primis autem ſuperantem materiam a capite ſubtrahere oportet, quod praeſtant *emplaſtra veſicatoria.* Commodius vero idem fiet, ſi cutis medicamento cauſtico prope occipitium ita aduratur, ut per fonticulum perniciofus humor aſſidue prorumpat.

Et haec quidem acceſſuum vim frangunt; ad ipſam vero cauſam tollendam, ubi id fieri poteſt (non enim ſemper conceditur) alia praeſidia requiruntur. Hanc enim in humore iſto, qui nervos corporis irrigat, quem ſpiritus animales vulgo appellant, ſedem praecipuam habere manifeſtum eſt. Quibus autem modis in hujuſmodi aegritudinibus is afficia-

tur, investigare irritus, ut opinor, foret labor. Sed enim cum, ut alias docui (*a*), ex partibus constet tenuissimis, quae ex sanguine in cerebrum derivantur, magnamque elasticae istius materiae, per orbem universum diffusae, portionem in se recipiunt, & implicitam tenent; quin corporis vel animi quodam vitio ita corrumpatur, ut officiis vitae exequendis jam minus idoneus, motus animales omnes non ad imperium voluntatis, sed effraenato quodam impetu & inordinato peragat, nequit sane dubitari. Remedia autem, quae pravae huic spirituum animalium conditioni emendandae conducunt, ea sunt praecipua, quae humores attenuandi, & per sudores e corpore propellendi, vi maxima pollent. Haec inter excellunt *radix valerianae sylvestris*, *castoreum Russicum*, *gummi graveolentia*, & *cinnabaris nativa*, non parce, sed larga satis copia, quotidie assumpta; ita tamen, ut medicamenti purgantis usus aliquando iis interponatur, ex quibus haud aliud praestantius est antidoto *hiera picra*, facta nimirum ex hac; vino affuso, tinctura. Celebratum enim a longo tempore *viscum quercinum* inutile lignum esse, jamdudum experientia compertum habeo. Neque id mirum, cum gustatu vel odoratu vix quicquam virtutis in eo deprehendatur, & Druidarum veterum religioni commendationis suae originem unice debeat. Quocirca inter frivolas res illas numerari oportet, quas vana

(*a*) *Account of poisons, third ed. the Introduction.*

na ſuperſtitio in artem medendi invexit; niſi forte ſalcem auream, qua demetebatur, candidam ſacerdotis veſtem, taurorum candidi coloris ſacrificia, & alia id genus inania, ad ſanandum conferre aliquid, ſibi quis perſuaſum habeat (*a*).

(*a*) *Plin. Hiſt. Nat. Lib.* XVI. §. *ult.*





CAPUT XI.

Sanguinis muliebris profluvium.

„ MEMORAT Divus Matthaeus, Chriſtum
„ mulierem quandam, quae ſanguinis
„ profluvio duodecimum laborabat annum,
„ verbo ſanaſſe (*a*). "

QUAERITUR itaque, cujusmodi foret iſte morbus. Cum dicitur autem γυνὴ αἱμοῤῥοοῦσα, ſanguinis fluxum ex partibus naturalibus fuiſſe opinor, quem ῥόον αἱματώδη appellat Hippocrates (*b*), & longum neceſſario eſſe obſervat. Unde duodecim jam annos miſella haec eo laborans, nulla arte ſanabilis jure cenſeri poterat.

(*a*) *Cap.* IX. vſ. 20.
(*b*) *De morb. Lib.* I. *Sect.* 3.



C A-

CAPUT XII.


Debilitas dorsi cum spina rigida.

„ ERAT mulier quaedam spiritum habens
„ debilitatis jam annos duodeviginti,
„ eaque sic incurva, ut se erigere prorsus
„ non posset; cui manus imposuit Jesus, &
„ soluta est ab infirmitate, atque protinus
„ correcta (*a*). "

Συγκύπτουσα erat haec mulier, sive *cernua*; non valens ἀνακύψαι, sive *caput attollere*. Spiritus autem iste, pro more loquendi Judaeis usitato, erat ipse *Satanas*. Nam ita mox ad collegii magistrum, indignantem illam sabbato sanatam esse, Christus ipse loquens ait, *hanc Satanam annos jam duodeviginti vinctam habuisse*. Et eodem plane sensu πνεῦμα ἄλαλον vocat Marcus evangelista *spiritum, qui loquendi facultatem impediret* (*b*).

Hoc malum saepe iis contingit, quibus lumborum vitio nimis diu vexatis musculorum fibrae illic contrahuntur, & rigidae fiunt. Verisimile est igitur ab hac ipsa causa diuturnum hunc morbum, non alia quam divina ope sanabilem, provenisse.

(*a*) *Luc. cap.* XIII. vs. 11. & *seqq.*
(*b*) *Cap.* IX. vs. 17.




CAPUT XIII.

Christi sanguineus sudor.

„ De Christo ipso narrat Divus Lucas, quod „ cum esset in aestu contentius orans, „ sudore manabat simili sanguineis guttis ad „ terram delabentibus (*a*). "

Hoc vulgo ita accipitur, ut si ipso sanguine sudasset Servator mundi. Id autem non dicitur. Erat solummodo sudor ὡσεὶ θρόμβοι αἵματος, *sicut sanguinis guttae*; hoc est, guttae sudoris adeo magnae erant, crassae, ac viscidae, ut instar guttarum sanguinis caderent in terram. Ita verba haec intellexerunt Justinus Martyr, Theophylactus, & Euthymius. Observavit tamen Galenus, *Contingere interdum, poros ex multo aut fervido spiritu usque adeo dilatari, ut etiam exeat sanguis per eos, fiatque sudor sanguineus* (*b*).

(*a*) *Cap.* XXII. vs. 44.
(*b*) *Lib. De utilitate respirationis.*



C A-



CAPUT XIV.

Morbus Judae.

INTER morbos refero nefarii proditoris Christi, Judae ſcilicet, mortem; de qua eo libentius aliquid dicam, quoniam in diverſas ſuper illa ſententias abierunt etiam doctiſſimi ſacrarum literarum interpretes. Et quinquaginta circiter abhinc annis duo in academia Lugduno batava celeberrimi hiſtoriarum profeſſores, Jacobus Gronovius & Jacobus Perizonius, nimia cum iracundia, editis libellis, controverſiam hanc agitarunt. Non enim ſemper & usquequaque cultores ſuos humanos reddunt literae humaniores.

Lis illa hinc orta eſt. Ediderat Perizonius *Aeliani varias hiſtorias* cum notis ſuis & aliorum, ubi arrepta occaſione ab eo, quod de Poliagro tradit Aelianus (*a*), ſignificationem verbi ἀπάγχεσθαι, quo mortem Judae commemorans utitur Divus Matthaeus (*b*), diligenter excutit; eamque vocem non tantum ſtrangulationem, quae laqueo fit, ſed etiam ſummum animi dolorem, quo quis ad mortem fere premitur,

(*a*) *Lib.* v. *Cap.* 8.
(*b*) *Cap.* XXVII. vſ. 5.

mitur, & quo confecti necem sibi saepe conscifcunt, nonnunquam denotare contendit. Hoc aegre ferens Gronovius, qui jam ante libellum *De morte Judae* vulgaverat, quo hominem miserrimum suspendio voluntario vitam suam finivisse dixerat, stylum mox strinxit, adversarii rationes convellens, suasque confirmans. Quin & de locutione πρηνὴς γενόμενος a Perizonio dissentit, quam non de moriente, sed de jam mortuo tantum, sive de projecto cadavere, intelligi debere fidenter asserit. Divus enim Matthaeus simpliciter dicit ἀπήγξατο (*a*); Lucas autem plenius, πρηνὴς γενόμενος ἐλάκησε μέσος, καὶ ἐξεχύθη πάντα τὰ σπλάγχνα αὐτοῦ (*b*) hoc est, *praeceps factus crepuit medius, & effusa sunt ejus omnia viscera.* Satis igitur liquet, si verbum ἀπάγχεσθαι non aliud significet quam *strangulationem, quae laqueo fit*, minime secum concordare duos evangelistas, nisi cum doctissimo Casaubono dicere velimus; Judam se suspendisse, sed, laqueo rupto, decidisse in praeceps. At hoc non mortis modum exponit, id quod manifeste videtur voluisse Divus Lucas; sed rem tantum levis momenti adjicit, quae post illam, aut certe in illa acciderat. Manifestum est autem per vocem hanc non tantum *suffocationem suspendio factam* denotari, sed etiam *summum animi dolorem*, quo vehementer oppressi mortem sibi haud raro conscifcunt. *Strangulat* enim, ut ait Ovidius, *inclusus dolor.* Et

(*a*) *Ibid.*
(*b*) *Act. Apost. cap.* 1. vs. 18.

Et hoc quidem quamplurimis exemplis, ex au-ctoribus antiquis allatis, liquido demonstravit Perizonius (*a*). Neque minus dubium est, quin locutio ista πρηνὴς γενόμενος, tam de illo, qui *sponte sua se praecipitem dat*, quam qui *casu aliquo pronus decidit*, adhiberi possit, id quod idem ille prolixe ostendit.

Non una dissertatione stetit illa rixa. Ex-pensis autem argumentorum, quae ab utraque parte prolata sunt, ponderibus, quod dixit Mattheus cum eis, quae Lucas, aut apud eum Divus Petrus, exposuit, hoc pacto conciliari posse existimo. Proditor iste miserrimus, post-quam Christum morti damnatum vidit, facti sui poenitentiam agere coepit; hinc mox moe-rore animique desperatione correptus, aut ver-tigine captus (quod in ejusmodi aegritudine saepe evenit) ex alto cecidit pronus; aut, quod probabilius videtur, ultro se praecipita-vit, & illiso forte ad saxum aliquod, vel ar-boris truncum, corpore, effusis visceribus, mortuus jacuit. Matthaeus itaque animi an-gorem, qui ipsum ad mortem sibi inferendam adegerat, declaravit; Lucas vero diserte ac proprie necis illius modum definivit. Non immerito igitur hoc mortis genus in numero morborum (aegrotabat enim animus) censeri debet.

(*a*) Vid. *Dissert. De morte Judae*, & *Responsiones duas ad Gronovium*, *Lugd. Bat.* 1702. & 3.



CAPUT XV.

Regis Herodis morbus.

INSIGNIS eſt morbus, quo juſto Dei judicio in poenam ſuperbiae correptus Herodes Agrippa exſpiraſſe dicitur. Is enim σκωληκόβρωτος hoc eſt, *a vermibus eroſus*, miſeram vitam finivit, ut ſacer tradit hiſtoricus, cujus verba ſic ſe habent: „ Certo die Herodes re„ gali veſte indutus, in ſolio ſedens, ad illos „ orationem habebat; & populus divinam eſ„ ſe, non humanam vocem acclamabat. Il„ le vero confeſtim a Domini angelo ictus „ (quod Deo gloriam non tribuiſſet) & a ver„ mibus eroſus expiravit (*a*) ". At Joſephus eandem rem narrans *vermes* non memorat; ſed torminibus maximis ſubito correptum, continuiſque per quinque dies ventris cruciatibus confectum, periiſſe ſcribit (*b*). Vermes autem, a quibus viſcera erodebantur, torminum fuiſſe cauſam Divus Lucas nos docuit.

ILLUD igitur ſingulare in ſe habuit regis hujusce morbus, quod repente ipſi divinitus fuit immiſſus (idque illum agnoviſſe teſtatur Jo-

(*a*) *Act. Apoſt. cap.* XII. vſ. 23.
(*b*) *Antiq. Jud. Lib.* XIX. *cap.* VIII. §. 2.

Josephus (*a*)) caeteroquin alia non desunt verminosi putroris in vivis exempla. Hoc enim morbo avus ejus Herodes, Magni cognomine insignitus, diu laborasse, tandemque consumptus fuisse dicitur (*b*). Herodotus etiam de Pheretima, Arcesilai Cyrenensium regis matre, meminit, quod vivens vermibus computruerit (*c*). Atque eodem foedo morbo, exesis genitalibus, periisse traditur imperator Romanorum, Galerius Maximianus (*d*). Funestos igitur hujusmodi casus non observasse aliqui saltem ex medicis Græcis non poterant. Idcirco ad ulcera σκώληκας ἔχοντα, h. e. *vermibus scatentia*, remedia proposuit Galenus (*e*). *In abscessibus* enim, inquit, *multoties inveniuntur animalia*, ζῶα, *illis quae ex putredine generantur, simillima* (*f*). Et Philoxenus apud Aëtium se aliquando *reperisse* dicit *in atheromatum humore animalia, culicibus, aut muscis parvis similia* (*g*). Denique Paulus Aegineta haec pellendi etiam rationem docet (*h*).

Plura autem veteres testimonia in re satis manifesta adducere non est necesse, cum recentiores etiam medici complures haec eadem

(*a*) *Ubi supra.*
(*b*) *Joseph. A. J. Lib.* XVII. *Cap.* VI. §. 5. & *De B. J. Lib.* I. *Cap.* XXXIII. §. 5.
(*c*) *Hist. Lib.* IV. *in fine*, Ζῶσα εὐλέων ἐξέζεσε.
(*d*) *Sext. Aurel. Victor. Epitom.* & *Pompon. Laeti Rom. Hist. compend.*
(*e*) *De compos. medic. per genera*, *L.* IV. *Cap.* 10.
(*f*) *Lib. De tumorib. praeternatur. Cap.* 4.
(*g*) *Lib.* XV. *cap.* 7.
(*h*) *Lib.* IV. *cap.* 42.

dem obſervarunt. Marcellus enim Donatus virum quendam illuſtriſſimum memorat, cujus ventrem obeſiſſimum ad mortem usque eroſerunt, atque corruperunt, in cute, pinguedine & humoribus ultra modum diſtenta, nati vermiculi, iis haud diſſimiles, quos in corrupto vetuſtate caſeo occultari videmus (*a*). Simillima his animalcula, ſimul cum urina ex corpore medici cujusdam eximii exeuntia, vidit Nicolaus Tulpius, vir non minus arte quam doctrina inſignis (*b*). Doctiſſimi etiam *Ephemeridum mediophyſicarum Germanicarum* ſcriptores atrocem nobilis cujusdam Galli caſum enarrant, cui ex corrupto ſanguine dies noctesque cum horrendis cruciatibus, per univerſos fere cutis meatus, oculos nimirum, nares, os, & veſicam urinae, minutiſſima rufi coloris animalcula eruperunt, quorum carnificina miſerrime periit (*c*). Apud eosdem quoque ex abſceſſu in ſura puellae orto vermes nigri, ſcarabaeis haud abſimiles, prorepſiſſe memorantur (*d*). Ex mammis denique puerperae minutiſſimos & candidiſſimos vermiculos cum lacte exiviſſe iidem auctores teſtantur (*e*). Nec omitti hic debent duae conſimiles narrationes, quarum alteram Poterius, alteram, qui ſcripta ejus illuſtravit commentario, tradidit Fridericus Hoffmannus. Ille

(*a*) *De hiſt. medic. mirab. Lib.* 1. *cap.* 5.
(*b*) *Obſerv. medic. Lib.* 11. *cap.* 50.
(*c*) *Decur.* 2. *ann.* 5. *Append. Artic.* 38.
(*d*) *Ibid. Artic.* 52.
(*e*) *Ibid. Artic.* 109.

le colonum curabat, cui ex aperto in genu dextro tumore vermes exiles vivi prodierunt, qui morfibus fuis dolorem atrociffimum hac in parte concitarunt. Hic autem artificem quendam vidit, quem cum tumor durus, magnam afferens moleftiam, circa venas ani exortus infeftaret, hunc iterum atque iterum fcalpello chirurgus nullo cum levamine incidit; donec tandem ex ulcere facto vermiculos nigris, aculeis inftructos, magno copia foras exemiffet (*a*).

Historiis iftis, licet mirae videntur, non eft tamen cur quis fidem deneget. Animata eft enim, fupra quam credi facile poffit, omnis rerum natura. Aër, quem fpiramus; cibi, quibus vefcimur; liquida potiffimum omnia, diverfiffimi generis animalculis abundant. Ex quibus fieri poteft, ut nonnulla corporibus noftris recepta, & in exiguos partium molliffimarum meatus, veluti in nidos, delata, more lumbricorum in inteftinis, crefcant, & magnitudinem eorum acquirant. Hinc, obftructis minimis humorum canaliculis, tumores oriuntur; qui calore fuppurati & rupti foedam prolem inclufam, vermiculorum fpecie, effundunt.

Nequaquam igitur interpretibus accedo, qui phthiriafi, hoc eft, *morbo pediculari*, confumptum interiiffe Herodem autumant. Aliud animal eft, σκώληξ aliud φθεὶρ: haec fummam

(*a*) *Poterii Opera cum annotat. Frid. Hoffmanni, edita Francof.* 1668. *pag.* 72.

mam cutem, ille corporis interiora depaſcitur. Neque dubium eſſe poteſt, quin Divus Lucas, & ipſe medicus, vim utriusque vocis recte intellexerit. Scio tamen morbum ὑπὸ τῶν φθειρῶν, cum eo ὑπο τῶν σκωλήκων oriundo, a viris doctiſſimis confundi; quorum illo periiſſe dicitur Pherecydes Syrius (*a*), ut etiam Lucius Sylla (*b*). Unde eruditiſſimus Kühnius (*c*), *tantundem*, inquit, *mihi valet apud S. Lucam* σκωληκόϐρωτος, *ac apud Heſychium* (*d*) φθειρόϐρωτος: ideo nimirum, quod pediculi veri ſint vermes.

(*a*) *Aelian. Var. Hiſt. Lib.* IV. *cap.* 28.
(*b*) *Plutarch. in ejus vita.*
(*c*) *Not. ad Aelianum.*
(*d*) *Lib. De vit. philoſ.*

F I N I S.







